R-8291

VASCONCELLOS, Antonio (S.I.)

Anacephalaeoses id est, Summa capita actorum Regum Lusitaniae / auctore P. Antonio Vasconcellio Societatis Jesu ...; accessernut Epigrammata in singulos Reges ab insigni poeta Emmanuele Pimenta eiusdem Societatis; et illorum effigies aud vivum expressae, curâ, & sumptibus Emmanuelis Sueyro ... — Antverpiae: Apud Petrum & Joannem Belleros, 1621. — [16], 597 (i.e. 601), [23] p., a-5⁴, A-K⁴, L⁵, M-Z⁴, 2A-2Z⁴, 3A-3Z⁴, 4A-4F⁴, *-3*⁴: grab.; 4º

Apostillas marginales. — Front. calc., representando esc. de Portugal. — Grab. calc. intercaladas en el text., retrats de los reyes de Portugal. —

Errores de pág., entre otros, 2 p. sin numerar en la secuencia de 597 p.

1. Portugal - Reyes y soberanos - Biografías 2. Portugal - Erregeak eta subiranoak - Biografiak 3. Portugal - Historia I. Pimenta, Emmanuel (S.I.).

Epigrammata II. Sueyro, Emmanuel, contrib. III. Tit.

R-8291 Au. us. en a³r., 6²v., 2G³r., 2Z¹r. y 3A⁴r. — Enc. piel con hierros dorados en el lomo. — Firmas autógr. en port.



ANTVERPIÆ
Apud Petrum et Ioannem Belleros.
Anno 1621.

ANACEPHALÆOSES

id est,

SVMMA CAPITA

ACTORVM REGVM

LVSITANIÆ.

Auctore P. ANTONIO VASCONCELLIO Societatis IESV Sacerdote, Theologo Olysipponensi.

Accesserunt Epigrammata in singulos Reges ab insigni Poeta EMMANVELE PIMENTA *eiusdem Societatis.*

Et illorum effigies ad viuum expressæ, curâ, & sumptibus Emmanuelis Sueyro Regiæ Catholicæ Maiestatis Aulici Familiaris, Equitis militiæ Saluatoris nostri IESV CHRISTI; & Domini de Voorde.



ANTVERPIÆ

Apud Petrum & Ioannem Belleros.

ANNO M. D C. X X I.

Cum Gratia & Priuilegio.

PHILIPPO IV.
HISPANIARVM
ET
INDIARVM
REGI.

Cujus Vitæ Summatim Descriptio extat pag. 378 initium, Regni etiam in laudem ejusdem Descriptio extat pag. 589 usq; pagin. 597.

REgum Lusitaniæ effigies meâ curâ ari insculptas, Augusto tuo nomini, Magne Rex, visum est inscribere, & quæ prisca est votorum formula, Lubens, Merito, Dedico, Consecróque; Lubens quidem, ut hac occasione cultus mei studium aliquod Maiestati vestræ offerrem, donec Flandriæ historiam auspiciis sanctissimi Parentis Vestri Philippi III. inchoatam ad umbilicum perduxero. Merito verò, quia maiores vestros, quos rerum gestarum gloria cælo consecrauit, nemo Maiestate vestra lubentiùs excipiet; rapitur enim ad similitudinem suorum excellens quæq; natura, & cælestium animorum simulachrum refert decerpta ab iis aura. iuuabit illorum ora, vultusq; contemplari, quorum di-

uinas virtutes aſſiduò æmularis, & feliciſſimè orbi reddis. Eo verò gratiùs Maieſtati veſtræ hoc opus fore confido, quod breuibus elegantiſſimiſq; elogiis exornatum ſit à P. Antonio de Vaſconcellos è Societate IESV, *ob inſignem doctrinam, religionem, & generis claritatem in Luſitania notiſſimo. nuper etiam in celebri Eborenſi Academia ab Henrico Rege excitata, non ſine magna laude Rectorem geſſit, qui etiam alia opera molitur propediem in lucem proditura, quæ ingenij felicitatem, & in Deum pietatem facilè indicabunt. Suſcipe itaque, Magne Rex, qualecumque hoc obſeruantiæ in te meæ teſtimonium ſereno vultu, non quidem pretio operis, ſed maiorum tuorum cauſſâ, quos ſub nominis tui ſplendore prodeuntes omnis poſteritas grato animo complectetur. Antuerpiæ Kalendis Septembris.* M. DC. XXI.

Emanuel Sueyro.

CENSVRA.

MAndante ſupremo ſanctæ Inquiſitionis Luſitaniæ ſenatu, attentè perlegi totum hunc librum *Anacephalæoſes, ſeu ſumma capita actorum regum Luſitaniæ* inſcriptum, *authore R. P. Antonio Vaſconcellos Societatis* IESV *Sacerdote Theologo Vlyſſiponenſi*: nihilque in eo reperi ſacræ ac Orthodoxæ fidei repugnans, vel bonis moribus diſſonum. Imo ſtupens, & admirabundus veneror admirabilem ſermonis venuſtatem, coniunctam cum perſpicuitate breuitatem, ac veræ hiſtoriæ pulcherrimum ordinem, & in patriam Luſitaniam pietatem eximiam. Hæc vna tantùm gloria, gloriæ ac ſplendori Luſitaniæ regibus, ac Lyſiæ genti deeſſe videbatur, quod ſcilicet, ſacerdos è Societate IESV, regum, regniq; prodigioſa, ac penè incredibilia acta, teſtis incorruptus, omniq; exceptione maior, ſcriberet, firmaretque. Quamuis enim omnium infidelium ſanguis inuincibilem Luſitanorum animum, Herculeaſque brachiorum vires, iam inde à Luſitani regni cunabulis expertus ſit, ac fateatur: pietatem tamen regum in Deum, dilectionem in ſubditos, prudentiam & prouidentiam in moderando regno, cæteraſque ſingulares, ipſaſq; quamplurimas Lyſiadum principum virtutes maximas, non facilè quis crederet, niſi Ieſuita Sacerdos ſcriberet, narraretque.

Cenſura Epigrammatum inſignis poetæ Patris Emanuelis Pimenta, quæ hoc ipſo libro continentur.

INuidebat hucuſque Magnus ille Alexander Luſitano regno, quod ius imperij ſui terra mariq́ue protulerit: ſed iam nunc angatur inuidia quod non Homerum, non Virgilium, ſed Emanuelem Pimentam eiuſdem Societatis Poetam illuſtrem habeat ſuarum rerum Luſitana gens, non ſecundos (nec primos dicam) à Tito Liuio & Virgilio Scriptores. Quare digniſſimum cenſeo, vt liber hic Liuij & Maronis Luſitanorum, aureis ſeu adamantinis cudatur typis, in gloriam Luſitanæ gentis, ac in omnium admirationem & ædificationem. Vlyſſipone in cœnobio ſancti Eligij, congregationis canonicorum ſancti Ioannis Euangeliſtæ. Pridie Calendas Auguſti, ipſa die quâ beatiſſimus Pater Ignatius de Loyola migrauit ad ſuperos. 1618.

Petrus de ſancto Ioanne Doctor Theologus, & ſupremi ſenatus librorum Cenſor, & Qualificator.

VIſta a informaçaõ podeſſe imprimir eſte liuro intitulado *Anacephaleoſes actorum Regum Luſitaniæ*, &c. è depois de impreſſo torne a eſte conſelho pera ſe conferir com o original, e ſe dar liçença pera correr, è ſem ella naõ corra Lx̄a. à os 23. de Agoſto de 1618.

Antonio Diaz Cardoſo. Fr. Manoel Coelho.
G. Pereira. Dom. Fr. de Bragança.

FRanciſcus Pereira Prouincialis Societatis IESV Prouinciæ Luſitaniæ, potestate mihi commiſſa à Reuerendo admodum Patre noſtro Præpoſito generali Mutio Vitelleſcho, facultatem facio, vt opus quod inſcribitur *Anacephaleoſes*, id eſt, *Summa capitæ actorum Regum Luſitaniæ, & illorum effigies ad viuum expreſſæ à Patre Antonio de Vaſconcellos compoſitum*, cum epigrammatibus in eaſdem à Patre Emmanuele Pimenta conditis, vtroque autore eiuſdem Societatis, cùm per graues aliquot & doctos Patres ex eadem Societate fuerit recognitum & probatum, typis excudi poſſit, poſtquam videlicet acceſſerit approbatio & facultas ſancti Officij, & Ordinarij. In prædio noſtro de Canizos prope Scalabim 17. Maij 1618.

Franciſcus Pereira.

VIsâ per me infraſcriptum, *Hiſtoria Regum Luſitaniæ, rerumq; ab iis geſtarum per Antonium Vaſconcellium e Societate* IESV *Theologum*; Viſis inſuper Epigrammatibus Emanuelis Pimenta Poetæ ex eadem Societate, cenſui tam hæc, quàm illa prælo & luce digniſſima, maxime attentis rationibus, ſuperiori cenſurâ luculenter, &, quantum quidem æſtimo; ex fide & abſque fuco adductis. Datum Antuerpiæ die 15. Iulij Anno 1621.

Laurentius Beyerlinck S. Theologiæ Licent. Canonic. & Archipresbyter Eccl. Cathed. Antuerpienſis, librorumq; Cenſor.

Autor

Autor ad Lectorem.

NEC pauci, nec ignobiles in Lusitania Scriptores varia nostrorum Regum elogia typis excudenda curauerunt, adiecta cuiusque effigie tam perfectè expressa, quantum propria, & meliorum sculptorum industria assequi potuerunt. Sed cùm vulgari idiomate vsi sint, quod Lusitanicæ ditionis limites vix excedit, neq; nostrates sculptores manu adeò elimata, & cælo essent expolito, vt ad amussim consectarentur omnia lineamenta, quę in cuiusq; historia describuntur, & antiquiores picturæ referunt; animum indui elucubrandi latinas gestorum Lusitaniæ Regum Anacephalæoses, in quibus si breuitatis metas aliquando transiliero, veniam ab illis impetrabo, qui earum rerum cognitionem alijs ex fontibus non hauserunt. Quod opus externis æquè, ac domesticis gratiosum fore iudicaui; his enim periucundum erit, maiorum suorum facinora regni claustra perrumpere, & in exteros communicari; illis non ingratum illustrium factorum participes fieri, quorum antea ignoratione laborabant; & titillante forsan voluptate impellentur ad ea lentiùs in proprijs cuiusque Regis annalibus indaganda; vnde quæ hîc subijciemus, accurato studio, & censorio examine sunt excerpta.

Vt effigies suis essent lineamentis absolutæ, lectissimus conquisitus est in Belgio incisor, cui pro Dædalo & Polycleto adfuit Emmanuel Sueyro Antuerpiæ incola, Lusitanis editus parentibus, equestris in Lusitanæ aulæ familia dignitatis assignato in menses singulos nobili congiario, & illustrissimæ inter nostros Christi militiæ insignibus exornatus, vir & multarum linguarum, & optimarum scientiarum laude clarus, & vbiq; summo loco habitus, tam propter eximias animi & corporis dotes, quàm ob luculentos libros, quos edidit, & alios, quos in lucem fætura proxima emittet. Qui cum in promptu haberet optimas Regum effigies ex tota Lusitania diligenter comparatas, & singularum notas ex historijs attentè collectas, curauit, ne quid in

archetypis induſtriæ & elegantiæ deſideraretur. Regibus omnibus coronas appoſuimus, quamuis ijs aliqui in antiquis exemplaribus carerent, ne quis nodum in ſcirpo ineſſe putet, ex diſcrimine aliquid à veritate abſonum coniectans.

Nulli antiqua armorum inſignia, quorum ſuo cuiuſq; tempore vſus erat, apponimus, quia nodoſæ illæ clauæ, rubigineæ ſecures, informeſq; thoraces plus habent vaſtitatis, quàm maieſtatis, nec ad viuida cuiuſque lineamenta ſpectantibus offerenda quidquam conferunt. Ideò ſingulos recentibus, & ideò gratioribus inſignibus exornamus.

Sereniſſimorum Luſitaniæ Regum facta toto orbe publicandi negotium eſt à quouis noſtræ Societatis IESV religioſo minimè alienum, cùm præter communes naturæ leges, peculiaribus Conſtitutionum noſtrarum edictis ad gratiam bene de noſtro nomine merentibus referendam adigamur. Iam præcipua quadam ratione neceſſitatem incurrimus gratos nos exhibendi ijs Regibus, qui Romæ vix naſcentem & in cunis reptantem Societatem ſuis brachijs excepere, paterno affectu in Luſitaniam aduocarunt, eamque latè toto regno diſſeminantes, ingentia Collegia regijs ſumptibus extruxere; deinde in totum Orientem amandarunt, vt fides Orthodoxa ijſdem, quibus mare & cælum limitibus clauderetur, in quem ſemper ſcopum optimorum Regum ſtudia collimarunt. His compendiarijs Regum actis, tres alias Anacephalæoſes inſeruimus, Reginæ ſanctiſſimæ Eliſabethæ, quæ virum habuit Dionyſium; Principis Ferdinandi Ioanne primo nati, in Mauritania inſigni innocentiæ opinione extincti; virginis Ioannæ ab Alphonſo quinto editæ, cæli muneribus ditiſſimæ. Cùm enim vitæ ſanctitate præ cæteris illuſtres fuerint, viſum eſt illorum virtutibus, & orbi me fore iniurium, ſi vel illas luce, vel iſtum tam ſpectatorum operum exemplis priuarem.

Vt varietas ſuam etiam gratiam operi conciliaret, epigrammata in ſingulos Reges adiecimus ſelecta ex multis operibus, quæ metro ſcripta reliquit inſignis ætate noſtra Poeta Emmanuel

nuel Pimenta Societatis noſtræ Sacerdos, quorum editionem ab ijs, quibus commiſſa eſt, extorquebit auidè has primitias deuorantium alacritas. Tanta eſt enim Pimentæ facundia, verborum concinnitas, & ſententiarum grauitas, vt iure poſſis principem Poetarum noſtræ ætatis nuncupare. Quia tamen Regum & illuſtrium factorum notitia connexa eſt cum Regni, & ditionis, in qua floruere, agnitione, placuit, vel ad finem, vel propediem Geographicam Luſitaniæ deſcriptionem tranſmittere, qua præcipue oſtendam quàm celeriter fidem Chriſtianam arripuerit, quàm ſyncerè & conſtanter eandem fuſo ſæpius ſanguine conſignauerit, ſanctitate munierit, armis propugnauerit, & ſacri Euangelij prædicationem in varias orbis partes diſiecerit.

Ciuitatum & oppidorum nomina aliquando Latinè, aliquando Luſitanè ſcribimus, quia & doctis & indoctis, quibus vulgaria magis placent, ſcribimus. Regum filios, quos vulgus Iffances dicit, Principes ſemper nominamus: Aureos hic ſæpe inuenies, pro ijs, quos dicimus Cruzados, ſiue ducados, non quod ignoremus antiqui aurei pretium, ſed vt cum multis loquamur.



Arma mihi imperium terræ, maris anchora, veram
Crux dedit vt noſcant Regna ſubacta Fidem.

Deſcribitur hoc [illegible] 383 usq; pag. 562.

AD LVSITANIAM.

Finibus Oceanum, postremaq́ littora tangis,
Vltima terrarum Lysio, prima bonis.
Europæ postrema, animis non vltima, quales
Dicuntur magni quondam habuisse duces.
Mars tibi bellipotens generosa in milite pugnat,
Et præstat famulas in tua bella manus.
Flora solum pingit, Pallas iuga ditat, & hortos
Pomona, & Bacchus Massica, rura Ceres.
Vitrea Nais humo rorat manante, ruuntq́
Flumina muscosis inuidiosa iugis.
Pascua felici Tagus aurea proluit auro,
Hic tibi de Zephyris parturiuntur equi,
Regni nomen abest, cum cætera dona supersint,
Qui famosa dabit nomina qualis erit?
Cuius Alexander nosset si corda, animósque,
Dixisset; nostros nolo ego, malo tuos.

AD EANDEM.

Lysia principibus famosa heroibus, ætas
Nulla tibi similem, non dabit ulla parem.
Ingenuè populi famulantur, amabile Regis
Imperium est illis, stant procul inde metus.
Multum regali de Maiestate remittit,
Deq; supercilio gratia blanda suis.
Detrahe principibus regalia nomina, fasces
Tolle, indulgentis cætera patris habent.
Delicia Regum populi censentur, & illos
Plebs, vt delicias spectat amica suas.
Liberius tali sub principe viuitur, omni
Quàm si libertas libera Rege foret.
Hoc genus imperij solum est super æthera, solum
Illius in nostris fulget imago plagis.

AD EANDEM.

Regnorum regina ingens: Roma aurea mundum
De ſeptem geminis. quæ regis alta iugis:
Inclyta Cæſaribus Germania, Gallia florens,
Et pluſquam muris, Sparta ſuperba viris:
Diſcite Lyſiadum de Regibus arma ciêre,
Diſcite Romanam cum pietate fidem.
Diſcite regnando priſcum decus addere regnis:
Gentibus edomitis diſcite iura dare.
Quilibet exemplar regum eſt, & quilibet orbis,
Et renouat faſtis ſecla priora ſuis.
Quilibet inſtar habet præſtantum, & quilibet addit,
Quod ſummum in ſummis Regibus eſſe ſolet.



HENRICVS COMES PORTVGALLIAE
VIXIT ANN. LXVII. OBIIT ANNO MCXII.

HENRICVS COMES PARENS REGVM LVSITANIAE

ANACEPHALÆOSIS I.

1 CLARIOR A Lusitanorũ Regũ belli, domique facinora compendiario stylo in acta relaturus, operæ pretium duxi à Comite Henrico, clarissimo hujus sanguinis, ac nominis authore anacephalæoses exordiri. Cæterùm caliginosa est eorum temporum historia, cùm majoribus nostris Maurorum bello intentis, impensior fuerit cura gladij, quàm calami, & illustria gerere, quàm scribere maluerint, illaudatâ quâdam inertiâ vulgandi posteris facta tanti Principis, ex æquo certantes cum ea insomnia, & solicitudine, quâ ipse prioribus sæculis invidenda, & posterioribus admiranda magis, quàm imitanda edere curauit. Certi enim tantum habemus Gallum fuisse, non tamen è Lotharingia (quæ opinio multos transversos egit) sed ex antiquis Æduis, qui nomine Burgundiorum sunt hodie notiores: natum Velontione in Vrbe maxima Sequanorum; quæ cùm Marcellino, & aliis dicta sit Pisontium, fucus ijs factus, qui Henricum affinitate vocabuli Byzantinum, ex nobili Constantini domicilio credidere. Quibus tamen parentibus sit editus, incertum.

Henricus Gallus fuit ex Aeduis.

2 Omissis iis, qui Andabatarum more cæcutientes, sicubi in clarum aliquem illius ævi Henricum impegissent, nostrum affirmârunt, alijs ex Pannonia Hungarum, aliis ex Germania Rhigium, sive Limburgensem somniantibus; Qui ex nostris diligentiori indagine antiquitatum lustra sunt rimati, Henri-

Varie de eius patriâ opiniones.

co avum tribuunt Reginaldum Comitem Burgundiorum; parentes, Guidonem Comitem Varnonenſem, & Brionenſem: ac Ioannam Geroldi Ducis itidem Burgundij filiam. Vtrumque verò oſtendunt ad Carolum Magnum, magnoſque Galliæ, atque Angliæ Reges ſuæ originis gloriam, & ſtemmata referre. Sic opinandi anſam obtulit Rotericus Antiſtes Toletanus, qui in Hiſpaniæ annalibus Henricum ſcribit patruelem Comitis Raymundi, quo parente gloriatur Alphonſus VII. Hiſpaniæ Rex, ob geſtorum claritatem dictus Imperator; Reginaldo enim duo tantum liberi traduntur, Guilielmus Raymundi, & Guido Henrici, juxta illos Authores, parens.

Henricus Roberti Ducis Burgundi nepos, Regis Gallarum Roberti pronepos.

Quia tamen nullus ſcriptorũ Gallicanorũ, ad quorum fidẽ jure in re ſua provocandum, cùm è vicino Burgundiorum Comitum hiſtorias perſequantur, & Reginaldi, atque filiorũ ſingulatim meminerint, ullam Guidoni prolem aſsignat, fusè explicatis illius in Northmannia geſtis, vero nõ abſimile videtur, Henricum Henrici filium fuiſſe, primo loco geniti à Roberto Duce Burgundiorum, qui patrem habuit Robertum Galliæ Regem, natũ Rege Hugone Capeto, quem ad invadendum regnum audentem fecit conjugium cum Adeleida inter Italos nobiliſsima: & acceptus ſanguis à parentibus, Hugone Magno Pariſienſi Comite, & Aygunde (quam alij Havidam, alij Adhaleidam vocant) Henrici I. Imperatoris (qui dictus eſt Auceps) & Mathildis ſanctitatis nobilitatæ filia: atque Odonis Andegavenſis patrui cognatio, quem Gallica nobilitas ob immaturam Caroli ſimplicis ætatem regno ſuffecit. Recèns enim excuſſus eſt liber inventus in Pithœi nobili bibliotheca, cujus ſcriptor, etſi nomen ſupreſſerit, Monachus Floriacenſis fuit, vir, & omnia congruunt, non Huxæ authoritatis, qui Robertũ Regem duobus liberis generoſum facit, Henrico Regni hærede, & Roberto Duce Burgundiorum. Deinceps inter Roberti Ducis filios, Conſtantiam enumerat (cujus hactenus genus in ignoratione verſabatur) Alphonſo VI. Hiſpaniæ Regi collocatam: & Henricum, qui, vivo patre, obijt, hæredes relinquens Hugonem & Odonem, quorum prior poſteriorem ſibi ſubſti-

Probatur ex quodam Floriacenſi exemplari.

tuit:

tuit,cænobio mutans hæreditarium Burgundiæ principatum. Ad extremum ſubdit,ab Alphonſo Rege filiam ex Conſtantia eductam nuptui datam Raymundo Comiti, qui (ut deinceps Authoris verbis utar) *Comitatum trans Ararim habebat; alteram filiam, ſed non ex coniugali thoro natam Henrico, unius filiorum filii eiuſdem Ducis Roberti dedit Alphonſus: hoſque ambos in finibus Hiſpaniæ contra Agarenorum collocauit Imperium.*

4 Non ſum inſcius,aliquos Authores reperiri,qui Henrico & Conſtantiæ Roberti Ducis liberis,tertium ætate junioré Hugonem nomine annumerét;ut videre eſt in Claudio Paradino, Franciſco Roſieres,Elia Reuſnero, Franciſco Bellaforeſtenſi, Hieronymo Henningues,& alijs Gallicarum, & Burgundiarũ rerum ſcriptoribus.Sed eorum nullus adſtruit,Henricum noſtrum,aut quemvis alium Hugone generatum. Vnde non video,cur hoc,ſi non ſuppoſititio, ſaltẽ ad rem præſentem minimè neceſſario Roberti Ducis filio implicemur: cùm major fides debeatur exemplari Floriacenſi:cujus Author eorum temporum vicinus Duci Roberto ſolos liberos adſcribit, Conſtantiam & Henricum. Hujus enim filius indubitanter fuit noſter Henricus,ſi,ut omnes annuunt,Conſtantiam Alphonſi VI.uxorem,amitam habebat. Nec quemquam gradu dimoveat,quod Author ille ſolos Hugonem & Odonẽ in Henrici filiorum albo collocet, & noſtrum omiſerit. Ille enim ex inſtituto Gallicam tantùm,& Burgundicam Hiſtoriam ordinabat,res externas carptim,& in tranſcurſu attingens.

Henricus patrem non habuit Hugonem.

5 Eſto igitur extra controverſiam;Henrico avum fuiſſe Ducẽ Robertũ ex Roberto Rege natum:patrem Henricum in Ducis aula natu maximum, ſed immaturâ morte præreptum, antequam principatus Succeſſor reuuntiaretur. In quam ſententiã adeò proclinat animus, quia Henricus noſter & Author ille Floriacenſis Synchroni fuerunt. Hunc enim (colligitur ex ipſius verbis) vixiſſe ad annum MCX. in quem & Philippi. 1. Galliarum Regis necem, ab anno DCCCC. Gallicanam ducit hiſtoriam, Hiſpanam ita ſcitè attexens, ut inter Noſtrates ſcripſiſſe videatur. Quod jam paulò

Henricus noſter Henrici filius: Roberti Ducis Burgundij nepos: Roberti Regis Galliæ pronepos.

ante nos ex eodem Authore prodidit in vita Alphonsi VI. Prudentius Sandovalensis Pompejopolis antistes, quamvis nævos aliquos historiæ insperserit. Nam & Glabrum illius libri Authorem facit, ideò deceptus, quòd primus eorum, quos illud volumen complectitur, Glaber inscribatur; & Henricum Raymundi Comitis consanguineum dicit; quod constare nullâ ratione potest, si, ut ipse annuit, Roberti sanguis, & nepos fuit. In meam verò sententiam plenis eunt calamis accuratissimi nostræ ætatis tam in Lusitania, quàm in exteris nationibus scriptores.

Causa cur venerit in Hispaniam Henricus.

Henrico quæ causa fuerit in Hispaniam demigrandi, hactenus fuit in ambiguo: sed cùm Constantiam amitam Regi Alphonso nuptam haberet, vel primò advenientem in honoris speciem deduxit, vel postea gratulabundus invisit. Quod libentius fecisset, quòd eâ tempestate Burgundia diuersis tumultibus æstuaret. Nam Henrico Roberti Ducis fratre regnante, Burgundij, cùm annos centum & triginta Galliæ Regibus paruissent, ad Conradum Imperatorem defecerunt; vnde factum, ut quæ una erat Burgundia, in duas diuisa sit, quarum alteram Gallorum Reges, alteram Germani Imperatores obtinuerint. Facile igitur credi potest, Henricum excusso à Burgundijs, vel saltem detrectato maiorum suorum imperio, in Hispania clementioré fortunam speraſſe, eo potissimùm articulo, quo Hispani scriptores referunt Alphonsum ab exteris Nationibus, & Floriacensis ille expressè subjungit, à Gallis auxilia exciuisse aduersus Mauros licentiùs in Hispania exultantes, & Iulephum quendam Chaldæum ducem Almoravidum, qui freto transmisso Bæticam insolenter proterebat, & totius Hispaniæ imperium animo devoraverat. Quis ergò ocyus ad ferendas Alphõso rebus accisis suppetias, quàm uxoris nepos Henricus advolaret? Illi se adiunxêre duo Raymundi, alter Comes Tolosæ, & Sancti Aegydij (à pago, in quo clarum illius fanum visitur) alter Burgundius, Comitis Stephani, Clementiæ in Belgio Comitissæ, & Guidonis primum Viennensis antistitis, postea summi Pontificis sub Calixti II. nomen-

6

clatura,

clatura frater ; Quem ſcriptor ille dixit Comitem trans Ararim, quòd ea pars Burgundiæ Floriaco collata, trans Ararim ſita ſit.

7 Ergo Alphonſus Hiſpano milite, & advena cõſtipatus Mahometanum in turpem fugam compulit anno M. LXXXIX. & ut externos homines, quorum ſolertem, ac valentem operam in eo bello probauerat, apud ſe demoraretur, ſingulos filiarum nuptijs impedivit, quarum numero ex quinque uxoribus, & duabus concubinis, abundabat: Raymundo Burgundio deſpondit genitam ex Conſtantia Vrracam, eandemque Henrici patruelem. Cujus matrimonij causâ Rotericus Toletanus Henricum, & Raymundum patrueles dicit: quoto enim cognationis vinculo alteri conjugum adſtringimur, eodem cenſemur alteri alligari; Niſi malis Henrici & Raymundi patribus junctum par ſororum; Ipſos enim fratres eſſe non potuiſſe, in confeſſo eſt; cùm Raymundus, & Comes, & Comitis filius, Henricus Ducis filius, vel nepos extiterit, ut intelliget qui authoris illius verba penſiculatiùs trutinabitur vel recolet; illam partem Burgundiæ, cujus patrocinium erat penes Imperatorem, Comitibus: illam cujus penes Gallorum Reges, Ducibus obtemperaſſe.

Alphonſi VI. filiæ quibus nuptiæ datæ.

8 Raymundo Toloſano Eluiram, Henrico Therafiam pater in manum dedit, utramque ex Semena, ſiue Ximena Guſmania primariæ nobilitatis fœmina, primùm pellice, deinde in thorum ſtabilem ritè aſſumpta. Priori Raymundo dotalem Callæciæ Comitatum: alteri magnam vim pecuniæ: Henrico, ut præter cæteros ſtrenuo Luſitaniam, in qua frequentiores erant Maurorum excurſiones, nec obolo quidem vectigalem, ſed planè liberam, ſub Comitatus nomine addixit. Nullam enim patiebantur beneficii deductionem, vel Henrici merita, vel Alphonſi munificentia, quem ob effuſam largitatem, Hiſpani pertuſa manu Regem dictitabant.

Henrico jungitur Therafia Alphonſi VI. filia.

In dotem Henrico datur Luſitania. Sigeb. in Vita Henrici pag. 383 Vrſp. pag. 562

9 Hæc vera videntur Luſitaniæ aulæ incunabula, Caroli Magni, Imperatorum, Saxonum, Francorum & Britannorum Regum, Burgundiorum Ducum, ac proinde Norhmannorum,

Epitome genealogiæ Henrici.

& Lotharingorum (quorum confusæ nuptijs domus) ac tandem Hispanorum Regum imaginibus illustria. Exquisitior harum rerum probatio, pensum est scribētium annales, è quibus scio amicum, qui Belgicos meditatur, hæc prope diem limatiora editurum. Mihi satis sit rivum digito designare, & ad fontes uberiores lectorem transmittere.

10 Nihil Henrico fuit antiquius, quàm commissam sibi provinciam, quà pietatis monumentis excolere, quà armis amplificare. Conimbricam civilium conventuum caput, Braccaram Augustam rerum divinarum præsidem constituit, cui erat pro Antistite Gyraldus Cadurci natus in Gallia, ex familia Divi Benedicti, ob intaminatam vitæ seriem in Sanctorum curiam relatus. Cui & Conimbricensi Præsuli reditus ampliores addidit, templa augustiora suo sumpta exædificans. Viséo & Lameca Mauros Reges acie victos exigens, Beiræ Montes Mahometanæ perfidiæ sentibus expurgavit. Duplicem obsidionē viriliter Conimbricâ propulsavit. Portū Vrbem ad Durii fauces refarsit, & munivit, è qua, & adverso oppido Cale aliqui Portugalliam dictā putāt; vel quod æquius existimo, quia cæteris urbibus maritimis Mauro adhuc occupatis, Durius Gallicis navibus maximè frequentabatur. Vnde tota deinceps Lusitania dicta est Portus Galliæ, cum qua nostræ genti tanta fuit necessitudo, ut jure possis Lusitaniam Galliæ coloniā appellare. In ea urbe Pontificiam sedem Hēricus excitavit, quam eo exstincto uxor Therasia reditibus locupletem Hugoni Episcopo, & Canonicis commendavit. Fama quoque est, anno M. XC III. Henricum junctis cum socero Alphonso armis, Olysipone Mauros exturbasse, quam posteà conglobatis suorum ex Hispania & Africa copijs recuperârunt.

Lusitaniā ut ordinaverit Henricus.

Portugallia unde dicta.

11 Ne gentis adeò masculæ diuturniora semina deessent, Deo pijs cœptis adspirāte anno M. XCIV. Araducæ, (quæ nunc dicitur Guimaranium) puerum edidit fronte venustissimum Therasiæ, quem antiquo ritu ex avi patrisque nomine Alphōsum Henricium dixêre. Sed conceptum gaudiū (quæ est humanarum rerū labes) repentina contaminavit ægritudo: cùm Infantis

Alphonsi I Henricij ortus.

fantis pedes alter alteri ad calces indiſcretè cohæreret. Id tantũ dolorem Henrico incuſsit, ut quod anteà ſpoponderat, optimis diſciplinis imbuendũ tradere recuſaret Egæ Moniſio Lu- *Hegas Moniſius Alphonſi pædagogus.*
ſitano Equiti, à Gothis oriundo, cujus antiqua nobilitas, ac domus ſupra Durium celebratur. Moniſius tamen acerrimè adnixus, obſtinatum Henrici animum inflexit; Preces deinde, *B. Virginis beneficio pedum integritatem Alphonſus recipit.*
ac ſolemnia ſupplicia tota ditione indicens, potiſsimum Bea-
12 tiſsimam Virginem ſingulare innocentis infantiæ aſylum, arctiùs interpellans, in ſomnis vidit, ſe ab eo admoneri, ut puerũ ad montem duceret, cui nomen Carquere, Durio imminentẽ, Lamecæque vicinum; fore, ut egeſtis ruderibus in templũ incurreretur ſibi quondam dicatum, & in ſignum ſuo nomini ſacrum: Proinde omnia religioſo cultu apparet, vigiliisque ritè obitis, puerum aris imponat. Addũt annales diligentem pueri inſtitutionem à Virgine Moniſio mandatam, quem, & poſteros Chriſtus ad magnum ſui nominis decus, & perfidiæ vaſtitatem deſtinaſſet. Ad unguẽ omnia exequutus Moniſius, puerũ in ara ſolutis pedibus geſticulãtem reperit; unde hauſit Alphõſus ſibi, ſuisque ſemper fore pro aris depugnandum; & Henricus pietatem erga Virginem Matrem altè medullis impreſsit; eoque loco ſub Virginis tutela, & Nomenclatione Regularibus Canonicis cænobium exſtruxit, quod temporis flexu Conimbricenſi Societatis Ieſu collegio acceſsit.

13 Sub idẽ tempus univerſum Orbẽ Gothofredi Bulloni j. I- *Henrici ad Sacrum bellum profectio.*
roſolymorum Regis oppleverat fama, quæ Comitem Henricũ ita permovit, ut coëgerit laudabiliori pietate, quã cõſilio inducias cũ hoſtibus paciſci, & proprijs in apertũ diſcrimẽ obiectatis, in Syria expugnãda alienis commodis inſervire. Cum Hugone Luſignano, Principibusque alijs Borealibus ineandẽ expeditionem accinctis, Portu ſolvit. Byzantium appulſos in publicum mira amoris ſimulatione excepit Imperator Alexius Comenus, ſed clanculum Turcis prodidit, eos Græca fide, & odio in Latinum nomen ſubmonens, quo tempore poſſent, & artibus incautos, diverſosque (ſic enim gradi perſuaſerat) intercipere, ſed Henricus tutior arma inter

Turcica

Turcica, quam in aula perfidi Imperatoris, cujus aſtum ſerò agnouit, poſt ancipitem fortunam delatus Antiochiam, ſe adjunxit Raymundo Toloſano, qui inter primos ſacro bello ſe auctoraverat. Militari vtriuſque, & aliquorum Ducum peritiâ expugnata eſt Antaradus maritima civitas; quâ Toloſano in ditionẽ adſcriptâ, quippe qui eo bello omnes ſuæ fortitudinis miraculo ſtupefecit, Henricus ad piè deoſculanda Chriſti veſtigia, in Palæſtinam progreſſus, tantâ animi conſtantiâ Barbaros laceſsivit, quanto fidei ardore Luſitaniâ exceſſerat; quam tándem repetere ſtatuit, non ut ſegnè otium ſibi pararet, ſed ut veluti redintegratis nauigatione viribus, Mauros funditus exterminaret. Acceptas iniurias capaci pectore excoquens, ex itinere Byzantinum Imperatorem iterum convenit, à quo plures Divorum reliquias accépit, in ijs ſummi pretii brachiũ S. Lucæ, quod non minore religione in hujus expeditionis teſtem Braccaræ in Sacrario aſſervatur, quàm aliud ejuſdem Euangeliſtæ in templo maximo Valentiæ in Hiſpania Tarraconenſi.

Henrici geſta in Syria, & reditus in Luſitaniam.

14 Henricum ſeptem ſupra ſeptuaginta annos numerantem, infracta tamen ſenecta Aſturicam Auguſtam obſidione prementem medijs in conatibus extrema ægritudo occupauit, anno M. C. XII. Defuncti cadaver quantâ potuit pompâ Alſphonſus Braccaram extulit in ſacellum, in quo ipſe ſibi conditoriũ paraverat. Ibi jacuit ad annum M. C. XIII. quo Archipræſul Didacus Soſa ab eo originem trahens maximum templi ſacellum magnificè molitus, Henrici, Theraſiæ, & aliquot liberorum oſſa ad dextrum altaris cornu nobili Mauſolæo collocauit.

Henrici obitus & ſepultura.

15 Præter Alphonſum, Henrico peperit Theraſia Vrracam̃, & Theraſiam: Illa nuptias contraxit cum Vermoino Paëſio de Trava, Comite Traſtamarenſi: Hæc cum Ferdinando Mendeſio Callæciæ dynaſta. Ex ſtupro genuit Petrum Alphonſi, qui fratri Alphonſo in rebus dubijs ſtrenuè affuit, ut in expugnatione Scalabitana. Idem manu validus, Galliam, in qua diu militavit, ſui nominis celebritate implevit; ubi Divo Bernardo Clare-

Henrici proles.

Clare vallensi assuetus, fratri Alphonso impulsor fuit, ut Alcobaciam, opulentum cœnobium sub illius auspicijs exigeret; in quod se postea recipiens, nulla vi adigi potuit, ut sacris initiaretur; sed humili cultu vitam transigens, in præcipuo templi sacello conquieſcit.

36 Procero corpore, augusta facie, læto, vegetoque adspectu, flavo, crispantique capillo, & glaucis oculis fuit Henricus; tot animi & corporis ornamentis condecoratus, ut ubicumque natus esset, fortunam suo arbitrio fingere potuisset. Mauros continenti bello, septemdecim prælijs infregit. Lusitania, quam tunc domitam filio moriens reliquit, versus Austrum Mondâ fluvio terminata, Maurorum armis perstrepebat. Ad Eurum pacatior, Beiram & Transmontanam regionem complectebatur; ad Aquilonem, Interamnẽsem tractum, ita dictũ, quòd Durio ac Minio fluvijs contineatur; inde Loberiæ Castrum attingens, juxtà Pontem veterem in Callæcia, ad Astures porrigebatur; vectigalesque censebat Mauritanos Colliponis, & Nouarum Turrium præfectos, quos post parentis obitum deficientes Alphonsus non citra pulverem profligavit.

Statura, & lineamẽta.

Lusitaniæ fines sub Henrico.

FIDES AD HENRICVM COMITEM Lusitani Imperij fundatorem.

HVC ades, ô Henrice ingens: hîc Regna parantur
Apta tibi: natis hîc nova Regna tuis.
Te Tagus invitat fulvo pulcherrimus auro,
Et qui stellato vertice Monda fluit.
En tibi Regales Minius de flore coronas
Intexit: natis debita serta tuis.
Durius Hesperidum fluvius regnator aquarum,
Cornibus auratis in sua Regna vocat.
Terra aperit venas argenti dives & auri,
Oceanus liquidas pandit in alta vias.
Te Pomona vocat, te Flora, insignis olivâ
Te Pallas, Bacchus nectare, messe Ceres.
Cornipedes tibi dantur equi, quos lenibus auris
Parturiunt gravidæ, quà nitet unda Tagi.

Huc ades, ut bona sint, quot habet bona Lysia, Princeps,
Et mala conspectu sint bona summa tuo.

Respondet Henricus.

Degeneres animi damnosa per otia languent,
Et de desidia crimina fœda trahunt.
Carolus augusto cujus de sanguine nascor.
Quæ non Europæ grandia regna videt?
Geryonas savos, monstrosa cadavera, Mundo
Funere tergemino conspicienda dedit.
Non magis armatæ flammâ stridente procellæ
Straviſſent Maurum, quàm ruit ille manu:
Imperijs Roma imposuit sacra jura; triumphat
Latius Imperijs imperiosa fides.
Æmulus Herois, cujus de sanguine credor
Natus ego, patriæ tecta relinquo meæ.
Nec verò imperijs, regnique cupidine tangor;
Sed sacra me tantùm ducit in arma fides.
Illi ego, vel Mauris reddam sua regna, fugatis,
Aut etiam opposito corpore murus ero.
Vtraque conditio decus immortale parabit,
Quâ victor, pulchrâ quâ nece victus ero.

De Expeditione Hierosolymitana

Europa in media duro in certamine Mauram
Sæpius expugnans tinxerat arva nece.
Pergama fulmineo subverterat ardua ferro:
Diruerat multâ regia tecta face.
Imperio Reges spoliârat, civibus urbes;
Vix tot funeribus mors erat una satis.
Debellare Asiam rapit impetus igneus; Orus
Ille Palæstinas milite cinctus adit.
Bellum invadentem tremefacto pectore Mavors
Horruit, & trepido sic ait ille sono.
Huc Lusi de gente venit fortissimus Heros;
Haud alio, credo, est vis ea nata solo.
Perfida terribili qui subruit agmina ferro,
Querceta ut fulmen diruere alta solet.
Brachia si mecum, si dextram, & pectora mutet,
Qui Mars unus eram, Mars geminatus ero.

Mori-

Moriturus ad Natum.

Imperium fidei proferre potentibus armis
Gloria Principibus maxima: ſummus honor.
Ipſe ego dum vixi, dum rexit ſpiritus artus:
Fulmineo texi Marte, opibuſque meis.
Emorior, noſter pugnando Vicarius eſto;
Agmina terribili perfida perde manu.
Nate fidem donis, fidoque tuebere ferro,
Prima ſit hæc ſtudij cura, laborque tui.
Illi divitias, ipſumque impende cruorem;
Sic fecere atavi gentis origo tuæ.
Addat ad antiquos, quòd regna recentia fines,
Et ferro & meritis debeat illa tuis.
Accreſcunt, creſcente fide, ſuper æthera palmæ;
Incrementa fides quæ capit, æthra capit.

Tumulus Henrici.

Ne ſuper hunc tumulum teneros ſuperaddite flores;
Parcite vernantes ſpargere veris opes.
Sit roſa ſanguineos procul hinc imitata rubores,
Liliaque intactas vincere juſſa nives.
Non Arabum gratos ſitiens bibat urna liquores;
Durior hîc umbra eſt condita, blanda fugit.
Henrici Herois tumulum tegat æreus umbo,
Enſes fulminei, Pelias haſta, Chalybs.
Addite loricas tumulo, criſtaſque comantes,
Argolicos clypeos, ſpicula, ſigna, tubas.
Pro lachrymis roret marmor regale cruores;
Oſſibus his dulcis nectaris inſtar erunt.
Nam propè de tumulo pugnis exercita pugnas,
Et bella, & Martem Principis oſſa fremunt.



ALFONSVS PORTVGALLIAE REX I.
VIXIT ANN. XCI. OBIIT ANNO MCLXXXV.

ALPHONSVS I.

LVSITANIAE REX I.

ANACEPHALÆOSIS II.

1 TAM nobili ab ſtirpe, Comite Henrico proles æquè generoſa Alphonſus Rex naſcitur Araducæ, menſe Iulio, anni milleſimi nonageſimi quarti. Prima ab infantia non vulgaria Dei ac Deiparæ in ſe beneficia expertus; optimo præſagio, fore, ut tota ejus poſteritas Divino, ac Virgineo honori in totum orbem propagando militaret. Nam cùm infans oblæſis cruribus, fœdéque diſtortis in lucem prodiret, ita, ut de ejus vita, aut certè de ejus ad res bellicas, virtute actum ab omnibus putaretur: ejus pædagogus Egas Moniſius, in antiqua Luſitania primariæ vir nobilitatis, ſtrenuitatis, ac pietatis, tam multis ſuppliciis cumulavit ædem Magnæ Matris ad *Carquere*, ut appellant (fortè non ſine ipſius Numine Deiparæ ad has ſupplicationes impulſus) ut tandem exoraret, & alumno ſuo ſanitatem, Regnoque univerſo lætitiam ſingularem aſſequeretur. *Alphonſi ortus, & infantia.*

2 Ad annum circiter duodecimum ſub pædagogia Moniſij altoris ſui nō vulgariter profecit. Hinc ad arma ſtimulante ingenio, militarem artem excoluit, nemini ſecundus; ne dicam, facile primus. Sed cùm decedente Henrico Comite, varijs hinc inde bellis, & cum Mauris, & cum Legionenſibus, adoleſcens filius ageretur, fuit, qui putaret, unius animum Principis imparem fore tam multis bellorum molibus ſuſtinendis. Vnde hauſtâ fiduciâ Comiti Traſtamarenſi ad ducendam Theraſiā Reginam Alphonſi Matrē, eoque nomine ipſum Alphonſum bello laceſſendum. Sed adfuit in tempore Alphonſus manu impiger, & quamvis primo congreſſu ad Araducam parum feliciter dimicavit; tamē Moniſio in præſidiū ſuccedēte, inſtau- *Adoleſcens militiam aggreditur.*

ravit pugnam,& hoſtem profligavit;victo, & vincto Comite, qui,ut ferunt,pactus cum Alphonſo,ſuam ei ſororem Vracā uxorem collocavit. Quamvis aliter alij evoluant hujus hiſtoriæ ambages:cujus telæ certo filo texédæ,aut retexédæ munus penes Hiſtoricos reponatur.

Caſtellanus à Luſitano ſuperatus.

Glorioſas Rex Alphonſus ſub naſcentis Regni exordia victorias reportavit. Qualis illa de Caſtellæ Rege patruele ſuo ad Arcobrigam,quod oppidum appellant patrio vocabulo, *Arcos de Val de Ve-*,ubi cepit & Reginam Caſtellani Regis conjugem, & totū florem nobilitatis ,inter quos ſeptē comites: Rege ipſo nō ſemel exhauſtis viribus ſauciato. Cujus duces ſæpius profligavit. Obſidioni,quâ ad Araducam ab ipſo Caſtellæ Rege premebatur,nūquam ceſsit. Vbi Moniſius, bellum,ut exſtingueret,aut ſopiret, ſui Regis nomine planè inſcij , cum hoſte pactus eſt:ſed cùm Alphonſus pactionem,cui nunquam annuerat,irritam haberet: Moniſius ut fidem ſolveret,quam vita habebat cariorem, Toletum profectus,ſe,ſuamque conjugem,ac liberos Regi dedidit, lugubri omnes habitu indutos ; non ut mortem,ſed ut fraudis ſuſpicionem deprecarentur;parati omnes vel proprio eam ſanguine expiare. Et quamvis Regem Caſtellæ non parum initio offenderit reſciſſum fœdus, tamen tanta fide à Moniſio reſarcitum,maximè poſtea delinivit;imo ad beneficia Moniſio conferenda,quæ tantum facinus requirebat,excitavit. 3

Fides Moniſii.

Pax Auguſta capta, Conimbrica propugnata.

Albucaranum Pacis Auguſtæ, ſive *Vada olij* Regem ſuperavit Alphonſus,commiſſo prælio ad Trancoſum, patrocināte ſuis ad Deum precibus fratre Alberto , qui præerat Monaſterio Divi Ioannis Taroquenſi , ſtrenuè ſuſtinuit, ac repulit obſidionem , quâ Rex Eujunius anno milleſimo centeſimo decimoſeptimo Conimbricam oppreſsit, & non paucioribus copijs , quàm trecentis hominum millibus diu oppugnavit; donec oppidanorum animos majores, quàm vires admiratus, & fame,ac peſte,quæ toto exercitu graſſabantur,perculſus, ſpe abjecta rei bene gerendæ , urbem obſidione liberavit, magnâ 4

ſuorum

ſuorum clade,& ſui ignominiâ', nec minori Alphonſi gloriâ, qui ſub id temporis annum vigeſimum tertium agebat,minorem tam claris facinoribus ætatem.Colliponem quæ & *Leiria* dicitur,cepit ab hoſtibus,& amiſſam aliquando poſteà recepit. Turres novas, pluraque alia oppida ſuæ ditioni adjecit. Cæterùm anno centeſimo trigeſimo nono ſuprà milleſimum cum ſelecta militum manu in Tranſtaganam excurrit, agros incendit , pagos ſubegit , ferro ac face omnia vaſtavit.

Iſmarus. & quatuor alij Reges Luſitaniam invadunt.

5 Quæ omnia,cum Rex Iſmarus certis nuntijs comperiſſet, quidquid ubique hominum erat , Mahometano nomine interpoſito adjuravit,ut quàm primùm ad peſtem è ſuis terris propulſandam convolarent. Iuſſum,ac factum. Ecce tibi è Provincijs cis , & trans mare poſitis,tanta Maurorum nubes cogitur , ut indubitata fides fuerit , ſingulis Chriſtianis centenos Mauros congreſſuros. Tantum Maurorum exercitum ducebant quatuor Reges, excepto Iſmaro, qui his copijs ſtipatus,Alphonſum in agro Orichienſi ad prælium requiſivit , ſacro Divi Iacobi pervigilio, anni centeſimi trigeſimi noni ſupra milleſimum.Collocatæ utrinque acies ; Mauritana viſu horribilis præ multitudine militum , quibus agros occupabat ; Luſitana ad millenos tantum equites, & pedites decies millenos contracta,magnâ in Deum fiducia,cujus cauſam agebat, implebatur. Sub noctem hujus diei Alphonſum adijt è proximo ſacello Eremita , ſpectatæ vir probitatis, qui præſago ſpiritu bene ſperare jubens, prædixit in craſtinam lucem victoriam de Iſmaro reportandam , præmonuitque , ut cælo primum albeſcente , cùm ad unius pulſum cymbali exciretur , de tentorio exiret , quidquid cælum in theatrum daret , ſpectaturus. Alphonſus Deo ritè gratulatus,antelucano cymbali ſonitu , ut præmonitus fuerat,excitus,foras è tentorio erumpit. Ecce tibi ô prodigium! adſpicit è cælo Chriſtum optimum maximum eâ ſpecie, quâ olim fuerat in crucem actus , qui eum benevolè affatus,

Alphonſo Chriſtus apparens Luſitana ſtemmata oſtendit.

affatus, ac ſingulari munere proſequutus, ſcuto quinis vulneribus interpuncto, quale poſteà Luſitaniæ reges in regium ſtemma cooptârunt, monuit ut deinceps Regis titulo, ita petentibus, ac bene faventibus civibus, uteretur. Hinc illam pietatem ac religionem, quâ ſacroſanctam Chriſti Domini Crucem ſemper coluerat, deinceps non mediocriter auxit; in cujus honorem, tãtiq́ue beneficij perpetuam recordationem, dicitur auguſtiſſimum illud Sanctæ Crucis cænobium Conimbricæ erexiſſe, & locupletaſſe.

Caricbiensi victoria perta Alphonſus Rex cõſalutatur.

6 Hoc cæleſti ſpectaculo bene animatus Alphonſus, ſuos milites ſacris myſteriis ritè expiandos, obarmandosq́ue curavit, quibus ipſe præluxit primus omnium ſacrâ exomologeſi perfunctus, & Euchariſtico cõvivio refectus. Igitur compoſito agmine prælium aggreditur, auguſtiori præditus animo, quàm humano, quippe quem à Deo hauſerat, cuius partes tuebatur. Pugna à prima luce uſque ad meridianam nunquam intermiſſa, ſtetit cælo maximè æſtuante: Donec favente Numine victi hoſtes, & multò plures quàm numerari poſſent, interfecti. Haud dubium, quin hæc Victoria omnibus quarumcumque gentium celebratiſsimis comparanda, & nulli ſecunda videatur. Victor Alphonſus, exactis tribus in acie diebus, Conimbricam repetijt, fauſtis ſuorum acclamationibus inauguratus Rex, & ampliſsimis tam multorum hoſtium ſpolijs locupletatus, geſtiente urbe, & pari victoriæ gaudio triumphante.

Scalabis expugnatur

7 Hinc, cùm jam annus centeſimus quadrageſimus ſeptimus ſupra milleſimum ageretur, Scalabim ex hoſtibus cepit, magnum precum præſidium afferente Divo Bernardo; qui ſub id temporis totam Galliam vitâ ac doctrinâ illuſtrabat; cujus famam exemplis ac miraculis inclytam acceperat Rex Alphonſus à Domino Petro fratre ſuo, recens è Gallia huc appulſo. Quare cùm Scalabim oppugnaturus ſtructo milite incederet, votum Deo nũcupauit, ſe, ſi Bernardi precibus adjutus, oppidum caperet, totum terrarum tractum, qui à Collipone in mare porrigitur, ad cœnobium ejus ordinis exſtruẽdum, libentiſsimè

tissimè dedicaturum, ut posteà voti reus dedicavit. Nam partâ victoriâ Nonis Maij, quæ sacrum Divi Michaëlis diem antecedunt, quinto ab egressu è Conimbrica die sine ulla suorum jactura, & cum ingenti hostium strage, augustissimum illud cœnobium Alcobaciæ regiâ planè munificentiâ exstruxit, adjecto agro, quem spoponderat, multis pagis, atque oppidis frequenti.

8 Sed, quia unius decus victoriæ ad plures alias auspicandas ducem pariter, ac militem accendit; Rex Alphonsus maturandum ratus, militem collegit, ut quidquid oppidorum inter Scalabim & mare interjaceret, præsertimque Olysiponem occuparet. Orsus igitur à vicinoribus, ut sibi sensim præsidia acquireret, hostibus intercluderet, arces Mafrensem & Cintrensem in lunæ promontorio sitam expugnavit. Ex hac, quæ longè lateque prospectus habet in mare, incidit oculis in classem centenis quinquagenis navigijs conflatam, in ipsum, in quo erat, promontorium adnavigantem; præmissis exploratoribus accepit, classem esse ex Germaniæ, Galliæ, Angliæ, ac Flandriæ populis collectam; in qua multi erant proceres & summates sub uno Principe Guilielmo *Delonga Espada*; omnes uno studio incitati, ut Deo militarent, & in ejus obsequium Mauros ultra mare insequerentur: quò facilibus auspicijs ferebantur. Alphonsus optimam capiendæ urbis opportunitatem nactus, eam & Deo gratulatus est, & Guilielmo indicavit, esse in proximo, quod in longinquum requirebant; Mauros Christiano nomini infensiores nullos esse, quàm quos Olysipo nutriebat; in hos irruerent, si pro Deo militabant.

Aliæ arces Mauris capiuntur.

9 Tandem consilijs ultrò citroque habitis, decretum, ut urbs quàm primùm terrâ marique obsidione cingeretur. Acta res est. Totos quinque menses duravit obsidio, magnis utrimque incursibus, impressionibus, stratagematis, & alternantis aleæ successibus memoranda: ut in re tam difficili de tantis ducibus ac militibus, alijs pro tuenda vita, alijs pro adipiscenda gloria præliantibus dubitare fas non est. Quamvis earum rerum certiorem notitiam nobis annorum injuria abstulerit, nec scri-

Alphonsus auxilio Ducum Borealium Olysiponem capit

ptorũ diligẽtiâ reſarciverit, vitióne dicã illius aureæ Luſitaniæ, an ſtudio proniorꝛis facere ſcribenda quã ſcribere legenda? Denique cùm annus illius Chiliados centeſimus quadrageſimus ſeptimus ageretur, decimo tertio Kalendas Novembris, is erat ſextus hebdomadæ dies, Criſpino, & Criſpiniano ſacer, ultima fit in urbem impreſsio, & irruptio, patefactâ eâ portâ, quam vocant *D'Alfama*, quæ ad Luſitanos ſpectabat. Sed oppidanis in extremam aleam convolantibus, & ſpem ex deſperatione nutrientibus, recrudeſcebat prælium. Numerum occiſorum noſtrates Hiſtorici tacuerunt, ſed nonnulli externorum ad ducenta millia numerârunt, propter vim præſidiariorum militũ, qui ſubindè ad erant, & integri, ac recentes, feſsis ac languentibus Mauris ſuccedebant. Sub ipſum obſidionis tempus impiger advolavit Alphonſus, ut auerteret ingens Maurorũ agmen obſeſsis præſidium affuturum, niſi prope Scalabim in tempore everteretur. In cujus memoriam ſtragis tunc ſacellum Magnæ Matris, nunc Virginum cænobium ſub primo Divi Franciſci inſtituto excalceatis pedibus militantium ædificatum.

Henrici cuiuſdam Germani Sanctitas, & miracula.

Inter accolas, qui expugnandæ urbi interfuerunt, fuit Henricus natione Germanus, patria Hiponenſis propè coloniam, morum probitate ſpectabilis; Is in expugnatione occiſus, & in templo Divi Vincentij ſepultus (erat tunc is locus commune Luſitanorum in prælio cadentium ſepulchrum) magnis miraculis illuxit, uno de plurimis memorando. Fuerunt in ea externorum hominum claſſe duo à primo ſtatu, loquendi, audiendique facultate deſtituti, Henrico non ignoti. Vterque ejus ſepulchrum adeuntes, & patrocinium implorantes, quo ſuarum remedium ægritudinum inuenirent, ſenſim obdormiſcunt, cùm ſubitò objicitur Henricus peregrino habitu, & palmari baculo inſignis, in morem eorum, qui Hieroſolymitanam peregrinationem feliciter abſolverant; & paucis alloquutus, in vobis, inquit, martyrũ qui hac humo tegimur meritis, divinitus indulta ſalus. Nec plura. Hic evanuit, illi ſuis redditi ſenſibus evigilârũt, mirãtibus cæteris, qui experimẽto ipſo didicerunt, mutos, ac ſurdos divinas audire, ac reddere laudes.

Paucis

Paucis post diebus mortuo Henrici famulo, ex plagis, quas
11 in prælio acceperat, & sepulto in eodem Divi Vincentij templo, procul ab Henrici sepulchro: ecce tibi sub noctem Henricus in somnis visitur homini longævo illius sacræ ædis curatori: paucisque affatus, Evigila, inquit, ac meum famulum è suo tumulo erue, & conde meo; ut qui mihi vivus ac mortuus adhæsit, adhæreat & sepultus. Senex parendi negligens iterum admonetur, ac tertiò, sed iam duriùs, ac minaciùs; nisi jussa exequatur. Quare territus expergiscitur, & imperium maturat magno cum labore: suo functus munere somnos repetit, & matutinus evigilat, virium tam integer, quàm si nihil laborasset.

Aliud Henrici miraculum.

Sed cùm Deus clarioribus adhuc argumentis hujus sanctitatem equitis manifestare vellet; ad caput sepulchri, in quo situs erat, visa est palma, illis non absimilis, quas ex Hierosolymitana peregrinatione referre solent peregrini: quæ germinare primùm cœpit, & frondere; ac tandem ad justam altitudinem perducta, ægris omnibus salutaris evasit. Nam sive carptum ex ea surculum è collo appenderent, sive reliquum ex ea cinerem poculo haurirent, quocumque morbi genere laborarent, sanabantur: donec usque ad ultimas fibras, ac radiculas in ægrotantium medicinam jugiter ex ea legëtium exstirpata est. His miraculis Alphonsus singulariter animatus erga illos Martyres (sic enim appellabant) qui eo prelij occubuerant, & eo loci dormiebant, quoties aliquâ valetudine tentabatur, illuc oraturus convolabat, nec longa mora convalebat.

Salutaris palmæ in Henrici tumulo nata.

Cepit deinde ex hostibus Alphonsus Turres Veteres, Obi-
13 dos, Ierabricam, quam *Alemquer* vocant, & reliqua oppida Cistagana. Anno verò sexagesimo secundo supra millesimum, cum sacer Divi Andreæ illuxit dies Trans Tagum Iuliã Pacẽ duce Ferdinando Gonçalo expugnavit. Quarto pòst anno, cũ jam illius sæculi sexagesimus sextus intercurreret, capta Ebora, equite in primis nobili, ac strenuo, cui nomen Geraldo sine pavore, urbis ingressum moliente: Paulò post ipso Rege Alphonso auspice capti Serpenses, Maurenses, & Alcochenses,

Cis, & ultra Tagum multa oppida Mauris eripiuntur.

nunc in Lusitaniæ, & Castellæ confinio siti: Erepta quoque Mauris armorum vi Salacia, Heluii, Coruche, ubi Rex dirutam arcem refarcivit; Sed anno ejusdem sæculi sexagesimo quinto, cùm Rex jam ageret septuagesimum secundum, arcem Cisimbram victor invasit, & imposito præsidio communivit. Cogitavit de Palmellensi arce occupanda, quam natura loci situ sed liderat pæne inexpugnabilem. Quare cum sexagenis equitibus bello impigris, paucisque sagittarijs illuc advolat, circumspecturus propugnaculum, & quà in illud pateret aditus, exploraturus. Quod cùm ageret, repentinus adest Rex Pacis Augustæ cum comitatu equestri ad quatuor millia, pedestri ad sexaginta: qui omnes magnis itineribus, & agminibus parùm compositis, ut Cisimbricæ arci præsidio forent, festinabant. Alphonsus ubi se Maurus dedit obvium, irruit tã strenuè, ut primo incursu plures occubuerint, cæteri terga verterint, inopinatâ vi exterriti, & Alphonsi nomine tunc omnibus terribili perculsi, & plures Lusitanos, quã re ipsâ adessent, suspicati, metu semper, ut solet, majora veris pericula fingente: & ut errorem ex errore necterent, qui ultimi fugiebant quocumque vertebant oculos, non suos sibi adesse Mauros, sed Lusitanos existimabant: hac eos suspicione præcipites agente, & in ipsum exitium innodante. Alphonsus ponè sequens gnaviter vellicabat fugientes: plures in mortem egit, in servitutem non pauciores: omnium impedimenta cepit, & amplissima spolia reportavit. Re cognitâ Palmellenses Mauri exanimati, pacem orant, & oppidum pro vita paciscuntur.

Alphonsi cũ Legionensi Rege dissidium.

Paucis pòst annis quædam inter duos Reges Alphonsum Lusitaniæ, & Ferdinandum Castellæ, hunc generum, illum socerũ turbellę inciderunt. Quo tẽpore (is erat annus ejus sæculi septuagesimus nonus) cepit Alphonsus Pacem Augustã quod oppidũ, quamvis re ipsâ Maurorũ esset, jure tamen acquisitionis ad Regem Legionensium spectabat, qui suum jus reposcẽs, & ab Alphonso repulsus, magnâ militum vi aggreditur Pacem Augustam, ubi tunc erat Alphonsus. Is promptus accurrit, ut suos cum Legionensibus jam congressos tueretur, sed 14

cùm

cum urbis limine eques exiret; fortè in oſtij peſſulum, quod paululum eminebat, tanta cum violentia crus impegit, ut illud inde non modò graviter ſauciatum, ſed ferè comminutum referret; quin tamen ab incepto deſiſteret, ut ſuis auxiliaturus advolaret. Sed cùm equus graviter vulneratus inter fata rueret, & toto corporis pondere in crus læſum incumberet, illud fœdius attrivit, & penitus laceravit. Quare morantem ex vulnere Alphonſum cœpit Rex Ferdinandus, belli jure hoſtis, affinitate gener, charitate, & benevolentiâ erga victum Regem planè filius. Initæ ſtatim pactiones; ut Rex Luſitaniæ remitteret Legionenſi Regi partem Galleciæ, Minio, & Caſtello, quod vocant *de Lobeira*, interjectam. Additum ut cùm primùm Alphonſus ſanitati reſtitutus equo uteretur; Ferdinandi vocatui promptus accurreret, debitam victori Regi obedientiam delaturus. Sic è cuſtodia dimiſſus Alphonſus, in Luſitaniam redijt: ubi è vulnere convaleſcens, nunquam ampliùs adduci potuit, vt equum conſcenderet, ne pacti reus, obnoxij Regis imperio ſubderetur; ſed deinceps quamdiu vixit, curru ferebatur.

Pactiones inter utrumque Regem.

15 Anno illius Chiliados centeſimo octogeſimo primo, cùm Alphonſus octogeſimum ſextum ageret: Albojachius Hiſpalenſis Rex ex Alphonſi infortunio optimam rei bene gerendæ occaſionem arbitratus collecto ex tota provincia Bætica exercitu, Scalabim invaſit. Quod cùm reſciſſet Ferdinandus Rex, quamvis adhuc ſubacerbo animo eſſet in Alphonſum; tamen publicæ utilitatis ſtudio incẽſus, & ſtrictę affinitatis officio inductus, armato milite in præſidium accurrit: ſed currenti Regi cæleſte auxilium prævolavit. Nam Alphonſus eâ nocte, quæ prælium anteceſsit, precibus tranſactâ, & tutelari Angelo, Archangeloque Michaële in patrocinium enixè implorato, bonam in ſpem erectus compoſito agmine proceſsit in certamen ſuo invectus curru. Ex quò tam feliciter dimicavit, ut cæſis pluribus, non paucioribus occiſis, cæteris omnibus fuſis fugatisque, ampliſsima de omnibus ſpolia reportaret. Ferunt, in ipſo præliandi ardore, viſum fuiſſe circa

Rex Hiſpalenſis ab Alphonſo funditur.

Angelorum Auxilium Alphonſo adeſt.

Regem Brachium alatum, quod Regem in quamcumque partem se committeret, sequeretur; tantamque in hostibus ederet stragem, ut facile esset colligere, illam vim fuisse humanâ augustiorem. In cujus cælestis prodigij recordationem auspicatus fuit Rex illum ordinem equestris militiæ, Abala nuncupatum, cujus insigne est Ala purpurea in orbem aureum inclusa. Rex Ferdinandus cum non procul abesset à Castris, certior de Maurorum strage, misit, qui socero suo Alphonso de parta victoria gratularetur, diceretque, se quoque in auxilium venisse; sed quia sua opera necessaria iam non esset, in patriam redire. Pares gratiæ ab Alphonso genero referuntur.

Alphonsus regni molē in Sancium exonerat.

16 Hæc, cùm ita essent, vidit Alphonsus quâ ætate, quâ indole, quibus optimæ naturæ dotibus filius Sancius efflorescceret; & in quantam gloriam optimis patriæ, & avitæ fortitudinis exēplis animaretur. Quare in Regni Principem, & hæredem inaugurandum curavit, & cum magna militum vi in Transtaganā regionem transmisit, Mauros ex Bætica provincia exacturus. Quam ille rem felicissimè confecit. Nam anno centesimo octogesimo tertio supra millesimum, eò peruenit, ut ipsius Muros Hispalis quateret. Cùm enim Mauros aperto Marte funderet, & Regio vexillo spoliaret, tandem ad urbis muros coëgit fugientes, tam multis in fuga interemptis, ut Bætis non aquas agere, sed sanguinem videretur. Sancius fusis hostibus, se in locum, ubi illi castra fixerant, recepit: ex quo magnas prędas auri, argenti, equorum, & plurimæ id genus supellectilis corrasit. Sed cùm sub id temporis comperisset, Pacem Iuliam ab hostibus circumdatam, promptus accurrit tanto successu, ut non solùm urbem obsidione solveret, sed etiam hostilem exercitum profligaret, duobus ejus Principibus Alboazile, & Halicanze interfectis, plurimis in servitutem missis, amplissimis spolijs relatis.

Sancius Hispalis muros quatit.

Miramolinus & multi alij Reges ab Alphonso, & Sancio cæduntur.

17 Cùm jam Rex Alphonsus nimio senio confectus esset, utpotè annum nonagesimum ingressus; ecce tibi Miramolinus Marrochiensis Abenzacobus cum alijs Regibus socijs, qui omnes terni deni numerabantur, exercitu è regionibus citra, & ultra

ultra mare positis collecto, quo majorem antiquissima hominum memoria etiam à primis sæculis repetita nullum vidit, Lusitaniam invadit, & Principem Sancium Scalabi commorantem obsidione premit: cui ille quinque dies strenuè reluctatus, nullis potuit, aut machinis, aut incursibus, quamvis dies, noctesque continuò ingeminarentur, expugnari. Quod cùm resciret Alphonsus, quantum potuit, militem raptim coëgit, & Sancio festinus adfuit in auxilium. Quare uterque simul in hostem irruunt tanto impetu, ut majorem nobilium partem interfecerint, nõnullos è fœderatis Regibus occiderint: ipsum Miramolinum tam graviter vulnerârint, ut paucis pòst diebus è vivis tolleretur. Hoc fuit Alphonsi Regis extremum facinus: ubi non minus virtutis specimen senex edidit, quam ediderat adolescens.

18 Adhuc tamen ulterius suorum operâ ducum glorioſas de hostibus victorias reportavit. Qualis illa fuit quam Fuazius Ropinus consequutus est de Rege Gami, qui simul cum fratre, ac numeroso exercitu, interea dum Sancius in regionem Transtaganam excurrebat, ipse Cistaganam vellicabat. Quare oppidum non procul à Tago, *Portum De Mos* appellant, unde paulò ante exierat Ropinus auxilium quæsiturus, dura impressione invasit, sed cùm pari oppidanorum vi repelleretur, nox diremit prœliantes, hinc obsessos, illinc obsidentes, quos bello fatigatos, & de quolibet infortunio securos, cùm arctior, quàm solebat, sopor oppressisset, adfuit in tempore Ropinus cum præsidio, & antelucanus aggreditur incautos. Et quò angustioribus locis Mauri claudebantur, hinc fluvio, illinc castello interspti, eò facilius à Ropino præcipites in exitium agebantur. Partâ demum victoriâ Ropinus, Regem Gami, & ejus fratrem, aliosque quinquaginta de primaria nobilitate viros bello captos, muneris loco Regi offert; qui munus, & humaniter excepit, & liberaliter rependit. Idem Fuazius Ropinus novem Maurorum triremes, quæ maritimam oram infestabant, ad Barbaricum promontorium nauali prœlio aggressus, feliciter pugnavit, cæsis Mauris, & captis triremibus; quæ

A Fuazio Ropino Rege Gami cum fratre captus.

Prima navalis Lusitanorum victoria.

quæ fuit prima victoria navalis, quam Lusitani reportârunt.

Gonçali Mendij à Maja vires, & acta.

Floruit sub id temporis Gonçalus Mendius à Maja, quem 19
vulgò appellabant patrio, & Lusitano vocabulo *Eidador*, & quem sibi Egas Monisius generum adsciverat. Is fuit adeò virtute clarus, ut cùm strenuissimis quibusque, qui toto orbe floruerunt, comparandus videatur; viribus sic excelluit, ut quamlibet munitissimam armaturam aut ictu rumperet, aut certè ita funderet, & molliret, ut introrsum ageret, & in corpus gestantis conderet: atque utrovis modo eum, qui armatus concurrebat, graviter sauciaret. Quas vires ad nonagesimũ quintum ætatis annum, quo vitam extraxit, conservavit. Eadem dexteritate senex, quâ juvenis, prœliatus. Sed cùm à Rege Alphonso præficeretur belli dux, ijs locis, quæ Mauris sunt è regione; & quæ primos eorum impetus excipiunt, ac refundunt; clarissimas victorias reportavit: uno aliquando die, duplici è certamine triumphator.

Moleimarus & Rex Tingitanus à Mendio victi.

Semel quidem congressus cum Moleimaro, strenuo duce, 20
eo successu, ut cùm intentis uterque hastis in se invicem incurrerent, uterque ictus impatiens, & retrorsum actus, ac lethaliter sauciatus ad terram affligeretur; Mauris tamen omnibus, aut in necem, aut in fugam, aut in servitutem datis. Iterùm, cùm se ex hoc prœlio victor reciperet, incidit in regem Tingitanum Aliboacemum, mille equitum globo stipatum, & certus prœliandi suos monet, ut se in pugna cadente (neque enim longiorem vitam sperare finebant lethalia vulnera, quæ gestabat, & quæ multo sanguine defluebant) suus gener Egas à Sosa dux belli admitteretur. Sic Mauros firmiori animo, quàm valetudine adorsus, in primo statim congressu cecidit, toto cruore exhaustus: sed milites prout eum quisque nobilitate propior attingebat, ex ducis interitu acriores effecti, ne illius cruorem in ultum abire paterentur, majora, quàm dici potest, facinora ediderunt; & unius mortem ducis omnium strage hostium compensârunt: cada veri autem tanti viri majoribus confosso plagis, quàm humana vis ferendo esset solemni ritu ab omnibus

paren-

parentatum. Huic non abſimiles duces, dubium non eſt, illâ tempeſtate plurimos floruiſſe; quorum nobis memoriam temporum invidia, & ſcriptorum penuria abſtulerunt.

21 Et quidem, cùm Alphonſus rebus bellicis tam diligenter incũberet: tamẽ pijs ac religioſis nihilo ſegnior vacabat: quidquid enim temporis à bellorum tumultibus reliquũ habebat, totum id in monaſterijs templisque ædificandis collocabat. quorum numerus ad centum quinquaginta fertur perveniſſe. In quibus recenſetur auguſtiſsimũ illud cœnobium Conimbricenſe à Sancta Cruce nuncupatum; quod tam amplis cenſibus locupletavit, ut ex ijs poſteà Conimbricenſis Academia, nulli ex ijs, quæ in Hiſpania ſunt, opibus ſecũda, dotaretur. Par Alcobaciæ monaſterium exſtruxit; cui tantas contulit opes, quantas, ut ſuprà diximus, ſpoponderat, cũ Scalabim expugnaturus acceſsit, ſi voti compos evaſiſſet. In quo ferunt tã multos monachos vixiſſe, ut nullo, neque diurno, neque nocturno tẽpore à Canonicis precibus recitandis otium daretur, alijs atque alijs ſibi invicem in orbem ſuccedentibus. Monaſterium quoque Sancti Vincentij Olyſipone, pluraque alia, & à primis fundamentis erexit, & amplis facultatibus cumulavit.

Ad centum & quinquaginta tẽpla, & cœnobia, ab Alphonſo erecta.

22 Anno ætatis quinquageſimo ſecundo, Regni iniți ſeptimo, ſalutis humanæ, centeſimo quadrageſimo ſexto, ſupra milleſimum, uxorem duxit Maphaldam filiã Amadæi Comitis, & ejus conjugis Madamæ Guigonis. Ex hac ſuccepit plures filios; primũ omnium Henricum, ſed teneris annis ſublatum; Sancium qui patri in Regnum ſucceſsit, Reginam Vracam, quæ Ferdinando Legionenſi Regi nupſit, quorum poſtea conjugium, Pontifice minimè diſpenſante, diremptum eſt. Theraſiam, Philippo. 1. Flandriæ comiti nuptam, quam Flandriæ ſcriptores Mathildem vocant. Præterea filium nothum Alphonſum, Rhodienſis militiæ magiſtrum, excelſo virum animo, & arduis rebus agitandis promptum, qui certis de cauſis ſe à Magiſtratu abdicavit, & in Luſitaniam reſtitutus, obijt anno milleſimo ducenteſimo ſeptimo, in templo Divi Ioannis Scabi ſepultus. Quem aliqui Petrum Alphonſi, ſed immeritò

Alphonſi uxor, & liberi.

appellant. Habuit tandem & notham filiam nomine Therasiã Alphonsi, quæ Sancio Monio, avo comitis Mendi, cognomine *Sousam*, in matrimonium data est.

Alphonsi corporatura, & animi dotes.

23 Fuit Alphonsus eleganti forma vir: qui totius oris gravitate militarem severitatem præferebat, capillo flavo, & promisso: labris turgidis, ac rotundis; vultu, naribusque oblongis: prægrandibus oculis, & flavis; à fronte in senio recaluus; Nihilque in eo visebatur, quod non majestatem, & celsitatem animi spiraret. Ob eximias virtutes, liberalitatem, æquitatem, pluresque id genus, quibus eminebat, amori erat civibus, terrori hostibus. Fidens animi in rebus arduis; & tanquam alter Scipio, quidquid animo decreverat, factum putabat, ut sæpè rerum exitus probavit. Animi & corporis viribus cum optimis quibusque ducibus comparandus. Gladio tam feliciter utebatur, ut quocumque præliando se converteret, obvios quosque longè lateque demeteret. Studia pietatis non minus coluit, quàm armorum. Quare magnis perfunctus honoribus, clarus triumphis, dierum plenus, & cum eximiæ opinione sanctitatis obijt Conimbricæ anno millesimo centesimo octogesimo quinto, cùm ipse annum ageret nonagesimum primum. Elatus ad cœnobium Sanctæ Crucis, & in privato sacello tumulatus: unde postea procurante Rege felicis recordationis Emmanuele, translatus est ad insigne mausolæum, in quo hactenus asservatur: ubi ob eximia visa, oracula, & prodigia, quæ alijs atque alijs temporibus contigerunt, magna sanctitatis opinione celebratur.

Sanctitas, & miracula Alphonsi.

24 Vnum non omittam præ cæteris memorandum. Nam, cùm aliquando religiosi omnes illius cœnobij cultores matutinis precibus vacarent; ecce tibi medio in odæo visitur Alphonsus, in morem militis armatus, & clarâ voce eos, qui aderant, alloquutus, monet, sub id temporis Septam à nostris captam esse, se cum filio Sancio ex divino nutu illuc advolasse, & Ioanni Regi, ac cæteris Lusitanis id præsidium attulisse, quo urbem facilè expugnarent. Quibus dictis majorem ante aram profundè se inclinat; mox ad latus Euangelij

redens.

recedens, ſubito ex oculis evaneſcit; cunctis, qui aderant, ſtupentibus; & poſteà temporum rationes ſupputantibus, facta dictis conformia deprehenduntur. Erat in eodem cœnobio tunica quædam linea, qua Rex, abjecto prius gladio, indutus, ſe in Canonicorum ſocietatem, divinis officijs affuturus, ingerebat. Hanc quiſquis æger attingeret, ſanabatur. Tandem ad Alphonſi, tanquam ad ſanctiſsimi hominis ſepulchrum ingens concurſus fieri ſolebat, illis fortè miraculis excitus, quæ ibi patrari dicebantur; & quæ à curioſis rerum obſervatoribus notata, facilè movere poſſent Luſitaniæ Reges, ut cum ſummo Pontifice agerent de Alphonſo Rege in Divorum ordinem referendo.

AD ALPHONSVM HENRICIVM PRIMVM LVSITANIAE REGEM.

E Gregio felix nato pater; ille parente:
Alter ab alterius nomine nomen habet.
Pectore in alterutro pietas viget æmula; factis
Grandibus amborum, regnat ovatque Fides.
Præterit Heroas genitor virtute superbos;
Præterit Heroas moribus iste suis.
Imperium profert genitor Mavortius ense;
Imperium profert filius ense suum.
Proluit ille manus Maurorum sanguine; Natus
Sanguineo Mauri proluit imbre manus.
It comes ingenti genitori Astræa, comesque
It nato, lances cui dat habere suas.
Solus habere potes talem natum optime Princeps;
Ille potest talem solus habere patrem.

In celeberrima Alphonsi facta.

Quicumque admirans Alphonsi antiqua trophæa,
Sparsaque per geminos fortia facta polos:
Vis atavo similes, vis fortiter esse nepotes,
Accipe quæ forti gesserit ille manu.
Vidit in Europam, Libyam transisse, trisulci
More per Hesperias fulminis ire plagas.
Pectore fulmineo Libycis ruit obvius armis,
Magnanimo Libycas pectore fregit opes.
Colla manu Regum fractâ cervice recidit,
Tergeminas memorant obstupuisse plagas.
Sanguine quos tinxit, fecit pinguescere campos:
De nece punicea discolor herba venit.
Hinc titulos capit, & spoliis exultat opimis;
Nomine campus adhuc parta trophæa refert.
Præfuit Imperio, & validis pugnabat in armis;
Consilio ductor, robore miles erat.
Post bella & palmas discernere, nescio, partes
Egerit an melius militis, anne Ducis.

CHRI-

CHRISTVS SVA ALPHONSO OFFERT vulnera in insigne Regni Lusitaniæ.

In Cruce Christus adest, Regique apparet: in hostem
Dum tendit, visus taliter ore loqui:
Vulnera nostra tibi Rex, sint insignia; vici
His quondam: Vinces: clara trophæa feres.
His duro è ligno mutare coëgimus orbem,
Cùm ferrugineos sol niger egit equos;
His, duce cum stygio, stygias tremefecimus umbras,
Et dedit exuvias Styx tremefacta suas.
Imperium mortis fractum est, mors victa catenis
Torua triumphales ducitur ante rotas:
Tartara cesserunt, cessit mihi Mundus, & Æther,
Visa ubi sunt membris vulnera facta meis.
Glorior his signis, teque his insignio, Princeps,
Sit tuus æternum, me duce, noster honor.

Alphonsus ad Christum.

Hesperia & Libya coire in fœdera: Mauri
Arma ferunt, siccant flumina: nutat humus.
Tota mihi de te pendet victoria; Gentes
Contra tam validas non satis ista manus.
Debeo cui multas vitam unam consecro, gratam
Plus mihi; multarum quò magis instar erit.
Quò magis ante oculos mors obversatur & hæret,
Hoc magis horrendos detrahit illa metus.
Pareo, seu victor, seu victus, & alea Martis;
Quò magis incerta est, spes mihi major adest.
Vtraque sors titulos feret, aut quia vicimus hostem,
Aut neco quod mortem mortuus ipse meam.

De victoria Orichiensi.

Vidit ut undantem vindex Bellona cruorem,
Et super Orichium corpora fusa solum.
Flumina purpureo transcendere sanguine ripas,
Cæsaque Maurorum corpora, cæsa Ducum.

Trucis

Trunca peremptorum ſqualere cadavera Regum,
Signaque per noſtras plurima capta manus.
Hic jacet Heſperijs, inquit, caſa Africa campis,
Lyſiaque exſtinctis cæde parentat avis.
Aut eadem hanc tantam gravis haſta peregit Achillis
Aut Lacedæmoniæ dura per arma manus.
Fulmina Scipiadum, Marcellorumque lacerti,
Coclitis, aut Fabij dirus in arma furor.
Nutrijt Heroum quidquid, vel priſca vetuſtas,
Hanc tantam effudit per rubra ſola necem;
Vel qui ſolus agit tantum Regumque, Ducumque
Cunctorum Heroum viribus inſtar erat.

GRATVLATIO AD OLYSIPONEM liberatam.

Vrbs tibi, quam fulvo dives Tagus alluit auro,
Vix ſimilem Europe vix dabit ampla parem.
Regia magnanimûm famoſa vocabere Regum,
Pectora qui ſervant Lyſia more patrum;
Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces
Lyſiadum magnis Regibus omen erit.
Hic prima aſſurgent Regnorum exordia; Reges
Hinc claro è ſolio regia jura dabunt.
Clara bonis, ſolio plus clara videbere Regum,
Augebunt vultu qui tua dona ſuo.
Hectoreos animos alieno in pectore cernes,
Pelidaſque alio nomine, Marte pares.
Martia quot Martes ſine nomine Martis habebis;
Quorum Mars armis præferat arma ſuis.
Græcia poſthabitis ſua ſceptra offerret Atridis,
Regibus his faſces Gallia læta daret.
Inclyta Scipiadis, Decijs, & Cæſare Roma.
Hos plusquàm Reges vellet habere ſuos.

Alphonſi tumulus.

Quis jacet hic? Mavors. Quis Martem exſtinguit? Ab armis
Non perit; exſtinxit Martia corda pudor.
Dum videt Alphonſum ſe olus potuiſſe, pudore
Concidit; exequias mors inopina parat.

Ne foret in toto vulgata infamio Mundo,
In tumulo nullas finxit iniqua notas.
Quas malè praterijt, tumulo super addere fas est;
Namque sub Alphonso, est grande perire decus.
Mars minor hic situs est, hunc Mavors sustulit ingens,
Si quibus interijt, quaritis arma? Pudor.



SANCIVS PORTVGALLIAE REX II.
VIXIT ANN. LV. OBIIT ANNO MCCXII.

SANCIVS I.
LVSITANIÆ REX II.

ANACEPHALÆOSIS III.

1 OBIIT in terris tandem, atque in cælos abijt Alphonsus Henricius Lusitanorum Regum uti primus, sic sane maximus: quem belli gloria, triumphorumque magnitudo pariter, ac multitudo non unum inter heroas modò gentium, sed etiam Herculi Martique fabulosis parem & sua illa ætas suspexit, & in omnem æternitatem consequentes deinde admirabuntur. Doluit ergo Lusitania, quantum exstincto sole, mœret orbis noctis caligine consepultus. Recens enim erat Regnum, paulò ante in terris natum, & adhuc tenebatur in cunis, velut orbus parente infantulus. Cæterùm uti multis alijs, ita hoc nomine felicissimus Regum atque Imperatorum Alphonsus exstitit, quòd in superos abiens, sui quàm simillimum reliquit filium, qui dolorem Lusitaniæ de parentis sui obitu, si non omninò abstulit, certè magna ex parte lenivit, in virtutum Regnique insignia succedens: dignus ille paterno, & quorumcumque alio terrarum Imperio florentissimo. *Obitus Alphonsi Henrici.*

2 Natus est Sancius Conimbricæ die 11. Novembris anno 1154. ubi etiam educatus usque ad decimum quartum ætatis, atque omnibus, quæ decent Principem, egregijs disciplinis, bellicâ maximè, instructus, magistros habuit viros, qui in quaque laude præstantissimi toto in Regno florebant: omnium tamen potissimum Regem ipsum Alphonsum, ex quo patre didicit puer virtutem, verumque laborem. Tantumque profecit, ut optimos quosque Mundi Principes, seu pietatem erga Deum, seu dexteritatem in moderando subditos, seu militarè peritiam, invictumque in bellis animum consideres, aut adæ- *Sancij ortus.*

quaſſe,aut fortè ſuperaſſe crederetur. Etenim vivo adhuc patre,tam ſub illo militans,quàm ſolus exercitum ductans, aliquot in prælijs cum inſigni laurea victor exſtitit: quale fuit illud toto orbe celeberrimum juxta Hiſpalim in Bætica, cujus Regem aperto marte vicit tam numerosâ Mahometanorum cæsâ multitudine,ut Bætis fluminis aquæ Saraceno ſanguine rubefactæ per magno continenter ſpatio devoluerentur. Opportunam verò nacti occaſionem Barbari(quibus tunc Hiſpania ſcatebat) quod abſcedéte Principe Sancio cum flore roboréque Regni ad bellum Hiſpalenſe, Luſitania omni præſidio deſtituta,& cuilibet injuriæ videretur expoſita;duo Mahometanæ gentis duces Halicarnaſi, & Alboazil ingentibus copijs inſtructi advolârunt, primoque Pacem Iuliam obſederunt. Rem ubi reſcivit Sancius, triumphato jam Hiſpalenſi Rege ac Regno,in Luſitaniam quàm ocyſsimè ſigna retulit ad urbis ſuæ obſidionem depellendam; quod & præſtitit feliciſsimè. Hoſtes quippe aggreſſus,memorabilem comparauit victoriam, Saracenis pæne omnibus partim cæſis, partim captis, atque illorum caſtris cum ingenti theſaurorum affluentia direptis.

Sancij prælia vivo patre.

Ad Hiſpalim.

Ad Pacem Iuliam.

Dein congreſſus cum Legionenſium exercitu, atrox prælium commiſit. Vbi quidem utrimque ingenti mole concurſum,& ambiguo eventu diſceſſum: Sed illud portenti ſimile, quod Scalabi Sancius edidit. Inundaverat tota pæne Africa in Luſitaniam,ferro, flammáque omnia Marrochiorum Imperator Miramolinus,cum tredecim ſimul Regibus in auxilium adſcitis,tamque infinito bellatorum numero, quantus ad eam usque diem ex Mauritania in Luſitaniam nunquam affluxerat. Diceres,locuſtarum campis examina ſubſultare,aut ad ſolis lucem atomos, aut adventi flatum in littore arenoſum pulverem volitare. At Sancius incredibili felicitate molem obſidionis ſuſtinuit,infatigabilem atque importunum Barbarorum impetum ſæpius illuſit:demumque,accurrente in auxiliũ patre Alphonſo,in apertum Martem erumpens,Saracenos fudit fugavitque:Miramolinum ipſemet haſta transfixit, transfixum.

Ad Scalabim.

fixumque peremit. Reges aliquot in prælio trucidati; pauci ductorum ac militum è tam numeroso exercitu effugerunt: castra directa, immensa auri argentique copia, tentoria, arma, equi, captivique in prædam Lusitano cesserunt.

Diem obijt Alphonsus Rex die 9. Decembris anno 1185. ac triduo post Conimbricæ Sancius Rex salutatus, cùm tricesimum secundum ætatis annum ageret. Ac primum quidem omnium, cùm jam tota Lusitania Mahometanæ gentis sordibus expurgata paululùm ab armis quiesceret, animum Rex applicuit ad pacis munia; Regnique emolumenta. Horrentes enim saltus, condensasque sylvas aratro proscindi jussit: sataque fieri, quæ prius invia homini, & solis habitata feris. quà per montes, quà per valles, quà per agros & compita sylvescebant. Distribuit igitur ad culturam prædia, & latifundia cultoribus, in singulos annos aliquali tributo impositio. Tam strenuè intentus agriculturæ, ac si unam hanc artem (vir alioqui in armis, & ad arma natus) à parentibus didicisset: tantisque Regiæ munificentiæ favoribus cumulavit agrorum cultores, ut vulgò Regem agricolam appellârint. Eadem subinde regalis providentiæ sedulitate Regni architecturam aggressus, Barbarorum oppida bello capta, & semiruta in meliorem statum reduxit: multa, quæ ferrum & flammam Mahometanam passa in solitudinem abierant: complures urbes, oppida, castella partim restituit, partim denuò ædificavit, & egregiè communivit, atque habitatoribus adornavit. Militares ordines locupletavit magnificentissimè, maximè ordinem equitum. S. Iacobi recens in Hispania institutum; cui locupletando & nobilitando pinguissimos reditus, prædia, oppida ad alendos ac decorandos equites assignavit. Quod Regis beneficium ad equites sancti Benedicti, & sancti Ioannis pariter extensum est.

Rex inauguratur.

Rei agrariæ incumbit.

Regnum ædificiis nobilitat.

§ Agebatur annus à Christo nato millesimus centesimus octogesimus octavus: quo tempore cùm ex omnibus Christianæ gentis provincijs ad expeditionem terræ sanctæ fidelium bellatorum innumerabilis certatim confluueret multitudo, Principes aliquot ex Dania, Frizia, Belgioque, trium & quin-

Classis Belgica, & Aquilonaris Regem adiuvat.

quaginta navium classem armis & bellatoribus insigniter adornatam conscenderunt in Christianam illam expeditionem. Cæterùm vi tempestatis, aut verius, Dei beneficio acta classis, in Olyssiponis portum subintravit. Aderat ibidem Rex Sancius, qui tam generosos piosque hospites Regali commeatu excepit ac recreavit. Dein classiarios affatus, pium istum & virilem animum laudavit: sed tamẽ, inquit, ô egregij Duces ac milites Christi, quid in Palæstinam ad sacrum bellum contenditis, quod hic ante oculos habetis? En undique Mahometanis cingimur & oppugnamur. Hos mecum impetite, hos invicti animis expugnate: his debellandis pulchram & piam cum sanguine vitam pariter effundamus.

Vrbs Sylvensis in Turdetania Mauris ereptur.

Acclamatum subito est in Regis consilium: atque ab omnibus ad expugnationem destinata est Vrbs Sylvensis in Algarbiorum Regno (Turdetanos ibi Romani constituerant) illo quidem tempore florentissima & munitissima: pactumque est constitutum inter Lusitanum Regem & classiarios; ut si feliciter succederet expugnatio, urbis quidem ditione Lusitanus, spolijs autem bello captis Aquilonaris miles potiretur. His ita constitutis, extera illa classis in Algarbia enavigat. Comes Mendus à Sosa cum valido Lusitanorum militum apparatu ad destinatum locum terrâ iter capessit: dein Rex ipse Sancius ponè sequitur cum reliquis legionibus. Classem præterea quadraginta navigiorum, in quibus erant triremes, biremes, ac mioparones, armis & milite instructam simul eôdem remittit. Tantæ molis erat eâ tempestate Sylvensem urbem Algarbiorum Metropolim expugnare. Cœpta est oppugnatio urbis terrâ marique, incredibili tam oppugnantium quàm propugnantium virtute ac pertinaciâ: demumque Mauri deditione factâ urbem (ut erat) opulentissimam ac munitissimã Regi tradiderunt; pacti vitam ac vestitum, quem quisque mallet, ditiorem. Classiarijs hospitibus maximarum opum tota cessit & integra præda: qui salutato Rege classem Saracenis onustam divitijs, Regisque Lusitani muneribus decoratam, ad inceptam navigationem converterunt. Lusitanus urbe con- 6

tentus,

tentus,& amicis gratanter peramanterque dimissis,Olyssiponem se se recepit. Anno id factum juxta nostros annales 1189. juxtà Gallicos anno præcedente.

7 At neminem patitur uno,præsertim felicitatis statu,fortuna diu consistere:nec alium Lusitanorum Regum,alternantibus se se humanarum rerum eventibus, utramvis in partem, aut magis exercitum,aut validius constantem Lusitania cõspexit. Enimverò anno nono supra millesimum centesimum, octogesimo,Marochiorum alter Imperator etiam Miramolinus Sobamhecef ad ulciscendos prædecessoris à Sancio peremptimanes, & prioris ignominiæ labem abolendam,Lusitaniam simul cum Regibus Cordubensi & Hispalensi armis & milite instructissimus invadit. Tripartitò Barbari Lusitanos aggressi: Hispalensis Algarbia suscepit expugnanda,& post fœdam,quâ incedebat,editam stragem,obsedit Sylvensem urbem. Miramolinus per Anam ingressus,transitoque Tago, populabũdus ad Castellum Turrium novarum accedit, quod ægrè munitũ pacto vitæ fecit deditionem. Cordubensis Transtaganam regionem (quam propriè ac peculiari nomine Lusitaniam veteres dixerunt)adorsus contendit Eboram, aquâ utpotè egregiè communita,Barbarus turpiter illusus in vineas, oliveta, segetesque furorem convertens, fœdo cuncta incendio absumit: inde suas cum Miramolino adjungit legiones. At Sancius non minus Regis prudentiam, quam ducis constantiam in tanto rerum discrimine præ se ferens, cum se imparem viribus, licèt non animis,tam numeroso, tamque armato hosti videat,non temere in apertum Martem procedit; sed expeditus & impiger opportunè,ubi res exposcat,cum milite,cum armis,cum commeatu,omnique subsidio laturus opem, accurrit. Cæterùm Deus omnipotens Regis,Regnique pietatem respiciens, & amans, contrà Barbarum & infidelem hostem de cælo pugnavit. Immissa quippe contagione, infinitam propemodum Saracenorum absumpsit multitudinem: coëgitque lues infandam illam Mahometanæ gentis colluviem in patrias sedes recurrere.

Multis infortunijs Sancius vexatur.

Mauri ingruunt in Lusitaniam.

Feriatus à bellis Rex Sancius, multa dein graviora sustinuit discrimina, quibus humana quæque providentia, & constantia planè succumberet, nisi divinâ ope fulciretur. Conjurasse quippe illa ætate contra Lusitaniam totius Mundi machina visa est. Cælum pluviarum insolentia disrumpi: continuatis longo tempore imbribus terra, instar maris exundare: haustis aquâ segetibus, decussis arboribus, plantisque omnibus pertinaci nimborum impetu absorptis, miseranda rerum omnium ubique species; aquarum inundatio in extremam subinde telluris siccitatem desijt: quâ omnis terræ cultura præpedita est. Igitur inopia & fames congestis illico mortalium funeribus strata passim compita, & vias, ad horrendum juxtâ, & deplorandum spectaculum, vivis, qui aderant, ostentabat. Ac superstites quidem non minus horrori erant, ac dolori. Visebantur in miseris squalidæ frontes, contractæ atque in feralem mœstitiam dejectæ, conditi introrsum oculi, genæ depressæ in lacunas, ora tabo pallentia, inanes faucium sinus, ventres macie collapsi: tota denique species prope cadaverosa. Sic vivi miseram trahebant vitam, ut viderentur mortui ante mortem, & ante sepulturam jam sepulti. Denique ob tam insolitam cæli intemperiem, corruptumque terræ aërisque halitum, vulgari cœpta est lues, quo indies glisente malo, tota ferè consumpta perijt Lusitania. Vrbes nudatæ cultoribus mœrebant; pagi & oppida in solitudinem redacta: rari, qui vitam ægrè traherent, toto in Regno visebantur. 8

Mauri multa oppida recuperant.

Harum calamitatum fama excitus Rex Hispalensis eo tempore potentissimus, ingenti conflato exercitu, terrâ marique Lusitaniam ita convulsam ac moribundam impetivit: libereque, atque impunè toto Regno volitans Mahometanæ crudelitatis incendio cuncta exscindebat. Salaciam Romanis olim dictam, & habitam urbem imperatoriam facili negotio cepit: Palmelam, Cizimbram, Almadam, nobilissima oppida, sed incolis exuta, incendit. Inde in Algarbia convolans Sylvensem urbẽ obsedit: pauculi defen- 9

sores

sores auxilium à suis multo tempore frustrà expoſcentes, cùm impetrare non possent, pacti vitam, & omnem substantiam, Mauro urbem dediderunt. Coactus ergo tantâ in se unum conspiratione factâ calamitatum Rex Sancius pacis inducias in quinquennium cum Saracenis constituit, quo suis interim (qui superfuerant) Lusitanis aliquod posset levamentum impertire. *Pax ista cum Mauris.*

10 Pace utrimque confirmatâ anno 1199. prodigiosa quædam solis defectio contigit, quâ post hominum memoriam ferè nullam vidit ac sustinuit Orbis horribiliorem. Hunc verò tam insolitum mundi laborem, multiplex & horrenda hominum calamitas consequuta est. Crebri & conglobati pluviarum defluxus, insani motus terræ, fœdissimæque in mari procellæ: quibus malis octo integros annos laborasse dicitur Orbis terrarum. *Solis insignis defectio, & eius effectus.* At quietus per inducias à Mauris bellum subinde Rex Sancius cum Legionensi Rege Alphonso habuit, vique aliquot Gallæciæ loca expugnavit. Porrò invitatus ab alijs, suaque sponte vehementer impulsus ad expeditionem terræ sanctæ, obsistente demum Regno tantis malis fesso, suis & votis & animis bellum illud sacrum anhelantibus satisfacere nequaquam potuit. Missis tamen ex Regali munificentia pecuniæ subsidijs Hierosolymam Christianorum bellum studuit promovere. Præterea cõplura oppida, ingẽtesque reditus attribuit militaribus ordinibus paulò ante in Regno institutis, utpote hospitalis sancti Ioannis, ac Templi in reparationẽ Dominici sepulchri: qui omnes provẽtus à Magistris & Prioribus Ordinum quotannis exacti in singulos remittebantur ordines. *Bellum cõtra Legionenses.* *Bellum sacrum pecuniis promovit.*

11 Verùm enim verò Principibus alijs in bello terræ sanctæ feliciter occupatis, ne Sancius videretur minus aut robore vegetus, aut strenuus animo, aut bello impiger, aut infensus in hostes Fidei Christianæ, suo ipso in Regno impatiens otij & quietis, finitis jam, sive disruptis, quæ intercesserant, inducijs, construxit exercitum, ductansque ipse *In Mauros arma susc itantur.*

ipse vicinos Bæticæ fines ferro ac flammâ depopulatus peragravit. Ingruente jam hyeme, se domum recipiens, Castellum Serpæ constanti obsidione presit: Barbaros multis præliis victos, & grandibus affectos cladibus omninò debellasset, nisi obortis tempestatibus, & importunis pluviarum influxibus, castra tollere, atque abire cogeretur. Cæterùm ubi tot malorum disserenavit tempestas, divinæque vindictæ portēta quieverunt, vt pro tranquillatis terrâ & mari, regnoque ad priorem incolumitatem restituto, aliquam Sancius benevolentissimo Deo gratiam rependeret: in hostes Dei ipsius arma commovit, aliquid pro amplificanda Christianæ gentis Republica lucraturus. Helivos urbem in Lusitania per celebrem, sed à Mauris jam inde à multis seculis occupatam, constantissimè oppugnavit, ac feliciſsimè expugnavit. Hoc fuit Sancio Regi postremum in bello facinus, anno 1200.

Heluij expugnantur.

Sancij V. xor, & Liberi.

Vivo adhuc patre Alphonso, Princeps Sancius duxit uxorem Dulcem, sive Aldonsam filiam Ramonis Berengarij, Comitis Barchinonensis ex legitima conjuge Petronilla, filiâ & hærede Ramiri Regis Aragoniæ, qui fuit monachus, susceptā. Aldonsa novem Sancio filios peperit, quorum octo superstites patri mortuo exstiterunt; videlicet Princeps Alphonsus primogenitus, qui patri succesit in Regnum, natus die, qui sacer est D. Georgio anno 1185. Fernandus anno subsequente, qui sanè Princeps maximarum virtutum famâ percelebris in Flandriâ accitus; duxit uxorem Ioannam Comitissam. Hic bello à Gallorum Rege captus, dein libertate donatus, domi suæ quietus obijt; Deinde Petrus, qui fuit Comes Irgelensis, & Dominus Balearium, ac Legubæ nulla sobole relictâ mortuus; Henricus, cujus mortem immaturam pater vivus vidit ac doluit, ac Conimbricæ in templo Sanctæ Crucis sepelivit. Et hæc Sancio masscula proles, fœminea longè felicior & glorioſior exstitit. 12

Thareſiæ nuptiæ, & fœcunditas.

Quinque nimirum filias de Aldonsa suscepit Sancius, Thareſiam, Mafaldam, Sanciam, Blancam, Beringelam. Ac Tareſia quidem sororum natu maxima nupsit Alphonso Legionen- 13

sium

fium Regi ſuo conſobrino. Quod tamen matrimonium, quippe abſque ſummi Pontificis diſpenſatione malè & iniquè cõtractum, poſt ſuſceptos jam tres liberos, tandem diremptũ eſt. Ergo Regina in patriam ſe recipiens, Parthenonem Lorvani jam ædificatum, magna ex parte ædibus, reditibus, atque inſtitutis amplificavit. In eo vitam egit & obijt ſanctiſsimam, jacetque in ſepulchro marmoreo. Ejus ſanctitatem permulta miracula ad ipſius ſepulchrum edita conteſtantur. Hoc autem ipſo anno 1617. aperto ſepulchrali marmore, viſum eſt Reginæ corpus integrum, ac pęne vividum, veſtitus recens ac nitẽs; ſola Religioſi habitus ora tantulum calce obſolverat; calcei velut primâ illâ horâ conſuti ſplendebant. Ergo contactu reliquiarum Reginæ, compluribus utriusque ſexus morbi depulſi, & reddita valetudo.

Eius corpus modo integrum repertum.

14 At Mafalda nupſit Henrico primo Regi Caſtellæ: ſed quia ſine diſpenſatione Pontificia in vetito ſanguinitatis gradu malè contraxerant, iccirco publicâ ſententiâ disjuncti. Inde Mafalda Aroquam propè Lamecam urbem ſe abdidit; ubi monialibus Ordinis Ciſtercienſis poſuit monaſterium. Quod Rex Alphonſus Mafaldæ frater ampliſsimis reditibus nobilitavit. Glorioſior tamen illi Parthenoni commendatio acceſsit ex ipſius Reginæ ſanctiſsimæ, quæ ibidem vixit, exemplo & corpore, quod ibi quoque jacet ſepultum.

Mafalda item nuptiæ, & ſanctitas.

15 Diem obijt Mafalda die 2. Maij anno 1290. in pago juxta Amaranthum, cui nomen Fluvius tinctus. Reginæ teſtamentum, quod etiã nunc à monialibus in ſummo pretio habitũ ſervatur, dignum eſt & magnificentiâ, & pietate ſane regiâ, quo prægrandis pecunia pauperibus ac pijs locis legatur. Plurima in Portuenſis urbis maximo templo, & magnifica exſtruxit: propterea crediderim, quòd à primis illud erexerat fundamentis Mafalda Regina Alphonſi Henriquij cõjux, & magnis reditibus locupletaverat; hodieque in illo veneratione magnâ aſſervatur inter ſacras reliquias capitis ornatus. Abraganenſe cœnobium prope Tamagam fluvium conſtruxit; aliud item, quod à Sãcto Capite, multis quidem miraculis claro (quanquã

Mafaldæ opera pietatis plena.

cujus fuerit,nõ ita liquidò conſtet)vulgò nomen habet:Hujus Principis opus fuit pons ille , qui Durium jungebat *Par Deus* nuncupatus ; Nunc viatoribus ſcaphâ gratis tranſitum præbet publico ſumptu à Mafalda in tam pium opus legato; & ab ipſa re *Scapha de par Deos*, id eſt, propter Deum ab indigenis dicitur; alius item pons ad oppidum *Canaveſes*. Illa Aroquam primo urbis nomine decoravit, quam Parthenoni ejus intuitu poſteriores Reges ſubdiderunt. Annonam, quæ duodecim viduis ſingulis menſibus partiretur, æternis reditibus comparatam teſtamento legavit. In monte eo tempore vaſto & inculto hoſpitium inſtituit ijs reditibus,ut iter illac inſtituẽtibus lectus ſterneretur, & cætera omnia gratis apponerentur: atque in eos uſus homo conduceretur, qui noctu errantes dato ſigno viæ admoneret,interdiuque ad certa loca,quæ à fontibus maximè aberant,propinandã viatoribus gelidam comportaret. Pleraque tamen decurſu temporis aut exſtincta prorſus interiêre,aut vix obſcuram tantæ Principis memoriam retinent.

Mafaldæ ſepulchrum & incorruptio.

16 Decrevit Regina ſuum uti corpus ſepeliretur nudum amictu,ſupra tabulam cinere conſperſam,ac deinde grandi ſuo cilicio ad ſtaturam corporis coopertum;ij tamen quibus componendi ad ſepulturam cadaveris fuerat demandata cura, velo bombycino ſubnigro illud amicierunt. Multis claruit ille locus ob Mafaldæ ſanctitatẽ miraculis, maximè hoc ipſo anno 1617. cùm de mandato Regis Philippi II. Illuſtriſsimus Epiſcopus Lamecenſis Martinus Alphonſus Mexia ſepulchrum ſanctiſsimæ Reginæ aperuit,ſeptimo die Auguſti. A priſco illo tempore ad noſtram uſque ætatem Aroquę & Amaranthi cõſtans fama tenet,cùm obitum inſtare ſibi certa foret,imperaſſe Mafaldam, ut defunctum corpus mulæ impoſitum ibi demũ tumularetur,ubi brutum animal ducente nullo pergendi finẽ faceret:celebris famę teſtes laudant oppidani arcuatos fornices è quadrato lapide egregiè elaboratos, qui inter Aroquam & Amaranthum exſtãt, eaque ſignant loca,in quibus,Reginę ſanctæ (ita indigenæ Mafaldam appellare conſuevêre) aliquas moras cadaver fecit. Aroquam devenit mula, Parthenonẽ adit,

templi

templi intima penetrat, & coram Divi Petri ara flexis genibus sistit tandem, ibique postquam depositum fuit corpus subito disruptam obijsse, à majoribus suis accepisse se incolæ contestantur.

17 Multis, qui aderant testibus reseratum est sepulchrum, inuētumque Mafaldæ corpus nudum supra tabulam, cinerem ac cilicium, illo eodem pacto compositum, uti Regina testaméto mandaverat, velum quoque bombycinum, quod superadjectū fuerat à ministris. Visebatur ergo integrum corpus, cùm tamē nullo fuisset unguentariæ artis subsidio delibutum; facies carne coloreque sic vivido ac florido, ac si eâdem ipsâ horâ vivere desijsset. Aliquot in partibus corporis nihil carnis, sed ossium tantummodo aliquid apparebat. Igitur occluso itidem loculo, quàm potuit fieri maximâ fidelium pompâ, sanctissimæ Reginæ corpus in commodiorem locum translatum est. Denique Episcopus formâ juris consuetâ diligenter inquisitionem habuit de multis atque insignibus, quæ in ore omnium facta versabantur, miraculis, cùm in monialium, tum laicorum utriusque sexus vota precesque ad sepulchrum Reginæ, aut ad ipsius reliquias; quippe cum eo loci ad Reginæ veneratione innumerabilis confluere undequaque fidelium soleat multitudo. Neque verò pauca divinæ virtutis & Reginæ sanctitatis miracula præsente Episcopo patrata sunt, quæ omnia idem suâ testiumque auctoritate confirmata ad Regem Catholicum remisit. Quo tempore sepulchri moles reserabatur, mirâ odorum suavitate fragrasse templum quotquot aderant, affirmant constantissimè. Aliquæ præterea è sacris virginibus dulcissimos se concentus audivisse contestantur, cùm tamen, ut magna adhibitâ diligentiâ compertum posteà fuit, neque musica aliquis pulsaverit instrumenta, neque cecinerit: quare sibi nec temere persuasum habent, sacri corporis manifestationem cælesti harmoniâ gratulatos fuisse Angelos, in quorum semper obsequium propensa fuit; venerabaturque præcipua animi devotione sanctissimum Trinitatis mysterium, & patronos sibi delegerat Apostolos duodecim, quibus accepta

Mafaldæ conditorium reseratur.

Mafaldæ miracula.

ſemper retulit, quæ à Numine ſuſtinebat beneficia.

Sanciæ, & Blancæ Sancij filiarum ſors.

Poſt Mafaldam nata eſt Sancia, cui attributum eſt nobile 18
oppidum Alanquer ſive Ierabrica; in quo, cùm vivus adhuc in terris eſſet, ſanctiſsimus Patriarcha Franciſcus illius Ordinis cœnobium ædificavit, quod inter omnia Franciſcana, quæ in Regno infinita propemodum exſtructa videntur, primum, & antiquiſsimum etiam nunc perſiſtit. Poſuit etiam monialibus Sancti Bernardi celebre illud cœnobium propè Conimbricam (vocant Cellas:) ſepulta verò eſt in gynæceo Lorvaniẽſi. Blãca in Caſtella, ubi Caraccam, (quæ hodie putatur *Guadalaiara*) poſſedit, diem ſuum obijt; indeque (ut teſtamento mãdaverat) Conimbricam in cœnobium Sanctæ Crucis corpus illius deportatum, ibique ſepultum eſt. Poſtrema omnium Beringela, quam ſoror Thareſia loco filiæ in Lorvani Parthenone educavit, innupta Virgo ceſsit è vita, & juxta ſepulchrum patris Sancij jacet ſepulta. Iſthæc tota fuit legitima proles Regis Sancij.

Illegitima Sancij proles.

Porrò poſt obitum Reginæ Aldonſæ anno 1198. viduum 19
agens Sancius (quæ ſolet eſſe in magnis Principibus infirmitas) aliquot mulierum amoribus implicatus, illegitimos ſuſcepit liberos. De Maria quidem Aneſia de Fornelis Vrracam Sanciam, & Martinum Sancium, qui apud Alphonſum Regem Legionenſium valuit plurimùm, maximisque honoribus bello paceque affectus, nullâ relictâ ſobole defunctus jacet Coſinis, in pago Ordinis Sancti Ioannis Provinciæ campeſtris. De Maria Pacenſi de Ribera filiam ſuſtulit Thareſiam Sãciam, quæ nupſit Alphonſo Tello (ut vocârunt) Seniori; & AEgydium Sancium, qui mortuus eſt in cœlibatu; & Conſtantiam Sanciam, quæ monaſterium Sancti Franciſci exſtruxit Conimbricæ ad Mondæ ripam, jacetque prope ſepulchrum Sancij patris: Denique Rotericum Sancium, qui occubuit in illo memorabili prælio civili, quod antiquitas celebrat, commiſſum inter ipſos Luſitanos prope urbem Portuenſem: viſiturque ejus ſepulchrum in cœnobio dicto. Gryo.

Fuit

Fuit Sancius Rex mediocri ſtaturâ, ſucco & carnibus ple- *Sancij, ſtatura, & mores.*
nus, membriſque toroſis. Lata illi & liberalis ac plane regia facies: os aliquanto craſsius atque protenſius: oculi prægrandes & ſubnigri, ſed ſubtriſtes aliquantulum: capillus ſpadicei coloris, & ad nigricantem vergentis. Fortunatiſsimus exſtitit in prælijs adverſus Mahometanos feliciſsimè geſtis, qui de hoſte ſæpiùs (ut vidimus) triumphavit. Rex inſigniter Catholicus & pius, Deoque (ſi prolem ſpuriam tollas) quàm deditiſsimus: pectore magnanimus, robore ſtrenuus, judicio prudentiſsimus: ſuorum Luſitanorum egregius amator, aut (veriùs dixerim) pater, inimicus otij & ignaviæ, nec ſubditos otiari patiens, uti laboribus exerciti, ac terræ colendæ negotijs diſtenti, ab omni peccandi occa- *Sancij clades ex neglectu Cenſurarum.*
ſione alienam immunemque vitam traducerent. Cumque unus ex optimis Luſitaniæ Regibus exſtiterit, multis tamen & gravibus fortunæ caſibus pertentatus, hauſit non ſine ſenſu doloris, etſi alioqui animo invicto, & nullis fracto malis, Regni ſui extremas propemodum calamitates, peſtis, famis, tempeſtatum, terræmotuum, quibus integra oppida, magnæque urbes partim collapſæ, partim nudatæ cultoribus in ſolitudinem abierunt. His ergò calamitatibus uſque adeò convulſæ ac debilitate ſunt Luſitaniæ vires, ut bellatori Principi non eſſet unde ad arma delectus fieret, quo poſſet maximis infidelium copijs in Luſitaniæ perniciem cõſpirantibus obſiſtere. Ac optimi quidem rerum æſtimatores tam multiplicem malorum cõſpirationem ab irato Deo irrogari cenſuerunt. Quippe Rex obſtinato animo adverſus Pontificias cẽſuras filiam Thareſiam locârat in matrimonium Alphonſo Legionenſium Regi, ſuo ex ſorore nepoti, idque abſque diſpenſatione Summi Põtificis: quapropter multos per annos tam Luſitani quàm Legionenſes in pœnam ſuæ contumaciæ ſacris interdicti perſtiterunt, atque adeò Regum inobedientiam Deus omnipotens ſeveriſsimè, ſed juſtiſsimè, utriusque Regni deplorandis ſtragibus, expiavit.

Vixit Rex Sancius ad quinquageſimum ſeptimum ætatis

Aetas Sancij, & testamentum.

annum: regnavit viginti sex annos. Cumque totam ferè vitam in bellis & mille infortunijs transegisset, immensos tamen planè regalis opulentiæ reliquit in morte thesauros, in quibus magna auri argentique facti & infecti, gemmarum, & pretiosissimæ supellectilis copia visebatur. Quæ omnia partim in pauperum eleëmosynas, opera, & loca pia, partim in filios tam legitimos quàm illegitimos distribuenda legavit, ultra ea, quæ singulis in hereditatem pinguissimam assignavit. Nullum in toto regno aut cœnobium, aut templum cujusque urbis maximum, aut ædem & locum pium, in tam larga sanctaque magnificentia prætermissum esse voluit. Innocentio IV. Summo Pontifici centum auri pondera legavit, suppliciter ab eodem postulans, uti suum testamentum, quod biennio ante obitum sanus & integer, pleno ac maturo judicio condiderat exequendum decerneret. Denique pro debitis & regiæ conscientiæ oneribus, si qua fortè ullo in tempore deprehenderentur, ritè solvendis, sexaginta duo millia & quingenta aureorum destinavit.

Sancij Obitus, & sepulchrum.

Conimbricæ post diuturnum & gravem morbum obijt anno 1212. Iacet sepultus in templo Sanctæ Crucis, in sacello maximo ad læuam altaris, cui Mausolæum paterno persimile Rex Emmanuel exstrui atque in eo condi corpus illius mandauit. Porrò quandocumque legitur vivis apparuisse Rex Alphonsus Henriquius, uti contigit in expugnatione Septę, aliasque sæpè, filium cum patre Sancium simul adfuisse commemorant. Quod quidem peregregium argumentum esse, atque haberi debet sempiternæ beatitudinis in cœlo, quam Rex optimus in vita promeruit continuis & gravissimis bellis ac laboribus pro Christi Domini fide atque obsequio contra Dei & Christianæ Ecclesiæ adversarios pio & infatigabili animo susceptis?

12

AD

AD SANCIVM ALPHON. SI PARENTIS AEMVLATOREM.

EDite ab Alphonſo Rex inclyte, magnus ut eſſes,
Sat tibi magnanimi gloria patris erat.
Non tibi viſa ſatis facta immortalia patris,
Immortale addis patris ad acta decus.
Patris ad exemplum Maurum, Rex magne, fatigas,
Lyſiadum in regnis nec ſupereſſe ſinis.
Indixere Deo Mauri fera bella, Deusque
Maurorum infando cum grege bella gerit.
Per Reges populosque pios ſacra arma coruſcant,
His emitur laeho gloria, fama manu,
Quo magis his crudus, fies manſuetior aſpris;
Quo magis his blandus, ſtrenuior hoſtis eris.
Quot capita abſtuleris, rapies tot ab aſtibere palmas,
Quot capita abſtuleris, tot tibi ſceptra dabis.
Deſperanda tibi non eſt victoria, quando
Eſſe Deus Victor per tua bella parat.

AD SANCIVM Alphonſus pater.

Audite, ô clari noſtrâ de ſtirpe nepotes,
Sanguinis heredes, imperiique mei.
In Maurum nutrite odia, & nutrite furores,
Et poſt erumpant in grave Martis opus.
Non meus eſt; Mauro quicumque pepercerit; armis
Quicumque exſcindet funditus, eſto meus.
Arma edico armis contraria, caſtraque caſtris,
Littora littoribus, corda inimica paro.
Ne ſuper oſſa roſas, neu ſpargite cana nepotes
Lilia, Maurorum ſed riget oſſa cruor.
Reſpuit heroum flores rigor: Adde cruorem,
Et dabis exequys debita juſta meis

Ad Eumdem.

O qui fulmineis Maurorum everſor in armis
Das tibi, das patriæ nomina clara tuæ.

Hector

Hector es? an Thetidis soboles generosa marinæ?
Succubuit pugnis victus uterque tuis.
Num tibi componam generosæ mentis Atridas?
Majorem Atridis te tua dextra facit.
Scipiadum memorem Maurusia castra fugantem?
Sed Libycæ fudit plus tua dextra necis.
Annè Camillus eris, patriæ defensor & urbis?
Pluribus expellis castra inimica locis.
Ausus Cocles eris pontem divellere ferro?
Teste Tago pontes cædibus ipse facis.
Mars eris? Alphonsius Mars est pater ipse, quid ergo?
Filius invicto pectore Martis eris.

Ad Eumdem.

Pacis & armorum cultor clarissime, pacem
Consilio, validâ qui regis arma manu.
Roma potens leges doctis accersat Athenis,
Promis ab arcano pectore jura tuis.
Jure tuum pectus juris penetrale vocamus,
Justitia hoc justâ finxerat æqua manu.
Astræa & Pallas de te Rex maxime certant,
Nec dabit hæc victas, nec dabit illa manus.
Dividis in populos regalia jura; triumphat
Flava Ceres regnis, cultaque Flora tuis.
Te tua Aratorem dixerunt sæcula famæ
Scilicet æternæ semina pulchra jacis.
Implebunt Mundum messes, & sydera; tantum
Seminis æterni prodiga dextra dedit.

AD EVMDEM, ARATOREM VVLGO appellatum.

Quod juga proscindo sylvestria, dicor Arator,
Nec patior fieri squalida rura situ.
Non ego sylvestris tituli dedignor honores,
Et decet augustas rustica cura manus.
Idem animos, agrosque colit labor improbus; idem
Sylvescant vitijs ne pia corda facit.
Hinc ego sollicitus geminos mihi colligo fructus,
Hic est heroum, messis at ille nova.
Educat heroas labor improbus, aurea Roma
Quales in Latijs vidit arare jugis.

Munera dedigner cur ruſtica? curve novales,
Heroas magnos ſi mea meſsis habet?

AD EVMDEM AD HISPALIS mœnia pugnantem.

Sancius Heſperiam percurrit, Sancius urbis
Hiſpalis audaci mœnia luſtrat equo.
Mauri indignantur, rapiunt denſa agmina contra,
Pugna per armatas fit violenta manus.
Lyſiadæ vincunt, vincuntur inertia Mauri
Agmina, per campos corpora ſtrata jacent.
Ipſe per exſtinctos incedit victor acervos,
Martia fulmineâ quos ſtruit ira manu.
Flumina perſpicuos mutarunt ſanguine fluctus,
Ac velut adjectis aucta feruntur aquis.
Adſpicit Heſperiam tepefactam ſanguine Mavors,
Arvaque purpureâ luxuriare nece.
Vincimur, imperio cedo, Rex maxime, dixit,
Non ero dux belli; te duce, miles ero.



ALFONSVS PORTVGALLIAE REX III.
VIXIT ANN. XXXXVIII. OBIIT Aº. MCCXXXIII.

ALPHONSVS II
LVSITANIAE REX III.

ANACEPHALAEOSIS IV.

1  LPHONSVS ob pinguẽ aqualiculum, teretesque artus, obesus appellatus, Conimbricæ octavo Kalẽdas Maias anno à Christi natalitio millesimo, cãtesimo octogesimo quinto natus fuit. Is septimum & vigesimum agens annum, natu major à Sancio parente imperium subinde accepit : sub quo jam inde ab ineunte ætate, & animositate insignis, & equestris disciplinæ usu mirificè eruditus, tyrocinij rudimenta deposuit: ubi tam præclarum infracti animi præstitit documentum, ut pluribus invidiam, omnibus æmulationem excitaret: tum vel maximè in Helviorum expugnatione, & cum Mauris alijs in congressibus. Itaque circa Regni primordia multa gessit: quæ silentio premuntur, ob penuriam scriptorum. Adeò enim multum est tuarũm laudum præconem nanciscì. Illorũ tamen quæ ad nos venêre, principem locum habet discordia, quæ inter ipsum & sorores intercessit: quæ tanti Principis dotibus non vulgarem notam impressit. *Alphonsi natalis.*

2 Aut igitur divitiarum cupido, aut ingenium pertinax, & intractabile fecit, ut fratres & sorores, quos paterno debuit amore prosequi, odio insectaretur novercali. Cujus immite ingeniũ Sancius parens multo anteà subodoratus, filios effusissimis hereditatibus donatos, testamento reliquit : quos inter ad quingentos mille aureos (mitto pagos & oppida) signati argẽti facti grandem copiam divisit. Cæterùm destinata salubriter siniſtrum Principis ingenium discussit; cùm nullę opes improbis ingenijs satis esse possint. Parente vix defuncto promissis *Alphonsi odium in fratres plusquam fraternum.*

ſtare noluit,quin potius interpoſitam fidem teſtamento & ſacramento firmatam fefellit; & fratres ab hereditate deturbare curavit; Thareſiam præcipuè Reginam, cui parens Montem majorem cognomento Veterem,& oppidum vulgò, *Eſgueira*, in legatis reliquerat;& Sanciam,quam Ierabrica, vulgò *Alanquer*,hereditario,velut dono donarat. Et ne cum fratribus palã decertare videretur,cauſabatur bona eſſe, imò dona regiæ hereditati agglutinata,quæ à regni ſucceſſore avellere Regi nefas eſſet.Adeò furor proceſsit,ut ſumptis armis oppida,ad quę fratres ſe contulerant,numerosâ militum manu attentaret:quam fratres impigrè reſiſtentes,non ſine illius dedecore repulerunt. Plurimis tamen exhauſtis laboribus Pontifex ſummus eum compulit,ut cum fratribus arbitris honorarijs ſtaret, quod & fecit,& calculum mutavit,poſtquam cauſam ſuam deploratã agnouit;& regnum tot maledictis anathematisque fatigatum tandem aliquando recreavit.

Claſsis Septentrionalis opitulatur noſtris.

Tempore identidem ſuccedente annus agebatur à Chriſto nato 1217.cùm à Septentrione munitiſsima claſsis Olyſsipponem appulit,quæ Sanctæ Hieroſolymæ ſuppetias ferebat. Cũque reflante vento cogeretur à navigatione deſiſtere. Ecce tibi Matthæus Præſul Olyſsipponenſis,vir negotijs gerendis natus, ſuaſor ducibus fuit,ut dum per tempus liceret, aliquid ederent ſua virtute dignum. Quod ut facilius ab illis obtineret,ſe ſociũ cũ militibus & cõmeatibus pollicetur,ſi velint Salaciã occupare,quæ tum tẽporis fœdiſsimo Maurorũ imperio ſubjacebat. Nõ diſplicuit Ducibus negotiũ. Põtifex interim Ducũ animis utendũ ratus,inſtructũ exercitũ incredibili celeritate armavit. Milites eò alacrius ſunt collecti, quò res erat periculoſior, & ſuſcepta ad delendas Maurorum reliquias,quas(Regno per vim occupato)in gremio Reip. Chriſtianæ degere probroſum ſibi eſſe putabant.Et quamvis Rex Alphonſus belli aleam cũ alijs non ſubierit(morbo fortaſſe detentus, aut quotidianis Regni negotijs impeditus) veriſimile tamen non eſt tam expeditam hominum multitudinem tam brevi tẽpore, eo vel imprudente vel invito coaluiſſe,cùm præcipuè negotiũ ad eumdẽ attineret.

Luſi-

4 Lusitani verò, qui belli arcipitem eventum in hac expeditione tentarunt, si ad calculos revocentur, numero sunt: Olyssiponensis Episcopus Matthæus: Petrus Lusitanę militiæ: Cõsalvus Prior Hospitalarius, Martinus Barreganus è Divi Iacobi familia, sui quisq; agminis duces, qui viginti hominũ millia Olyssippone & Ebora cũ municipijs collecta ductabãt. Hi simul cum illis qui classe vehebãtur, junctis castris obsedere propugnaculum, quod post varios ultro citroq; labores sub intrarunt, multis anteà emensis difficultatibus. Nã qui ea tẽpestate Reges Cordubæ, Hispali, Paci Augustæ, Giennio imperitabãt, certiores facti per internũtios, de improviso cũ equitum quindecim, peditum octoginta millibus terrâ mariq; obsessis auxiliantur: Ad hæc decem triremes opportunè instructæ. Attamẽ cælo bene favẽte, & sex supra triginta navium præsidio, quæ à Batavia ad bellum transmarinũ profectæ Cetobricã tenuerũt, dissolutis murorum cõpagibus, semel atque iterum propugnaculũ multâ prius edita corporum strage perruperunt. Dumque nostri homines fugientibus instant, alios cædunt, interficiunt alios: qua in fuga fama est triginta Maurorum millia, simul & quatuor Reges, qui obsessis venerant auxilio, cecidisse Est qui scribat Angelum Cruce in gemma coruscanti fiduciam militibus addidisse. Captum denique oppidum & direptum est luce Divo Lucæ, eidemque Euangelistæ sacra, anno post Christum natum 1217.

Salaciæ pelluntur Mahometani.

5 Ad Alphonsum, unde exijt, jam redeat Oratio, qui belli, domique egregium sui præbuit documentum: Nam Hispalis & Giennij Reges, qui Helvẽses dura obsidione premebant, aperto Marte superavit, & ad suum quemq; Regnum compulit. Quin & armata manu per hostilem ditionẽ excurrens, miseranda illata vastitate sese ad patrios lares victoria reportata collegit.

Alphonsus duos Maurorum Reges fugat.

6 AEtate ad senium jã declinãte, ad eam pinguedinẽ devenit, ut quiuis corporis motus atque exercitatio illi pergravis esset; quod videre fuit cũ Novæ civitati Aruccitanæ, (quæ *Moura* vulgò dicitur) & Serpæ Maurorũ exercitu obsessis opẽ tulit, quem per medicos hostium cuneos subduxerũt è castris semianimẽ,

Alphonsi pinguitudo.

& vix præ nimia pinguedine ſpiritum ſub armis ducentem.

Eius uxor, & filij.

Vrracam ab Alphonſo octauo Caſtellæ Rege, & Eleonora 7
Ioannis Angliæ Regis filia, Oriundam in matrimonio habuit: à qua plures ſuſcepit filios ; Sancium puta cognomento Cucullum, qui parente exſtincto Regno ſuffectus eſt ; Alterum Alphonſum Bononiæ, ſive Geſſoriaci ducem in Gallia, quòd Ducatus heredem duxit uxorem : poſtea Luſitaniæ Regem; Tertium Ferdinandum Serpæ Principem, cui Sancia Fernandez Comitis Ferdinandi de Lara filia Caſtellæ nupſit ; à quibus prognata Eleonora, quæ, ut fama fert, à Principe Regni Daciæ herede uxor ducta eſt. Hic Alcobaciæ communi Luſitanorum Regum in monumento ſepultus jacet ; Nec non etiã Vincẽtium genuit, jam inde à primis annis exſtinctum; quem etiam Alcobacia detinet in tumulo. Vltimam Eleonoram, quam Daciæ Rex habuit in matrimonio. Ex vago coitu filiũ ſuſcepit Ferdinandum nomine, cui poſteritas nulla : vita functum tenet Alcobacia.

Mors, & corporis lineamenta.

Octo & quadraginta annos implevit Alphonſus : unum & 8
viginti Regni clavum tractavit: fatis conceſsit anno poſt Chriſti natalitium 1233. Exſtinctum, ſimul & Vrracam cum filiorum aliquibus Alcobacia, in ſacello, quod vivus adhuc opere non magnifico exſtrui juſsit, humili ſepulturâ complectitur. Annis ſubinde labentibus, Georgius à Mello Cœnobij Abbas ſacellum diſſolvit, & utriuſque oſſa ad ſacellum Divo Vincentio ſacrum tranſtulit, ubi hoc temporis conquieſcunt. Corporis lineamẽta, ſi poſſumus, exſcribamus, ut cùm res geſtas legimus, cum ante oculos videre videamur. Procerus corpore fuit, adeò ut ad giganteam ſtaturam accederet: magnos membrorũ artus, & ſucci ultra modum habuit plenos : oris ſuavitate & formæ præſtantiâ effloruit ; frons libera, rutuli oculi, capillamentum rufum, prominens aliquantulum naſus, & aquilino ſimilis, os magnum, ſed ſuaviter craſſum Regis augebant venuſtatem.

Regnante Alphonſo anno 1220. Quinque è Franciſcana fa- 9
milia,

milia,(quos Franciſcus parens & auctor non humano cõſilio, ſed cæleſti oraculo monitus miſerat ex Hetruria, ut homines ſcelerum impietate adſtrictos cæleſtis diſciplinæ monitis imbuerent)per rudes & incultas nationes excurrentes ad Africam tandem devenerunt. Dumque Bocani, Hemexi in Mauritania (*Marrocos* dicitur) & eloquijs & vitæ ſanctimoniâ conantur ferocientes homines Chriſto ſubdere, atque ab infauſtis dæmonum ſtabulis ad Chriſti paſcua caulasque traducere: En tibi Miramolinus, qui eâ tempeſtate gentem cum primis pervicacẽ adminiſtrabat, furore percitus, homines tum maximè utilia ſuadentes ad capitale ſupplicium abripi juſsit: quos morte multatos ad exſtructam pyram tradidit; ut igne abſumpti, & cultu & honore carerent. Sed quis divinæ mentis oracula antevertet? De improuiſo turbatur cæli facies, tenebræ condupli-cantur, flamma inter nubes coruſcat, effuſis ſine more imbribus tempeſtas præcipitat, & jurata elementa ultimam mortalibus vaſtitatem minitari videntur. Quid plura? Ignis conſopitur, formidine externati fugiunt tortores, ingens fit ſolitudo, & quos effera vis tyranni flammis addixerat, his mollior ignis conditio indulſit. Nec pios tum temporis defecit conſilium; imò per noctis tenebras fulgurum ſplendore illuſtrati, lautiſsimam illam ſupellectilem, divinasque reliquias cælo dante collegerunt. Quas Petrus Alphonſi Portugalliæ Regis frater (qui ob veteres cum Rege ſimultates Marrochijs degebat Miramolini obſequio emancipatus) ad Hiſpaniam detulit, & ad fratrem Conimbricæ agentem in Luſitaniam tranſmiſit. Ipſe verò in Regno Legionenſi apud Alphonſum Regem conſobrinum manſit. Quid interim noſter Alphonſus? De adventu certior factus, celebri decretâ ſupplicatione, magnâ primæ nobilitatis catervâ ſtipante, ante urbem, emenſo unius leucæ ſpatio, ſanctiſsimas reliquias, divinaque oſſa venerabundus opperiebatur. Quæ in auguſtiſsimo Sanctæ Crucis delubro honorificè collocavit: ubi crebris irradiant miraculis, ut annales illius familiæ evoluenti facilè patebit.

Quinque Franciſcani Fratres ex Luſitania in Africam trajiciunt.

Martyrio in Africa coronantur

Eorum reliquiæ Conimbricam invehuntur

Prius

Priusquam tamen hæc Franciscanæ familiæ pignora 10
in Africam trajicerent, ad Lusitaniam pervenerunt, & sunt per aliquot dies Conimbricę commorati: ubi eo tempore ornamentum Lusitanię & lumen degebat Antonius; qui visis Sanctorum reliquijs, dici non potest quanto ardore inflammatus ad Martyrij palmam contenderit. Erat Antonius Olysipponensis, clarus natalibus, castigata vitę disciplina institutus, ea urbis parte educatus, ubi nostra adhuc tempestate templum est ipsius Antonij cognomento. Annum ætatis decimum quintum nondum egressus, jam inde à teneris cęlesti oraculo animum adjiciens, Augustinianę familiæ Olysippone nomen dedit in cœnobio cui Divo Vincentio extra muros nomen est. Hinc propter suorum usum frequentiorem, quàm vellet Conimbricam ad Sanctæ Crucis cœnobium commigravit: ibi martyres vidit viventes, & veneratus est vita defunctos: quo adspectu, quàm incredibili divini amoris incendio æstuarit ex illis quæ posteà gesit, conjicitur.

D. Antonius de Padua Lusitanus Olyss. Ponensis.

Antonius Ordinem Canonicorum Franciscano mutat.

En, longum post temporis intervallum accidit, ut Nu- 11
minis irritamenta, quæ currentem animum incitabant, quibusdam è Franciscana familia, quibuscum familiariter agebat, aperiret. Hi verò per id temporis ædiculam quandam Divo Antonio Abbati sacram non longè ab urbe sepositam incolebant. Post communicatum consilium habita Superiorum bona venia, se, relicta prioris vitæ ratione, Franciscanorũ sodalitio mancipavit. Quos inter mirifico pietatis ardore per aliquod tempus, tum fame sitique enectus, tum mira etiam rerum humanarum despicientia vitam toleravit. Non multo post in Africam solvit: adversa tamen fatigatus valetudine, & propter insalubrem aëris in temperiem, indies magis magisque ingravescente, coactus est ad Hispaniam remenso pelago commeare. Ab Africa conscendit, ut denuò transmitteret: nec ita multùm provectus, ventorum impulsu rejectus in Siciliam est, hinc in Ita-

in Italiam Poſtea illuſtriſsimo & pietatis, & ſanctimoniæ incremento per Galliam & Italiam concionabundus excurrens, res edidit memorabiles, quas omnes ſi vel tenuiſsimo hiſtoriæ filo vellem complecti, res eſſet ingētis voluminis. Ejus corpus ſanctiſsimum miro cultu, nec minori pietate Patavini cives ſuſpiciunt & venerantur, illumque præſidem agnoſcunt, & tutelarem. Antonij lingua ſingularis Numinis beneficio, & inaudito Luſitanos inter miraculo illæſa permanet, quod videre erat, cùm ejus corpus eſt tranſlatum. Nec Alphonſo facta eſt parva gloriæ acceſsio, quod Antonius illo regnante efflorueri t, qui non ſolùm domeſticis, ſed externis etiam eumdem patronum, ac pæne popularem ſuum adſciſcentibus immortales titulos impertijt.

Antonii lingua incorrupta.

AD ALPHONSVM HVIVS NOMINIS II. LVSITANORVM REGEM III. COGNOMENTO PINGVEM.

EST penes infidum turrita Salacia Maurum,
Stat super, aëreis arx operosa jugis.
Tres magni hanc servant numeroso milite Reges,
Vana superstitio, quos rapere arma facit.
Lysiadæ oppugnant, defendunt pergama Mauri:
Fortiter hæc pugnat, fortius illa manus.
Cruda diu durant dubij certamina Martis:
Lysiadæ perstant, arx quatefacta labat.
Nuntius è cælo gemmanti in luce refulget,
Pectus & in gemma fert nova signa Crucis.
Ira voce eloquitur Crucis ignea gemma, virisque
Gemma triumphandi non leve pignus erat.
Lysiadæ expugnate arces, quicis sydera gemmant:
Deque novo fulgens gemma Oriente micat.
Gemmea erit (nec vana fides) victoria: palmæ
Gemmantes titulos gemmea fama canit.
Nobile prodigium jam jam non est gemma, triumphi
Gemmantis toto gemmat in orbe decus.

AD EVMDEM

Spe lucri sororibus bellum movet.

Pone minas: quid in arma ruis male cauta cupido?
Quas petis, heu! fœdo crimine perdis opes.
Nescia bella pati, mollissima corda sororum
Audes hostili sollicitare manu?
In tua damna ruis, propriisque occumbis in armis,
Seu tua sint, Victor, seu spolia hostis habet.
Finge tuas quas quæris opes: pericre sorores;
Fac soror hostilem vim premat, ipse peris.
Aut soror, aut frater miseri sunt: dives uterque
Pauper erit: victo victor ab hoste cadet.
Quid mirum? & leges & jura abrumpit avarus.
Ergo nec leges, nec sua jura ferat.

AD

AD EVMDEM.

Vivo patre, præclara edidit facinora, mortuo patre, non ita.

Creſcis in arma puer, juveniſque in Marte triumphas:
Sed minor in facto gloria viſa viro.
Patris in amplexu, tibi ferrea vincula nectis;
Mollior in grandi corpore veſtis ineſt.
Prælia dura pater, natus quoque prælia tentas:
Ille redit victor, tu quoque victor ovas.
Deſerit arma pater, natus quoque deſeris arma:
Illum ſera quies, te ſopor altus habet.
Crevit in egregio tibi gloria rara parente:
Patris ab exequijs pæne ſepulta jacet.
Scilicet hoc vixiſſe putas, vixiſſe Parenti,
Et cui non poſſis vivere, poſſe mori?

AD EVMDEM.

Bella movet Mavors, audet ſe opponere Marti
Miles, & audaci bella ciere manu.
Progreditur Princeps bella ad Mavortia; Maurus
Torpet, ad adſpectus torpet iniqua manus.
Quos neque vi Mavors, Alphonſus fronte coërcet;
Non dubium eſt, fortis quis ſit in arma magis.
Nomina Mars Martis, Mavortiaque arma relinque;
Alphonſus Martis nomen & arma gerat.
Qui dabit invictos poſt funera regia Martes,
Pro magnis Regnum qui tueantur, avis.
Nomen & arma ferat Martis Mavortia Princeps,
Tam malè quæ Mavors, quàm bene ſolus habet.



SANCIVS PORTVGALLIAE REX IIII.
VIXIT ANN. XXXVIIII. OBIIT A°. MCCXXXXVI.

SANCIVS II.
LVSITANIAE REX IV.

ANACEPHALAEOSIS V.

1  LPHONSVM parentem consequutus est Sãcius hujus nominis II. Conimbricæ editus die octavo Septẽbris, anno à Virginis puerperio 1207. Prima ætatis rudimẽta adeò iniquâ valetudine toleravit, ut præter omnium opinionem fuerit in Regem inauguratus. Filij ægritudinem Vrraca mater tam molestè ferebat, ut nunquam fere vel obscura lætitiæ indicia in ejus fronte legerentur; quæ, cùm medicos omnes remedia quærendo defatigaret, eorumque pharmaca exhauriret, sacram anchoram apprehendit, & patronum suscepit singulare Christianæ reipublicæ lumen & columen Augustinum, cui votum nuncupavit, fore ut Princeps linteatus cucullatusque incederet, quoad usque pubertatis annos excederet, eâdem prorsus ratione, quâ nunc regulares Canonici Divi Augustini Conimbricæ in cœnobio Sanctæ Crucis exornantur. Quæ res triviali cognomento locum fecit, ut scilicet Sancius Cucullus appellaretur, non verò alijs de causis, quæ apud vulgus imperitum invaluerunt. *Adversa Sancij valetudo in pueritia.*

2 Cùm primùm Regni clavum administrandum suscepit, sextum supra vigesimum agebat annum, quam ætatem curandæ valetudini potius, quàm præludioni ad regnum, aut majorum suorum imitationi impendit. Hac morborum serie, simul & ingenio miti & tractabili, eam animi remissionem imbibit, vt nemini metuendus, nemini Regno aptus videretur. Adeò, ut familiares præpostero in Regem more dominarẽtur, & omnia susq; deque agerentur, prout cujusq; libido erat, vel *Sancij remissio.*

commodum. Hoc tempore Caſtellæ Regina erat Berengia Alphonſi matertera, cui Principis cura fuerat demandata ; quæ ſparſo rumore permota, monitis conſilijsque Regem ad meliora promovendum curabat; eique fœminam aliquã tradere in matrimoniũ, quæ & nobilitate & conſilijs Regni faſtigium & majeſtatem impleret. Enim verò Regis familiares id quod futurum erat, ſuſpicantes, nihil æqui bonique admonere, nullũ non lapidem movere, ut illum à tali ſententia dimoverent; ſibi quiſque timere , ſi Regina foret altâ quâdam mente prædita, quæ Regni afflictis rebus, deploratisque provideret ; Regem quantâ maximâ poterant animi contentione à materteræ conſilijs deterrere, & nuptias illas diſſuadere & dehortari. Quin potius Meſsiam Lopeziam de Haro illi conjugem invexere, Lupi Diazij de Haro Cantabriæ Domini filiam , & Vrraccæ Alphonſæ Alphonſi Legionis Regis filiæ. Erat Meſsia ingenio liberalis, & formæ præſtãtiâ elegans: ſed quamvis illuſtriſsimo loco nata , Regiæ tamen Luſitanorum Regum dignitati impar, & ſuperſtes priori marito Alvaro Pirio è Caſtro, qui licèt antiquâ eſſet regum nobilitate generoſus, nullâ tamen re cum Sancio comparandus.

Vxorem inconſultè ducit.

Regina in aliquos favor magnorum malorum cauſa.

Hæc & alia quàm plurima omnium odium & invidiam in Reginam concitarunt ; illos ſi excipias qui nuptias conciliarunt. Quibus illa collocatum in ſe beneficium ut reponeret, liberam faciebat copiam populi vexandi tantâ licentiâ; ut aliqui primæ nobilitatis viri miſerorum hominum vicem dolentes, ad Regem rectà pergerent , aliorum audaciam incuſantes, aliorum latrocinia conquerentes, referentes populi indigna ferentis clamores, & totius imperij ruinam minitantes, ni tantis calamitatibus modum faceret & medelam. Quibus ipſe non mediocriter permotus (utpotè qui naturâ pius & mitis erat) impietatem publicè graſſantem publico ſupplicio retardandam conſtituit. Sed, quid non mortalia pectora cogis ſævus amor ! Regina de his certior , ne ingrati animi ſpecimen exhiberet , ſuorum partes ſuſcepit defendendas , & Regem (nefas enim putabat, illos, per quos ad ſummum imperium

perium venerat, miseros videre & afflictatos, blandimentis ita prolectavit, ut fidem faceret, illa omnia per invidiam esse conficta, ut illi familiares, quibus maximè fidebat, sinistrâ aliquâ suspicione apud ipsum laborarent.

4 Aliqui tamen Lusitaniæ Prælati patriæ amore succensi; cùm Alphonsum vidissent ad meliorem frugem minimè collectum, ad Pontificem Maximum detulerunt, tum Regis remissionem, tum Reginę fabricas & commenta; Ad hæc ipsos non prius habitâ Pontificis bonâ veniâ nuptias celebrasse, cùm arctissimâ essent consanguinitate conjuncti. Quâ super re Gregorius hujus nominis IX. literas expedivit monitis & adhortationibus refertas, tempore ad resipiscendum præfinito. Episcopum deinde Sabinensem legavit in Lusitaniam, cujus in conspectu Sancius tantæ remissioni modum, tantæque licentiæ finem promisit. Quod ad unguem servavit, quãdiu Pontificis Orator in Lusitania commoratus est. Quem, mox atque ab ejus oculis evanuit, Regina solitis illecebrarum lenocinijs (quod aliqui philtris & amatorijs poculis tribuebant) decepit; & familiares cæco quodam impetu omnia conturbârunt, populũ latrocinijs vexantes, divina, atque humana jura perfringentes, majori prorsus, quâ anteà, licentiâ debacchantes. A quo fonte promanavit, ut quamplurimi Interamnensi in Regione animis opibusque parati, duce Raimone quodam Viegas Portocarrero, qui in Galleciæ finibus degebat, facto agmine coaluerint, & Conimbricam unà devenerint, indeque reginam vi abductam in Orenio propugnaculo includerẽt ad custodiam. Hinc ad Castellam, quin ad eam revocandam Regis cura quidquam profecerit, transmiserunt. Et erat ibi eâ ferè tempestate quâ Alphonsus Toleti degebat; quamvis verior opinio ferat, ipsos in posterum unà nec habitasse, nec pernoctasse quidem.

Pontifex initas Sancij cum Mesia nuptias declarat.

Seditio Interamnensis.

Neque tã incredibili Lusitanorũ hominum studio iniquæ
5 Reipublicæ administrationi modus est adhibitus: cũ nõ à Regina tãtum, sed à Rege etiam originẽ traheret. Quamobrẽ Legionensi in Synodo multi Prælati patriâ charitate inflammati

Alphonsus in Sancij patris locum subrogatur.

apud

apud Innocentium Pontificem maximum acerbè conquesti sunt. Quibus rebus ut mederetur Innocentius, rem consultatione maturiori agitandam decrevit: in qua una omnium voce decretum est, ut Alphonsus Lusitani Regis frater Bononiâ accersitus Regni clavum tractaret, ne Respublica tot calamitatibus pressa vergeret in pejus, & ultimam rueret in vastitatem. Expediuntur interim Pontificis mandata, accersitur Comes, qui Bononiæ tunc erat; nec tamen Regnum non citra pulveré & sudorem adeptus est. Sancius verò postquam impetrato à Rege Castellæ exercitu, videt se nihil proficere, incepto destitit, & se Toletum recepit, ubi mirabili vitæ sanctimonia privatam vitam toleravit: deligens potius in exilio consenescere & mori, quam in patrio regno alterius consiliis & monitis gubernari; quod & suadebant illi, qui Lusitaniam latrocinijs, iniquitate, & cæcâ quâdam temeritate afflixerant, perturbaverant, everterant.

Toleti Sancius exulat. 6 Toleti degens, grandiorem pecuniæ vim, quàm è Lusitania abduxerat, in miseros homines & pauperes largâ manu divisit, nec non sacellum exstruxit, cui â Regibus vocabulum est. Duro & aspero vitæ cultu vitam protrahebat, dies & noctes orationi invigilans traducebat insomnes, nec ab ejus ore verbum unquam excidit, quod vel querimoniam vel iracundiam redoleret, nec ullam mittebat reconditi doloris significationem, quanquam aliqui essent, qui per summam impudentiam auderent Regiam Sancij majestatem indignius, quàm par erat, tractare. Quibus virtutum monumentis Regiam præ se majestatem regalemque indolem ferebat. Divum Lazarum, cujus amore inflammatus mira edidit opera, incredibili pietate piétissimus ipse coluit. Quod & Lazarus cumulatiùs compensavit, cùm ei inter mortales adhuc agenti visus, cælesti oraculo fatum prænonstravit, & cum spiritum ageret, fortunatissimũ Lazarum semper ante oculos intuitus est.

Pertinax Lusitanorum fides in Sancium dum Toleti vixit. 7 Dum tamẽ hæc Toleti agũtur, Lusitania in studia cõtraria trahebatur. Alijs alia placere & arridere: quæ omnia ad illum scopũ collimabãt, ut unusquisque promissis staret, & fidẽ regi suo

ſuo interpoſitam incorruptè ſeruaret. Hoc enim inter Luſitanos erga Reges ſuos immortaliter efflоruit. Eâ namque tempeſtate vix ullus fuit illuſtri loco natus, qui Alphonſi comitis partes ſuſciperet, cùm Luſitani eſſet Regis filius, & vir moderandis hominum ingenijs imperióque natus. Adeò fides indoléſque Luſitana proceſsit, ut nullus (unum ſi excipias, & alium qui turpi lucello occæcati permiſêre ſe Alphonſo, quę res illis dedecus & ignominiam peperit ſempiternam) alicujus propugnaculi præfectus eſſet, qui ad ultimum pro fide non pugnaret potius, quàm vellet deditionem facere. Quod non perſtitit ſolùm quamdiu Rex in Luſitania fuit, ſed illuſtrius etiam valuit, poſtquam à patrio Regno pulſus in exilium conceſsit. Prefecti tamen in ſententia immoti, nec ſuorum precibus, nec Pontificum anathematis, nec Regis obſidionibus adduci potuerunt, ut facerent imperata: quin potius per varia rerum diſcrimina obſidiones infracto animo pertulerunt, quoadusque certò nuntiatum eſt, Sancium Regem vitę annos felici morte clauſiſſe.

8 In quibus Ferdinandus Pacieco fuit unus, qui Seloriquenſe propugnaculum impigrè defendit. Alter Martinus eſt Freitas annuam obſidionem tantâ animoſitate ſuſtentauit, ut optimo cuique eſſet documento. Nam dum Conimbricam Alphonſus obſeſſam tenet, de obitu fratris Sancij certum nuntium habuit, quod & Martino nuntiauit, ut ipſe depoſita religione ſe dederet. Quid porrò Martinus? Pactis inducijs proficiſcitur eâ lege, ne Rex, dum ille abeſſet, propugnaculum oppugnaret. Et quamvis unanimi omnium conſenſu cognoſceret Luſitanum Regem fatis conceſsiſſe, ipſe nihilominus ad ſepulturam adijt, illamq; non ſine ingenti omnium admiratione reclucit; Regem extrahit, extractum inſpicit, inſpectum cognoſcit, cognitum & cultū, ut datam fidem liberaret, arcis clauibus è brachio dextro appenſis, ſepulturæ iterum reddidit; Quod illuſtriſsimis Auctorum teſtimonijs in ſcriptis conſignatū ſecum in Luſitaniā attulit. Ad quam ubi regreſſus eſt, ad Comitē, qui jam eâ tempeſtate rerum potiebatur, nuntiū

Præfectorum duorum arcium incorrupta fides.

mittit, se sacramento jam absolutum deditionem velle facere. Et reclusis foribus, conjugem & filios manu prehensos foras pellit, dicens: Aliò migremus veteres coloni, & suum suis Dominis domicilium relinquamus. In genuaque ante Regem provolutus, portatum claves manu prætendens, Regi tradidit, asseverans se ejus & Regis & domini futurũ semper obsequio emancipatum: simul & tabellas ostendit illarum rerum quas Toleti gesserat. Rex verò tantam fidem ad miraculum suspiciens, arci eumdem ipsiusque posteros præfecit, ea conditione, ne ipsi aut posteri ullo deinceps sacramento adigerentur: Martinus tanto beneficio non ingratus, Regi gratias agit & habet immortales: præfecturam tamen redhibuit; imò posteros diris imprecationibus devovit, si quis fidei sacramento adactus Castellum aliquod susciperet defendendum. Vnde Lusitanorum in suos Reges fides liquet, qui Regem, vel ad Regnum moderandum inutilem tantâ fidei sinceritate & constantiâ (vel si malis pertinaciâ) observaverint, nec voluerint fasces submittere Comiti Alphonso, viro & pietate & prudentiâ insigni, & quod maius est Lusitano, & Lusitani Regis filio; cui demum impigrè resisterent, ni anathematis, quæ pij homines plusquàm bellica tormenta timere debent, illius jussis cogerentur esse audientes.

Martini à Freitas generosum factum.

Fuit Sancius liberali facie & eleganti; frõs libera, oculi glauci erant & venusti: nasus prominens, sed suaviter crascescẽs & ad pulchritudinem efformatus: barba eleganter disposita, & subrufa: oris color albo deterior, & in pallorem degenerans; pietate in primis præditus, minimè malus, ab immanitate longè abhorrens. Nihil Sancio defuit, ut Rex esset omnibus numeris absolutus, nisi prudentes viri, à quibus monitis institueretur. Quæ fuit causa, ut vir æquissimus & æqui servantissimus, Rex tamen iniquus haberetur.

Sancij ingenium.

Cùm primùm rerum habenas suscepit, in Turdetania cum Mauris hominibus sæpissimè congressus est. Qui ingenti navium classe terrâ marique ad Salaciam expugnandam advolârant; quam imparatam, & obsidione cinctam, in summum

Quid bello gesserit Sancius.

discri-

diſcrimen adducerent; niſi AEgydius Soveroſa Regi in primis charus auxilio ſubiret, qui Mauros non ſine ingenti clade fudit fugavitque. Pactæ interim cum Mauris induciæ, quibus factum, ne tredecim annorum ſpatio, quibus rerum potitus eſt, aliquid amitteret. Exceſsit anno poſt Chriſtum in lucem editum milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo quinto, nonum & trigeſimum agens annum; quorum tredecim regnum adminiſtravit. Situs Toleti Regali in ſacello, quod ſuis expenſis evexerat. De loco tamen ſepulturæ ejus aſsignato dubitant Auctores, & adhuc ſub judice lis. Nam, cum Toletani Præſules majoris templi ſacellum vellent auguſtius efficere & ſpatioſius, tumulos avulſerunt, illosque parietibus diſpoſitos nullis inciſis elogijs, nullis impreſsis epitaphijs indiſtinctè inſeruerunt. *Sancij ſepulchrum*

AD REGEM SANCIVM.

Malè inchoatam vitam feliciter claudit.

Sancius in Regno quæcumque peregerit, orbis
Nesciat; involvat facta minora pudor.
Quæque Toletana sacraria fecerit urbe,
Et tumuli augusti marmora, fama canat.
Emendat Vitæ finis primordia; laudis
Finis habet, quidquid noxia vita negat.
Sint licèt heroës proaui per facta superbi;
Hic tumuli claro marmore major erit.
Exulit à patria; quamuis non Sancius exul
A cælo, vitam dum bene claudit, erit.

AD EVMDEM.

Nobile fit facinus; te discedente revisit
Lysiadum gratas jùsque piúmque domos.
Quam benè Rex populo servus, dum sumpta relinquis
Iustitiâ Imperij frœna tenente tui.
Quidquid habes culpæ veniâ dignabitur orbis;
Plus bonus es Princeps, quàm tua Regna ferunt.
Quodquod in imperium commissum est crimen & error,
Diluet exilij pœna severa tui.

AD EVMDEM.

Vnicum vitæ suæ opus sepulchrum sibi erexit.

Epitaphium.

Lysiaci Regis domus, & fatale sepulchrum
Hic pariter, pariter vitáque mórsque cubant.
Vita silet morti similis: mors proxima vitæ
Pondera, sub clauso marmore, vocis habet.
Mortis in obsequium vixi: vitæque vicissim
Munera sub cineres, officiosus amo.
Nullum vita decus posuit, nisi mortis honores;
Mortis nulla nisi viuere cura fuit.
Nomen inane tuli regnantis: inane sepulchrum
Ne foret, hic vitæ summa sepulta meæ est.

Disce alio ex tumulo melius tibi vivere: vitam
Ex me cùm nequeas discere, disce mori.

AD EVMDEM

Abdicatus Regno loquitur Rex.

Ite graues curæ, sæui procul ite timores:
Vos bene dum perdam, perdere Regna juvat.
Nescit opes, qui nescit opes bene perdere; perdit
Gaudia, qui semper gaudia lætus habet.
Sint ubi deliciæ, nescit captiva voluptas:
Seruet honor spretus quæ bona, nescit honor.
Regia crudeli seruit Fortuna Tyranno:
Regnat priuato sub lare tuta quies.
Libera paupertas: tranquillæ commoda vitæ:
Integra mens: scelerum nescia vita: beant.
Tristia perdidimus, jucunda ut Regna feramus:
Sic bene qui possit perdere, rarus erit.

De Eodem, Epitaphium.

Exul eram: posui vivus mihi busta. Sepulchrum
Scilicet auxilio vita sepulta facit.



ALFONSVS PORTVGALLIAE REX V.
VIXIT ANN. LXVIIII. OBIIT A°. MCCLXXVIIII.

ALPHONSVS III
LVSITANIAE REX V.

ANACEPHALAEOSIS VI.

1 AD Lusitanum Imperium ex incondita, licèt alioqui pia Sancij socordia traducendum in cultum civiliorem, Alphonsum excepit natale Conimbricæ solum, die quinta Maij, anno M. CC. X. quem pater ob incertam fratris valetudinem regalibus studijs diligentiùs imbuendum, curavit. Sed, cùm Sancij vita longius omnium opinione protraheretur, Blanca amita Galliæ Regina evocatum conjunxit Matthildi Comitissæ Bononiensi viduæ ex Philippo Crispo Philippi Augusti filio. Annum agebat ætatis Alphonsus vigesimũ septimum, & valido corpore, sublimique statura, ingentiores animos agitans, in tantam virtutis suæ opinionem excrevit, ut eum Summus Pontifex multorum Cruce signatorum, qui ex Gallia alijsque provincijs in Palæstinam commeare moliebantur, ducem elegerit.

Alphons. matrimonium cum Matthilde Bononiens.

2 Quæ cogitata abrupit ipsius in Lusitaniam regressus, ad ea componenda, quæ multorum libido audebat, qui Sancij ingenio flexibili abutentes, nullum non facinus aggrediebantur. Turbatam conjuratamque fratris morte Lusitaniam primis comitijs pacavit, redactisque in suum obsequium cunctis arcibus, in demetendam vitiorum sylvam, quæ proximi temporis impunitate luxuriabat, & penitus exstirpandam præpotentium in judicijs iniquitatem severiùs incubuit. Quare multorum in se invidiam conflavit; sed plures factiones austeritatis suæ fama disturbans, impudentem grassatorum globum exterminavit.

Illius reditus in Lusitaniam & regn. principia.

Cum

Cùm domestici tumultus posuêre, ad Regnum exornandum adjecit animum. Multa oppida frequentibus Maurorum bellis quassata & deserta, in quibus Estremotium, colonis nobilitauit: multa arcibus & publicis ædificijs instaurauit; hæc inter Pacem Iuliam, si turrim excipias altitudine visendam, quam filius ipsius Dionysius insanâ substructione euexit. Regijs syngraphis ac tabellis perpetuas immunitates pluribus oppidis & hominibus impertiens, vtilissima quoque instituta ad Reipublicę administrationem præscripsit. Templa & cœnobia non vulgaria insigni liberalitate constituxit; exemplo sint Ordinis Prædicatorum domus, altera Olyssippone, Heluijs altera; & Virginum Diuæ Claræ Parthenon Scalabitanus. Vt mutuis popularium & vicinorum Regnorum commercijs res augeretur, mercatus celeberrimos multis locis instituit, immunitatibus conuenas alliciens. Auri, argenti, metallorum deteriorum, mercium, mercenariorum, annonæ, ac reliquarum rerum venalium pretia restrinxit, cùm veterum immanitate deterriti multi à negotiando auocarentur.

Ædificijs & legibus regnum nobilitauit.

Egregias Alphonsi dotes, spectabilémque indolem miserè corrupit præfracta & peruicax libido. Cùm enim gratiam reponere debuit uxori, quæ pauperem opima domo excepérat, efœtam, & sexagenariam pertæsus, veritúsque, ne inopia hęredum Lusitana domus ad Reges Legionenses, à quibus fluxerat, iterum dilaberetur: timens etiam conjugi, quam ob infęcundam alvum sciebat ingratam futuram Lusitanis; non verò (ut aliqui confingunt) ullius spe lucri inescatus, sceleſtas nuptias contraxit cum Beatrice notha Alphonsi IX. Castellæ Regis ex Maria Villenia Petri Gusmanij clarissimi filia, quam Alphonsus Regio cultu præ cæteris liberis indulgentius & operosius educabat. Sibi quoque usui fore vicini Regis affinitatem Alphonsus non ignorabat, quem Germani longè sepositi, pulso Federico II. in imperium communibus suffragijs subrogarunt.

Incæstæ Alphonsi nuptiæ vivente legitima uxore.

Alexander IV. summus Pontifex Comitissæ & consanguineorum procerum querimonijs, ipsáque rei indignitate commotus,

motus, clementi primùm diplomate Alphonſum monet, veræ ut uxoris & Chriſtiani officij meminerit; ſed cùm omnia monita ſalutaria obtuſis auribus reſpuiſſet, interdicto, quod Viarium dici poteſt, juſsit Pontifex, ubicumque Luſitaniæ Rex adeſſet, omnibus ſacris abſtineri, quin tot fulminibus obſtinatus Alphonſi animus emolliretur; donec fati neceſsitas, quæ uxoris clauſit oculos, iter veniæ ſterneret, quam Vrbanus IV. ſacrorum præſidum & populi annuens clamoribus, ſed inuitus ad ſpeciem conceſsit.

6 Ergo Beatrice juſtis facibus in thorum admiſſâ, & duobus ex ea liberis Regni ſucceſsione firmatâ, cœpit Alphonſus Mauricibelli votis anxiè diſtineri. Cúmque nulli jam intrà Luſitaniæ limites Mahometani agerent, & ad alios adhuc Hiſpaniæ inſiſtentes peruadere non poſſet, niſi viam per Turdetanos affectaret, cum quibus Pelagius Correa Luſitanus, Caſtellanæ Divi Iacobi militiæ Magiſter feliciter Hiſpana ſigna conferebat, communicato cum Regina conſilio, eamdem permovit, ut ſe in Caſtellam ad parentem conferret, ab eodem jus expugnatarum in Turdetania urbium, & expugnandarum deinceps obtenturam. Non ſecus accidit, quàm Alphonſo in votis erat. Socer enim donatiuas tabulas, ſuoque munitas ſigillo miſit, quibus ipſi & Dionyſio nepoti, cæteriſque deindè ſucceſſoribus de ſuo jure concedebat, his tantùm conditionibns interpoſitis; Ne leges à ſe priuatis negotiatoribus irrogatæ (quæ priuilegia dici ſolent) vnquam reſcinderentur: Vt in litibus facultas eſſet ad Caſtellanam Curiam prouocandi: Vt Alphonſus & ipſius liberi, ſibi dumtaxat, quoad viveret, non ita cæteris Caſtellæ Regibus cum expeditis quinquaginta equitibus præſto eſſent; Quas conditiones poſteà in nepotis Dionyſij gratiam remiſit. Hinc inani fabulæ locus datus, Luſitaniam ab Henrico Comite ad Alphonſum III. Caſtellanis Regibus ſtipendia exſoluiſſe.

Turdania à Rege Caſtellano datur Alphonſo quibuſdam interpoſitis conditionibus.

Luſitania Caſtellæ vectigalis nunquam fuit.

7 Acceptâ donatione Alphonſus illicò ſe Luſitaniæ ac Turdetaniæ Regẽ inſcripſit, & Regij ſtemmatis orę bracteata ex auro Caſtella, vetera Algarbij inſignia purpuraſcenti campo adnotavit,

Res geſtæ in Turdetania

tavit, & totum ſe appulit ad Mauros pellendos è Turdetania, à quibus Pharum, Louleum, Algezurium, Albofeiram, aliaque ignobilioris nominis oppida avertit. Tam impio & antiquo jam poſſeſſore expeditum Algarbium citimum, & Luſitaniæ conterminum, reſpiravit. Eſt enim aliud ultra fretum Gaditanum in Mauritaniæ finibus, è regione Hiſpaniæ, in quo, cùm aliquæ ſint arces noſtro milite inſtructæ, & Mahometanorum incurſionibus objectæ, Algarbiorum cis & ultra mare Rex dicitur Luſitanus.

Legitima Alphonſi proles.

Ex Beatrice genuit Alphonſus ad capeſſenda ſceptra Dionyſium: tum Alphonſum dynaſtam Amææ, Caſtelliviticum, Arronici, Marvani, aliorumque oppidorũ; cui data uxor Violantia filia Principis Emanuelis, qui patrem habuit Ferdinandum III. Caſtellæ Regem. Tertio Beatricis partu editus eſt Ferdinandus, quem ab ubere mors Alcobaciæ tumulandum avulſit. Ibi etiam ſita eſt Conſtantia natorum minima, quam Hiſpalis ætate tenera morientem excepit, cùm mater Alphonſum parentem fratrum Principum, & Sancij filij ſeditionibus agitatum convenit. Alia Alphonſi filia Blanca fuit Lorvanici primùm Parthenonis, deinde Holgarum apud Brauum (Burgos hodie) antiſtes, omnium Hiſpanienſium ditiſsimi. Ad illam ſupellectile, auro & oppidis locupletandam avus paterque conſpirarunt; ille plurimis in Hiſpania, hic in Luſitania, Monte maiori vetere, & Campo maiore attributis. Ex vetito congreſſu filiorum quoque numerum auxit Alphonſus. In ijs fuit

Filij illegitimi.

AEgydius Alphonſi, & Ferdinandus Alphonſi ad templi militiam allectus; Alphonſus Dionyſij, Mariæ Riberiæ conjux; & Martinus Alphonſi ex Afra genitus, à quo Soſæ, qui Chichorri dicuntur, emanarunt. Tandem Eleonora Portugalenſis uxor Comitis Garſiæ de Souſa pecuniæ & clientium in primis opulenti.

Alphonſi ſtatura, & mores.

Faciem magnificè liberalem, & ad Regnum effictam habuit Alphonſus: cæſios oculos: celſam adeò corporaturam, ut admirationi fuerit ſpectantibus, cùm Rex Sebaſtianus tumulos recludi juſsit. Corporis magnitudinem animi celſitudo ſuperabat;

rabat;fuit enim largitionum profuſiſsimus; ut illæ teſtantur Caſtellorum & oppidorum ad Regiam hereditatem ſpectantium Schedæ, quæ in publici cartophylacij turre aſſervantur. Spectata fuit prudentia ad Regni tractationem;& in quo nihil deſiderares, niſi ſinceram aliàs religionem illud ingrati erga Matthildem animi ſtigma compunxiſſet. Ad extremam vitæ metam podagra laboravit,cujus dolores ut leniret,Gillij ex ordine Prædicatorio,ſanctitate illo ævo celebris, cui impensè deditus erat,baculo greſſus fulciebat.

Mors, & ſepultura.

Spiritum efflavit Olyſsippone anno milleſimo,ducenteſimo,ſeptuageſimo nono,cum ſexaginta novem ætatis, duos & triginta in Regno poſt fratris obitum tranſegiſſet, ultrà annum & menſem, quibus vicariam, eo vivente, operam exercuit. Sepultus eſt apud Divi Dominici unde poſt annos decem Alcobaciam tranſlatus juxta parentem ſitus eſt in Divi Vincentij ſacrario,vaſto quodam tumulo ex impolito lapide, qui illuc fuit ex Regum ſacello importatus. In adverſa templi teſtudine viſitur Beatricis tumulus,cujus corpus repertum eſt balſamo medicatum; ſic integro & flavo capillamento, facie vernanti,& recenti ſucco ſuffuſa, ut nihil minus quàm exſtincta crederetur.

AD ALPHONSVM III. LVSITANIAE REGEM.

De liberali & Regia Alphonsi facie.

Qui videt hanc faciem pueri nascentis, Amoris
Instar Acidalia sub face, dicit, habet.
Qui videt hanc faciem juvenis crescentis; in hostem
Grandia Mavortis pondera dicit, habet.
Qui videt hanc faciem nec dum regnantis, honorem
Regis in egregio corpore dicit, habet.
Ergò qui faciem videat regnantis, in uno
Regis amor, virtus Martia vivit, ait.

Profligatum moribus Regnum instauravit.

Iam propè rapta sibi, sibi reddita Lysia vivit,
Occidit ut, Princeps, per tua jura nefas.
Impia monstra cadunt, pia Numina Regna revisunt:
Turpia desugiunt crimina, sacra vigent.
Nullis sicta dolis, nullis manus apta rapinis,
Nullius exercet vis inimica necem:
Nullus in arma furor, nullum scelus armat in hostem;
Sola beat populos pacis amica quies.
Nescit avarus opes: sua crimina nescit adulter:
Lætatur simili prole parentis amor.
Quàm bene sceptra beas tibi credita, maxime Princeps,
Quis licet ad mores vivere posse tuos!

A summo Pontifice Hierosolymam liberaturus dux destinatus, Lusitaniam instauraturus, Rex inauguratur.

Dissidet aula poli pro te, Rex magne: Tonanti
Dum cupit apponi, te duce signa suo.
Pars vexilla dolet Solymæ captiua Tyranno,
Pars Lusitano jam propè rapta timet.
Lysia divino timet hinc malè tuta cruori:
Hinc Solyma, erepta pro cruce, damna timet.
Illa crucem: cupit illa crucis seruare cruorem;
Stemmata Crux seruat, stigmata quina cruor.
Stigmata quina cruor, sine te, periisse fatetur;
Te sine, ferre crucem stemmata posse negant.

Omnia

Omnia conueniunt; tua Lysia te rapit: uno
Stemmata quo seruent stigmata tuta crucem.

Vxorem Mathildem repudiauit, aliam duxit, ut Regni heredem ex ea susciperet.

Parce pio Regi pia Lysia: crimen, & error
Fœdarunt vitæ tam pia facta meæ.
Crimen amor; fuit error opum malè cauta cupido;
Seruat amor crimen: vix scelus error habet.
Error habet causam: levis est quæ finxit amorem;
Hæc levis ingratum me facit, illa pium.
Vxorem mutavit amor: sceptra obtulit error:
Arguit illa fidem, sed data sceptra manent.
Sceptra manent, sed crimen habent; referantur amori
Crimina facta meo, reddita sceptra tuo.



DIONISIVS PORTVGALLIAE REX VI.
VIXIT ANN. LXIIII. OBIIT A°. MCCCXXV.

DIONYSIVS I.
LVSITANIAE REX VII.

ANACEPHALAEOSIS VII.

1 DVCENTESIMVS ſeptuageſimus primus ſuprà milleſimum à Virginis partu procedebat annus, cùm in tanti Regni ſpem ſumma omnium lætitia & plauſu in lucem editus eſt Dionyſius, ſeptimo Idus Octobris, qui dies ſacer eſt Magno Areopagitæ, à quo Principi poſthabitis Maiorum appellationibus nomen inditum fuit. Vbi per ætatem licuit, ijs artibus imbuendus, quæ Regium animum exornarent, optimis præceptoribus à patre traditur: apud quos ita tyrocinium poſuit, quo erat ingenij acumine, ut coævos ſibi Reges facilè anteſteterit, & doctrinâ, & pulcherrimarũ exercitatione facultatum. Peregrinum ſermonem ita avidè arripuit, ut externos libros ſumma cũ voluptate lectitaret; Latinæ poëſeos adeò ſtudioſus, ut propenſionem à natura ipſa congenitam facilè inſpiceres, quàm mira arte, & induſtria cùm excoluerit, nihil ex ijs, quæ poëtam omnibus numeris abſolvunt, in ſummo Rege deſideratum eſt. Luſitanas porrò Muſas illo temporis rudes & incultas ab agreſti inconcinnitate ad floridos ac lepidos rythmos vendicare tentavit, neque cœptis ingenium abfuit, aut eventus: plura edidit limatiori ſtylo perpolita, quæ tum Regiam eruditionem atteſtarentur, tum poſteris ad æmulandum forent incitamento, hæc tamen nobis oblivioſa præripuit vetuſtas.

Ortus Dionyſii.

Humaniorum literarum cultor in pueritia Dionyſius.

2 Vnde vigeſimum inibat annum, cùm naturæ Alphonſus pater conceſsit: huic poſtquam more Regio juſta magnificè facta, in defuncti locum ſufficitur Dionyſius, cui, quod juſta erat

Patri ſuccedit.

erat ætate, Regni gubernaculum pleno jure administrandum committitur, quanquam ægrè ferente Beatrice matre non pœnitendæ prudentiæ fœmina, vel, quia suo labore & industria Lusitano imperio aliquarum urbium fecerat accessionem, vel quia verebatur, ne filius suopte ingenio ad liberalitatem propensior Regni opes inexpertus juvenili jactantiâ, & adulantium lenocinijs titillatus, indecorè prodigeret: nullatenus tamen adolescentis animus (ut est omnis potestas impatiens consortis) perduci potuit, ut eam communicatâ potestate in Regni societatem admitteret: dicere quippe solitus erat viro probro verti, si ab undecimo anno alienâ indigeat moderatione, probrosissimum esse, si fœminæ imploret opem. Quare quanquam Castellæ Rex Beatricis pater id summâ ope contenderit, efficere nequiuit: hinc discordiarum semina, quæ eò processerunt, ut parens filij pertæsa, pietatis obtentu se in Castellam receperit, quo parenti ad extremam ætatis periodum delapso præsto foret; re tamen, ut summum, quem ex repulsa, atque ab illa proueniente dedecore, conceperat dolorem, & testaretur, & absentia leniret; ibique fato tandem functa est.

Matris imperio subesse detrectat.

Dionysij cum alphõso fratre dissidia.

3 Non ita peramanter Alphonsum fratrem complexus est, quoniam in Castellanis Dynastis, quibus filias collocabat, aliqua Lusitaniæ castella, quæ hereditariò acceperat, dotis nomine transferre vellet; obviam item pessimo conatui Regina ivit sanctissima Elisabetha; sed eâ pactione in concordiam tandem venêre, ut Alphonsus, quas Castellam propiùs obtinebat urbes, alijs, quæ in Regni medio sitę erant, quo à suspicionibus forent omnia tutiora, permutaret.

Bellum cum Castellanis, & causa.

4 Neque cum Sancio Castellę Rege firmam aut stabilem pacem coluit; quanquam Dionysio melior belli causa & conditio; Illud inde ortum habuit, quia ijs, quæ in filiorum nuptijs statuerant, Castellanus non steterit, adeóque violatam fidem tulit indignè Dionysius, ut missâ in hostium fines prædatoriâ manu, aliquot oppida expugnauerit, bellúmq; magno utriusque Regni incommodo & jactura aliquamdiu gestum sit. Suis igitur opem laturus Castellæ Rex, & Lusitaniæ fines inuasurus, exerci-

exercitum comparat, ſed conatus omnes inopina mors antevertit & intercepit. Toleti namque in itinere vitâ excedit, teſtamento interim heredi ſcribens, ut Luſitano quæ pridem decreta fuerant, exſoluere quàm primùm curet. Bellum proinde quaſi inducijs interpoſitis conquievit. Vbi verò fruſtra tempus trahi, & quæ jure & defuncti teſtamento conſtabilita eſſent, varia cauſando exequi nõ videt, reſtaurat iterum, & juſto exercitu, Deum prius; ac fœderis religionem conteſtatus, Caſtellã populabundus ingreditur: de pace agit neceſsitate coactus Caſtellanus, quam juſtis conditionibus obtinuit, ſed neque has metu liberatus implere voluit. Quare irâ percitus Dionyſius depoſita reſumit arma, bellumque redintegrat, quod tantâ utrimque immanitate & ſævitiâ illatum eſt, ut neque à ſacris ædibus militaris licentia abſtineret, neque ad illas, tamquam ad aſylum confugere tutum eſſet.

5. Illud porrò inter cætera memoratu inſigne eveniſſe comperio. Hiſpali ſolvens Caſtellanæ claſſis præfectus, qui ingentem triremium numerum, & alia non contemnenda navigia ſub ſignis habebat, Olyſipponem appulit improviſus; ubi onerarias aliquas mercibus jam onuſtas aggreſſus occupavit, portuque avexit: tamen neque victoriæ gloriâ, neque ſpolijs frui diu licuit; injuriæ namque impatiens, qui Luſitanis præerat triremibus, aliquas in tanta trepidatione raptim armat, & Caſtellanum, quàm ocyſsimè poteſt, inſequutus, in Oceano deprehendit: ad manus igitur ventum, & quamquam utrimque acerrimè pro honore & præda decertatum fuerit, victoria potitus Luſitanus, non ſolùm ablata Olyſipponem refert, ſed pleraſq; Caſtellani triremes vi captas, aut depreſsit, aut pro triumphi pompa eò, unde ſolverat, perducendas curauit. Ex ſæuiſsimo bello, quod uſu plerumque venit, firmiſsima pax exorta; quæ ut perpetua foret & inconcuſſa, Ferdinandus Caſtellæ Rex Conſtantiam Dionyſij filiam, Alphnoſus contrà Luſitaniæ Princeps Beatricem Ferdinandi ſororẽ in vxores accepêre.

Triremes à Caſtellano raptas recuperit Luſitanus.

6. Statim à Regni exordio omnibus ferè illius ſæculi Principibus charus fuit, & magni habitꝰ, propter eximias animi dotes, & præclara decora; inter quæ eminebãt Regij faſtigii ornamẽta, atq;

Incorrupta Dionyſij fides.

excelsæ dignitatis lumina præclarissima, syncera fides, justitia incorrupta, magnifica liberalitas. Fidei & Regij promissi integritatem tanti duxit, ut quidquid semel sponderet, & diligenter semper faceret & sanctè observaret. Vt præstitam ipsi fidem nulli umquam violauit, ita nullâ aliâ re sic excandescebat, quàm si secum aliter videret agi. Illud admiratione dignissimum, quod in tanto negotiorum tumultu duo, inter se dissidentia diplomata numquã dederit. Iam verò justitiæ & æquitatis ita amans fuit, ut frugi propter insitam benignitatem impensè amarent, nequam verò & profligatis moribus cives vitiorum vltorem, & sanctitatis vindicem integerrimum formidarent. Ab hoc fonte laudatissimus ille Dionysij mos promanavit, quo præmijs propositis, ijs qui vinctos ad se deferrent, Regnum latronibus magnâ iter agentium commoditate expurgavit.

Sequestri eligitur Dionysius ad Regem Castellanum & Aragoniũ componendus.

Orta per id temporis lis & contentio inter Castellæ & Aragoniæ Reges, atque Alphonsum de Lacerda, qui ad se hereditario jure Castellæ sceptrum pertinere contendebat, quod primogenitus esset filius Principis Ferdinandi de Lacerda; qui superstite adhuc Alphonso patre Castellæ Rege è vita migrauerat, immaturo præreptus fato, eóque dissidia jam processerant, ut armis statuerent decernere: nisi Benedicti undecimi, qui summum pro Christo in terris obtinebat imperium, consilio discordijs obviam itum esset. Hujus itaque monitis & rogatu sacramento se omnes adstrinxêre, Regio nomine & diademate cessurum qui lite caderet; arma omnes abjecturos, staturosque judicio & sententiâ Dionysij atque aliorum, quos in tantæ rei decisionem arbitros delegêre. Quoniam verò in Aragonia (ita enim pactum fuerat) res transigenda erat, longum ingressurus iter, quę usui esse possent, citò comparat, secumque non contemnendam, vel numero vel nobilitate manu adducendam curavit. Fuerunt in comitatu Elisabetha conjux sanctitatis titulo nobilitata: Alphonsus Regis frater: Comites Petrus & Ioannes Alphonsi filij, sed nothi: plerique Regni Pontifices, & Dynastarum permulti. Tarraconem, ubi ventum est, de causæ

Dionysij in Aragoniam iter & comitatus.

statu

ſtatu certior factus, communicata cum ſocijs ſententiâ, ita litem diremit, ut libenter duo in concordiã Reges adducti ſint, paxque firmata inter Alphonſum de Lacerda & Ferdinandum Caſtellæ Regem; quibus compoſitis univerſæ Hiſpaniæ Dionyſij prudentiâ & auctoritate pax reddita.

8 Animorum conciliatricem liberalitatem ita impensè coluit, ut in proverbium propè apud noſtrates ierit: quare domeſticis & externis mirum in modum gratus & charus vixit. Ad eum viſendi ſtudio alieni plures confluxêre, quos ita amanter & benignè accepit, ut famam regijs virtutibus, quod de Salomone admirabunda Sabæorum Regina dixiſſe fertur, longè eſſe inferiorem dubio procul compererint. Nullus ad eum umquam miſer auxilij ergo confugit, qui benignum & largum expertus non fuerit. Teſtes locupletiſsimi Ioannes patruus: Raymon à Cardona, & Ioannes de Lara, quem, cùm in vinculis teneret, abire juſſum muneribus pro ſupplicio cumulauit. Quo tempore litium arbiter Tarraconem contendit Iacobus Aragoniæ Rex uxoris ſanctiſsimæ frater, caſtella aliquot oppigneratis decem mille pondo auri (Dobras vocant) quæ ſumma viginti quinque aureorum millia explet, commodato petijt; pignora Dionyſius non accepit, imò pro affinitatis conjunctione liberaliter dono dedit aureorum millia quinquaginta, Reginæque eximij pretij margaritas & lapides non vulgaris æſtimationis impertitus eſt, extenſâ ad reliquos Dynaſtas magnificentiâ, quorum pleroſque muneribus auxit regia digniſsimis largitate. In Caſtellæ curia ſibi omnino par & ſimilis generum miris adſtrinxit donis; filiam muneribus cumulavit: Ioannem & Petrum Principes miræ eſtimationis donarijs auctos ſibi conciliavit. Neque ijs ſolùm qui præſentem alloquebantur beneficijs frui datum: Abſentibus quoque munera miſit non vulgaria. Cùm verò oblivione Prætor miſſus fuiſſet nobilis Caſtellanus in Luſitaniam ſe recipientem Regem inſequutus urbanè injuriam (ita enim quod communi beneficio ſolus caruiſſet, obliuionem appellabat) conqueſtus eſt; Rex quaſi intuliſſet, ſuorumque oblivionem cauſatus, argenteam

Liberalitas vere regia Dionyſij.

mensam, cui fortè accumbebat, largitus, lætum remisit & ditiorem.

Fauor in agricolas.

Plura in communem populorum gessit utilitatem, quibus, sibi patris patriæ nomen meritissimò comparauit. Vastas & incultas solitudines, ut proscinderentur aratro, distribuit, & agricolas, quos Reipublicæ neruos appellare solitus erat, auxit, & gaudere voluit singularibus immunitatibus. Quamobrem mendicantium numerus admodum imminutus est; illi etenim quibus vires adhuc suppetebant, laborando sibi victum comparabant; labori verò prorsus inhabile vulgus regijs sumptibus alebatur. Reditus & publica vectigalia ita administravit, ut quamvis Regibus cæteris liberalitate præcelluerit, nullus tamẽ copiosum æquè thesaurum heredi testamento legauerit; & quod mirêre, neque tributis neque vectigalibus oppressit plebem. Plures statuit leges, quæ adhuc vigent, & Regni postea juri insertæ fuêre, ipsasque, & priorum Regum sanctiones in certam methodum reduxit; prouidens, ne diutius suscepta lites protraherentur, quod magno altercantium incommodo evenire solet: hodieque in forensi judiciorum ipso strepitu & tumultu Dionysij memoria piè colitur: quoties enim aliquis inopiâ ita premitur, ut solvere nequeat tres supra viginti denarios, quos, qui in Regni Cancellaria sibi iniquam fuisse judicis decisionem contendit, deponere consuevit; ubi Sacramento rei familiaris angustias contestatus est, flexis genibus Dominicam precationem, & Angelicam salutationem pro Dionysij Regis animo ritè & religiosè fundit: ita fit, ut in forensi ipsa perturbatione animarum naufragijs infami preces & supplicia inveniat, qui inibi paternè indigentium inopiæ consuluit.

Leges utiles à Dionysio.

Christi milites instituti; milites D. Iacobi à Castellanis separati.

Exstincto per illud tempus celeberrimo Templariorum ordine, nouum in Lusitania similiter æquitum sub Christi nomine & tutela excitavit: cœnobia & templa multis illustravit donarijs, plerasque civitates & urbes muris cinxit, arcibus munivit: Conimbricensem Academiam creavit primus omni scientiarum genere nobilissimam; ad quam maxima mercede conductos viros sapientiâ præstantes advocavit: Lusitanos mi-

lites

lites, qui à Divo Iacobo nomen accepêre, à Caſtellæ Magiſtri exemit ſubjectione, Luſitanumque Nicolai IV. ſummi Pontificis indulto equitum ſuffragijs fieri mandavit: Salaciæ eiſdem cœnobium exſtruxit, quod poſtea in vicinum oppidum (Palmellam dicunt) transductum fuit.

11 Matrimonio ſibi copulauit Eliſabetham inter Luſitaniæ Reginas ſanctitatis cognomine inclytam, Petri Aragoniæ Regis ex Conſtantia Manfredi, qui tunc Neapolis & Siciliæ Regna obtinebat, filiam. Ex Eliſabetha liberos procreavit Dionyſius Alphonſum, qui patri in Regnum ſuffectus eſt, & Conſtantiam; quæ Ferdinando Caſtellæ Regi nupſit. Ex damnato thoro ſuſcepit etiam Alphonſum Sancium, qui patri maximus œconomus fuit, & cæteris omnibus longè charior, quod adeò graviter & iniquo animo paſſus eſt Alphonſus Princeps, ut hujus in fratrem odium, patris verò indulgentia & charitas civilium bellorum ortus fuerit, & Principum. Progenuit præterea Petrum Barcelli Comitẽ, qui de Luſitaniæ familijs librum conſcripſit, & apud Taroucam in Diui Ioannis Cœnobio ſepultus jacet; Ioannem itidem Alphonſi, & Ferdinandum Sanciũ; Mariam filiam, quam Ioanni De la Cerda conjugem dedit; ejuſdem nominis aliam, quæ religiosè Odivellis (cœnobium id illuſtre eſt à Dionyſio regijs ſumptibus & magnificentiâ conſtructum) & vixit, & fato conceſſit. *Coniugium & liberi.*

12 Senectute jam gravis, bello civili admodum afflictus eſt, cui præter ea, quæ commemorata ſunt, filij ſiniſtrum ingenium, & conſiliarij aliquot non admodum Numinis reverentes occaſionem miniſtrârunt; atque adeò diſcordia proceſſit, ut Rex in Caſtellam, quaſi exilium Alphonſum Sancium Principis odio multis invidioſum miſerit, quo diſceſſu majori ex parte ſedata diſſidia, minimè verò fratris ferox animus delenitus: adeò ejus pectori ira inſederat. *Civile bellum inter Dionyſium & Alphonſum filium.*

13 Iuſtâ fuit Dionyſius corporis proceritate: ſubrufo capillo, nigris oculis, vivido colore; ſuccoſo vultu, Regia Majeſtate, quàm pulchritudinis venuſtate magis conſpicuo: comis, humanus, & ſine faſtu Rex. Cùm Luſitanum Imperium ſex *Statura, vestimentum, & obitus Dionyſij.*

ſupra quadraginta annos moderatus eſſet, obijt Scalabi octogeſimum quartum agens, poſtridie Nonas Ianuarij, ineunte à Chriſti ortu 1325. Defuncti cadaver Odivellas in Olyſipponenſi agro, ubi Ciſtercienſibus monialibus ex Divi Dionyſij Areopagitæ nomine celebre monaſterium erexerat adductum, & ritè ſepultũ fuit. Quo tempore cùm ſibi finem vitę adeſſe intelligeret, teſtamentum condidit ex ærario CXL. millia aureorum, qui numus quatuordecim denariorum valorem æquat, juſsit extrahi, tradiq́ue illis quibus teſtamenti curam demandabat, ut dividerentur in Religioſorum hominum & fœminarum cœnobia, peregrinorum hoſpitia & noſocomia, orbarum puellarum dotes, expoſitorum infantium educationem. Legavit prætereà mille & quingentos aureos inculpatis moribus equiti, qui ſuo nomine adverſus Chriſtiani nominis hoſtes Mahometanos apud Hieroſolymam, & ea loca, quæ humanæ conditionis aſſertor Chriſtus Dominus nobilitaverat, biennio dimicaret. Superſtes conjugi vndecim fermè annos Regina vixit Eliſabetha, quibus Divæ Clarę nobiliſsimum Conimbricæ ad Mondæ fluminis ripas Parthenium, quod primis fundamentis pridem inchoauerat, feliciter abſoluit: ibiq́; inter Chriſti ancillas, faſtu depoſito; magno virtutum ſplendore & miraculorum prodigijs clara extremum tandem diem obijt & quieſcit.

APPENDIX
AD ANACEPHALÆOSIM
VII. REGIS DIONYSII.

IN Belgio, ac prælo erant Anacephalæoſes, cum in vita D. Ludouici Epiſcopi Toloſani hiſtoriam reperi, quam hîc non ſubijcere duxi piaculum, maxime quia communibus regni annalibus non circumfertur.

Fuit Ludouicus Caroli II. Neapolis, ac Siciliæ Regis filius, & Mariæ, quæ Hungarorum Rege nata tres fratres Reges vidit, Stephanum, Ladiſlaum, & Henricum. Ludouicus tamen, cum ob ætatis prærogatiuam (erat enim natu maximus) regnum eſſet obtenturus, maluit nudũ Chriſtum nudus ſequi in ſanctiſſimo Minorum Sodalitio, à quo inuitus ad Toloſanum Sacerdotiũ Summi Pontificis edictis abreptus, tot in vita geſſit miracula, vt poſt mortem Diuorum numero ſit aſcriptus. Eliſabethæ Dionyſij vxori cum Ludouico cognatio intercedebat ob auiam Ardeuram (Hiſpani dixere Violantem) Iacobi I. Aragonum Regis vxorem, Andreæ Hungarorum filiam. Accedebat quòd ipſius Eliſabethæ frater Iacobus nuptias contraxit cum Blanca Ludouici ſorore.

Tota Europa & Hiſpania potiſſimùm vulgabantur Ludouici, iam vita functi geſta, quæ Regina Eliſabetha non tam ſanguine, quàm veritate, & pietate inſtigante, ſemper in ore circumferebat, & Dionyſio fidem minimè adhibenti ſuggerebat. In ſyluam Iuliæ Paci vicinam Rex venaturus contendit; cùm in media ſolitudine ſtipatoribus deſtitutus in vrſum incurrit, qui ingenita feritate in Regem inſilit, medium complectitur, totum impedit, & equo deturbat; ſtrato manu altera dirus inſultat, altera equi habenas torquet. Rex ſe aperto vitæ diſcrimini obiectum perpendens, Ludouici quamuis ſero, recordatus, ſuppetias ardenter implorat. Ille Monachi habitu & pontificia tiara inſignis ſubitò affulſit, & turbato Regi, Quid hic, inquit, tibi eſto negotij? pugionem educito, & vrſum contrucidato. Dionyſius animo redintegrato,

dextera, quam expeditam mox ſenſit, expeditum ferrum extrahit, & in ſiniſtro vrſi armo defigit; & monſtro profligato, equoque conſcenſo ad ſuos impiger erumpit. Procedenti fit obuius agricola toruus & caperatus. Rogat, cuias eſſet; Ille ſe aſſerit eſſe oppidi illius incolam, inquo hominibus, cælitibuſque infeſtis Regi prandium parabatur; Dionyſius iterum quærit, quid à Rege incommodi accepiſſet. Oppidanus honeſtum aliquem minoris ſubſellij hominem ratus, reſpondet. Cocus ille, cui delegata eſt cura Regem cibo excipiendi, vaccam, tres arietes, gallinas totidem ab inuito per ſummam iniuriam, & nec dato ſaltem teruncio, extorſit, dictitans, in Regis vſum hæc fieri, qui terrarum DEVS ſit. Regem, Regiſque ſatellites malæ diræ, mali perdant dæmones, quando rem meam perditum miſerunt; & me in abruptam deſperationem impulerunt. Dionyſius hominem ſolatur, & ſecum in pagum deducto veritatis certior redditus, omnia reddi curauit, & cæteris, quibus ſui cauſa aliquid eſſet damni irrogatum. Deinde nequam illum menſæ præfectum ſagittis confici iuſſit, vt cæteris præconio eſſet, nulli impunè futurum ſi Regis authoritate à quopiam, nedum ab egentibus agricolis, aliquid per fraudem expiletur. In prodigij monimentum viſitur hodie in Pacenſi vrbe, in Minorum cœnobio à Rege Sacellum Diuo Ludouico ſeruatori dicatum.

AD DIONYSIVM REGEM.

Quas cupijt proprias generoso in Principe dotes,
In Cyro Xenophon finxit inesse suo.
Si te vidisset regnantem & sceptra tenentem,
Diceret effigiem Principis esse sui.
Tam placidè regnas, tam fortiter arma lacessis,
Tam placet imperij regia forma tui.
Tam bene regali tribuis dona aurea dextrâ:
Tam bene regales ipse tueris opes.
Sic Majestatem diuina modestia lenit,
Blandus amor cogit sic proculire metus.
Quique vel Herculeis es Rex inuictus in armis,
Vinceris ad molles voce rogante preces.
Te pictus agnum, reddit vindicta leonem,
Te bellum Martem, pax facit alma Numam.
Non est in terris à quo, Rex, discere possis;
Regnandi è cælo, Rex, tua forma venit.

De liberalitate Dionysij.

Ius tibi justitiæ summa est & cura tuenda,
Quam propter Princeps Regna aliena petis.
Dum Regnum dirimis, das vasa smaragdina, litem;
Gratia plus Princeps quàm tua vasa, gerit.
Dona manus Regum, populorum munera dextræ
Excipiunt: tulerat qui nihil vnus erat;
Nondum ait effusæ gustavi munera dextræ;
Fortè dapes Regi mensa opulenta dabat.
Mensam ex argento, dum murmura concipit, olli
Rex dedit, ingenij est Principis istud opus.
In mensa Rex ante cibos & fercula sumpsit,
Regales epulas post data mensa fuit.
Sumpserit in mensa licèt aurea fercula Princeps,
Nullum tam gratum quàm data mensa fuit.

Ad

Ad Regem Dionyſium, quod miſerit Reginam Eliſabetham in exilium.

Proh pudor! Illa animo & magnis virtutibus ingens
Exulat imperijs per ſua Regna, tuis.
Quod ſcelus admiſit, niſi quod cæleſte Tonantis
Numen adit, paci ſemper amica tuæ?
Quæ Martem ut fugeret, ſubijt diſcrimina Martis,
Martia ſanguineâ ſuſcitat arma manu.
Hujus opes faciunt operoſa tumeſcere bella,
Pauper habet, nato quas dare credis opes?
Ecce putas vultus certiſſima pignora mentis,
Frons animo pacis Numen adeſſe probat.
Forſitan erroris ſub imagine crimen adumbras;
Error hic æternâ labe piandus erit.
Vita ita ſublimis ſupra ſcelus eminet omne,
Iudicium damnent ut pia facta tuum.
Flectitur exilio virtus in conjuge Princeps;
Non hominem exilio, Numina perſequeris.

AD LVSITANIAM.

De Rege Dionyſio.

Lyſia quam felix hoc Principe, quámque ſuperba es?
Cæſaribus numquam par tibi Roma fuit.
Si tibi pugnandum eſt, vel Marte potentior ipſo,
Cogit ad infamem caſtra inimica fugam,
Ocia ſi placeant, poſito dabit ocia ferro;
Inter aratores primus arator erit.
Si cupis ut faſtus, Majeſtatémque ſuperbi
Imperij oſtentet; tam bene nullus aget.
Iura etiam dando vincit Minoa, Solonem
Vincit, & ÆEgeriâ jura docente Numam.

Ad Regem Dionyſium.

Neſtores, Atrides, Priameius Hector, Achilles,
Phillyrides Chiron, Amphitrioniades.

Annibal

Annibal & Fabius, Pompeius, Sylla, Camillus,
Scipio, Fabricius, cum Numitore Numa.
Curtius, Augustus, Brutus, Cato, Nerva, Philippus,
Cæsar, Alexander, Codrus, & Hippolytus.
Quemlibet ex istis poteris te dicere, Princeps?
Quilibet ex istis tu quod es esse nequit.



M S. ELI.



S. ELISABETHA LVSITANIÆ REGINA
VIXIT AN. LXV. OBIIT AN. MCCCXXXVI.

S. ELISABETHA LVSITANIAE REGINA.

ANACEPHALAEOSIS VIII.

SAnctiſsima Regina Eliſabetha patrem habuit
1 Petrum Aragoniæ Regem, Iacobi, ob eximiam ſanctitatem & bellicam virtutem, glorioſam, ſancti pariter & oppugnatoris nomenclaturam adepti, filium; Matrem verò Conſtantiam, Manfredi Siciliæ Regis filiam, Federici ſecundi Imperatoris neptem. Regnante adhuc avo, anno à partu Virginis 1271, in lucem edita eſt; præter ſolitum obvoluta & undiquè ſepta membranarum integumento (ſecundas Latini vocant) non ſine admiratione lætóque præſagio vitæ honeſtiſsimæ, cui pellicea tunica ſuccincta, claris rudimentis præludebat, ad paradiſum quaſi poſtliminio reditura. Exuvias igitur mater argentea capſella incluſas in ſuo theſauro cuſtodiri juſsit. Inditum illi, dum luſtralibus aquis ablueretur Eliſabethæ nomen, ob recentem alterius Eliſabethæ ſororis aviæ paternæ Violantiæ, Andreæ Pannoniæ Regis filiæ memoriam: quæ non ita pridem illuſtri ſanctimoniæ præconio floruerat, emiſſo, viventis adhuc mariti facultate, caſtitatis voto. Illóque mortuo, inſigne noſocomium ędificauit, in quo vitæ reliquum conſumeret, ſervilibus vltrò addicta miniſterijs pauperum uſui opportunis, multis clara miraculis, ob idque à Gregorio 9. Pontifice maximo in ſanctarum numerum relata eſt.

D. Eliſabethæ nativitas.

Nomen unde inditum

1 Hiſce parentibus, & quas attigimus circumſtantijs, orta, avum Iacobum tanto perfudit gaudio, ut poſita ſimultate, cum Petro filio optimus ſenex gratiam ſtatim redintegraret; neptemque pacis domeſticæ arbitram & ſequeſtrem in ſuam Regiam ducendam curavit ſtudioſiſsimè alendam, omnique virtutum

Vbi nata eſt, inter avum & patrem pacem confirmavit.

tutum exemplo diligẽtiſsimè imbuendam. Et facto præſtitit, ne honorificum illius vaticinium vanum redderetur, quo ſolitus prædicere ſuam neptem clariſsimum Aragonenſis regiæ ſplendorem haud dubiè futuram. Illam Iacobus naturæ concedens ſextum agentem annum reliquit. Mox domum Patris reducitur, ubi tenera in ætate ſe ipſâ maior, quid in robuſta fa-

Virtutis indicia in infantia.

ctura eſſet, non obſcurè indicabat, eumdem viuendi morem ſeruans, tota ad modeſtiam compoſita, præceptorum quæ in auita aulâ didicerat, non oblita. Octauum annum attingens, diurnum ac nocturnum horarum canonicarum penſum ſtudiosè reddebat: ira in egenos, quorum miſerijs compatiebatur, liberalis, vt quidquid per ætatem liceret, illis ſuppeditaret, mirante Patre, proſperoſque ſuarum rerum ſucceſſus filiæ meritis acceptos referente.

Haud poterat tam eximiæ ſanctimoniæ ſplendor inuidè obtegi, quin tranſluceret, clariſsimique gratiæ & naturæ dotum radij orbem peruaderent. Multi illam magno ex Latio, totaque petebant Europa in vxorem; Neapolitanus videlicet Princeps, & Britannus, miſsis in eam rem eodem tempore oratoribus. Hæ tamen preces, etſi honorificæ, Aragonio graues admodum apparebant, ne amantiſsimam à ſe filiam ablegare cogeretur: Eliſabethæ grauiores, utpote humana præ diuinis pili facienti, Regioſque thalamos puriſsimis Diuini Agni nuptijs poſthabenti. Mortuo paulò antè in Luſitania Alphonſo III. Regni clauum moderabatur eius filius Dionyſius: qui ubi primùm rerum potitus eſt, nihil habuit antiquius, quàm tres nobiliſsimos aulicos, Ioannem Velho, Ioãnem Martinium, & Vaſcum Pirezium ad Aragoniæ Regem Barcinonæ tum temporis commorantem, oratores deſtinare; qui Eliſabetham in Luſitaniæ Reginam enixè peterẽt. Hęſit valdè dubius Aragonius, quem potius è tribus petitoribus ſibi generum eligeret: Tandem re melius conſideratâ, Dionyſium Principibus Salernitano ac Britanno non temerè prætulit. Hi enim Regnum adhuc ſperabant, ille verò poſsidebat: nec tam arcto ſanguinis vinculo, ſicut duo priores, iunctus erat; ut non niſi interpoſitâ

Eliſabetha multis petita, Dionyſio deſpõdetur.

posità Sedis Apostolicæ auctoritate Elisabetham duceret. Feliciter adiudicata lite dubia Lusitanis, Ioannes Velho legationis Princeps, ex tradita sibi ad absoluendum negotium potestate, ne victor victoria uti nesciret, Elisabetham nomine Dionysij in vxorem accepit: decreto statim die, & ordine, quo viæ se expediret, Aragoniamque desereret. Res tam bene transacta Regem uniuersamque Lusitaniam mirificè exhilarauit, excellentissimam Reginam, veluti de cælo lapsam, exspectantem.

4. Vt primum profectionis tempus aduenit, magno, vt par erat, comitatu, charissimum pignus Pater ad Castellæ usque fines secutus, vix præ lachrymis ab eius colloquio auulsus est; illam ibi amitinus Sancius perhonorificè excepit, bellique negotijs distentus, fratrem suum Iacobum viæ comitem dedit, & Castellæ proceres nobilissimos. Brigantij in confinibus Lusitaniæ constiterat Alphonsus Regis Dionysij frater, Episcopis, Dynastis, & nobilibus stipatus. Huic tradita Elisabetha Trancosium, quò se Rex contulerat, deducta est; vbi tam felices nuptiæ incredibili omnium lætitiâ & plausu celebratæ Augusto anni 1282. humanæ Salutis. Assignantur illi à Rege peculiares reditus ex certis oppidis (vt mos est in Lusitania) amplissimi: peculiares aulici & ministri. Non mutârunt noui honores pristinos Elisabethæ mores; imo ab illis nec transuersum digitum aut latum unguem discedens, Diuino adspirante Numine duodecim annorum ætate disparia numerosè temperans, delicias temperantiâ, gaudia lacrymis, holosericas & aureas vestes voluntariâ maceratione, diuinisque precibus ingeniosè commiscebat; & animo in Deum translato, Regis obsequio non deerat.

Deducitur in Lusitaniam.

Nuptiæ Trancosij celebrantur.

5. Huius rei gratiâ diurnum tempus distinctè & ordinatè disposuerat. Ab strato surgens, matutinas preces & Primam recitabat; paratis mox in sacello ad rem diuinam Sacerdotibus, symphoniacisq;, sacro flexis genibus religiosè aderat: exosculataq; faciẽtis manu, pro diei ratione munus, ne vacua appareret, offerebat; ad reliquas deinde horas canonicas absoluẽdas (quem morẽ perpetuò seruauit) reuertebatur: quibus pro corollario vir-

Tempus quàm habuerit ad preces, & pia opera dispositum.

gineas precationes ac funebres addebat. A prandio adibat sacellum ad vespertinas preces audiendas, & quod suis deerat, recitabat: remotisque arbitris cælitum colloquio vacabat, & libros ad pietatem institutos evolvebat, fluentibus ubertim lacrymis, mirâ liquefacti animi teneritudine. Ad muliebres deinde artes, ne ipsa domesticæque famulæ otio diffluerent, se conferebat; quibus exemplo prælucens proprijs manibus sacram aræ supellectilem operosa conficiebat. Expiatis pia detestatione maculis, frequenter ad augustissimam Eucharistiam accedebat. Hæc Diuæ Elisabethæ fuerunt studia: his occupationibus ex Apostoli consilio tempus redimebat; quin aulæ curam omitteret, cui bene instituendæ industriæ nervos sedulò intendebat.

Mira Reginæ abstinentia.

Quemadmodum orandi studio nimio opere dedita erat, sic 6
orationis asseclam abstinentiam diligenter obseruabat, ne distentum lautis epulis corpus mentem ad superos evolantem deorsum traheret. Nam præter statos ab Ecclesia per annum esuriales dies, tres singulis hebdomadis jejunio transigebat; integrum Christi Domini Aduentum; à die etiam Divo Ioanni Baptistæ sacro, usque ad Virginis assumptæ ferias; huic subinde Angelorum (ut appellant) quadragesimam adjungebat Divi Michaëlis festo claudendam. Et quasi per hæc indulgentiùs secum ageretur, diebus Veneris & Saturni per annum Deiparæ Apostolorúmque priuilegijs solo pane & aqua vires utcumque reficiebat. Longiùs hac in re progrederetur, nisi progressuræ aureum mediocritatis frænum Dionysius injiceret: Norat prudentissima Regina inter opiparas ac saliares mensas vermes scaturire, & mollibus serici vestibus vitia libentiùs cubare. Illud ejus abstinentiam non leviter commendat: Alanquerij ob perditam valetudinem Medici Reginæ præscripserunt, morbo id postulante, ut vini modicum degustaret: illa tùm, quòd unicè abstemia, tum quòd ad valetudinem supervacuum reputaret, renuit (in more enim positum Lusitaniæ Regibus nedum Reginis à vino esse penitus alienos) mirum sanè: pristina Canæ Galilæicæ metamorphosi renovata, bis clientæ urceolum

Aqua in vinum bis mutata.

frigi-

frigidæ attulerunt, bis divinitus in generoſum vinum frigida verſa eſt.

7 In leuanda pauperum miſeriâ, quos vel durior egeſtas oppreſſerat, vel atrocior afflixerat morbus, aut immitis fortuna jactauerat, adeò frequens extitit & munifica, ut crebræ largitiones opes excedere viderentur; nullus Reginæ liberalitatem non ſentiebat; hoc enim eleëmoſynarum diſpenſatori edixerat. Non pauci ſub ſpecie egeſtatis illam adibant; non tàm ob lucrum, quàm ejus conſpectu ſtipem pia munificentia largientis recrearentur. Peregrinos, præſertim exteros non ſolùm hoſpitio perhumaniter excipiebat; ſed novis indutos veſtibus viatico juvabat. Omnibus tam virorum quàm fœminarum cœnobijs, juxta illorum copiam vel inopiam, annonam dividebat. Nec intra Regni limites regia liberalitas circumſcribebatur; fines prætergreſſa, externos bene merendo ſui memores faciebat. Nobilibus pręcipuè prudenter inuigilabat, qui reflante fortuna, ex magnis opibus in miſeriarum anguſtias exciderant. Facta certior plurimas in Regno eſſe honeſtas fœminas, vulgiſque non paucas inopia laborantes, ob idque fortaſſe non procul à Charybdi, multam illis veſtem per fide dignos diſtribuit, multáſque honeſtis nuptijs collocauit. Et quamvis omni tempore, eſurialibus tamen ferijs ejus pia liberalitas triumphabat. Illam ſacroſancta hebdomada videres vili amictam veſte, ſolemnibus Eccleſiæ ſacrificijs ac precationibus religioſè adeſſe. Quadrageſimæ diebus Veneris, tredecim egenis pedum ſordes ob ſequioſa abluebat, infixo plantis oſculo nouiſque operiebat indumentis. Id ipſum ex Chriſtiano ritu ſacri Iouis die totidē fœminis pręſtabat: illud tùnc accidit mirabile.

Reginæ largitas in pauperes & hoſpites.

8 Alterum pedem quædam protulerat lauandum, alterum verecunda abſcondebat enormi cancro exulceratum, putriſque fœtore pæne exeſum, pervicit Reginæ pietas, & fœtidum vlcus digitis leniter contrectans lavat, abſtergit, fovet, oſculatur, ſanitatiſque reſtituit: quod ęgra ubi primùm domum redijt, doloris expers admirabunda conſiderauit. Scalabi feria ſexta majoris hebdomadæ ſolitum hoc miniſterium perege-

A cancro & ictu fœminā & virum ſanat.

rat,

rat:cæteriſque abeuntibus,in aula unus remanſit debilis, alienæque opis indigus. Offendit eum janitor,iràque efferueſcens: Quid tu pergis,ait, tam graui morbo nobis moleſtus eſſe? & miniſtrante ſubitò furore arma, baculo miſerum dedolauit. Factum monita Regina à domeſtica fœmina tulit permoleſtè: adduci coram ſe jubet,ſuis ipſa manibus icto adhibet medicamenta, & peculiarem illius curam deinceps haberi imperat: qui tamen die poſtero Eliſabethæ ob recuperatam valetudinem gratias ſanus retulit.

Nummi in roſas verſi.

Quàm grata Deo fuerit hæc in egenos benignitas, gratioſũ miraculum declarauit, vel à pueris Alphabeticis in Luſitania ſolitum in vicem referri. Magnam aliquando pecuniæ copiam pauperibus diuidendam, collecto veſtis ſinu, ipſa gerebat. Accurrit Dionyſius Rex,quid rei,ſciſcitatur? Roſas,inquit Eliſabetha;roſæque explicato ſinu,per hyemem alienis menſibus pulcherrimo colore diuinitus efformatæ, apparuerunt. Ob cujus memoriam roſas ſinu explicans ſolita depingi, & in cœnobio Diuæ Claræ ex portis quædam à roſis nomen habet,ob crebras illic factas egenis largitiones. Ob has tãtùm diuitias,& pecuniam æſtimabat,ut maior ex benè impenſis Diuino Numini gloria accreſceret;& quæ ſibi frugi moderataque,ad illas contemptis opibus pietate ſingulari profuſa erat. Vnde,ſi fruſtratum iri hanc opem cerneret,teruncij diuitias æſtimabat.

Maritum fratri Alphonſo ut conciliauerit.

Grauiter diſſidebat à Rege Dionyſio ejus frater Alphonſus,periculoſâ de reditibus lite, non ſine ſanguine dirimendâ: ſuis expenſis Regina amicitiam auro pretioſiorem redemit, Cintram aliaque oppida in Luſitania, & amplos in illis reditus marito lubentiſsimè remittens. Præcipuum Reginarum munus eſſe intelligens,iratos in populũ & clientes Regum animos mulcere,officijque admonere,& hoſtiles fraudulentorum mutuo inſidiantium telas clariſsimis veritatis radijs retexere; in hunc ſcopum omnes cogitationes deſtinabat. Regem monebat frequenter, ſuadebat efficaciter, beneuolum animum, mentemque benignam in benemerentes acciperet: nec aures falſis delationibus præberet. Ipſa,ſi quos exaſperatis animis diſcordare

discordare intelligebat, ad concordiam æquis conditionibus reuocabat; ne perplexis litium ambagibus, odioq; Vatiniano tempus tererent, facultates exhaurirent, ac vitam in discrimen pertinaciter adducerẽt; largaq; manu, si debitores iniuriæ damnum, vel quid simile, soluendo non essent, munera, & beneficia largiebatur, ne pacis conditiones medio in cursu retardarẽtur. Non tamen ob hęc, siquid iustitia omnino plectendũ suaderet, districtoq; vindictæ gladio resecandum (quod in fœminis maximè mirandum) crudeli pietate, ac inani misericordia protegebat, Hexo in contrariam sententiam Regis animo.

Pacis terendæ quàm studiosa Elisabetha.

11 Pacis verò conciliandæ amor extra Lusitaniæ limites, longè, latéq; extendebatur, in reliqua præcipuè Hispaniarum Regna, ne eorũ Principes, dum intestino odio mutuò desæuiunt, alijq; alios omni conatu bello subiugare studeant, perfidis ex Mahometica fœce Mauritanis, non modicã adhuc Hispaniæ partem incolentibus, oramq; maritimã classibus infestantibus, & in insidias excubantibus, dolendæ Reipub. Christianæ occasionem imprudenter exhiberẽt. Illa patrem suum Iacobum Aragoniæ Regem, & generũ suum Fernandũ Castellæ Regem dissidentes, quod multi Principes frustra tentauerant, ad verę pietatis amicitiã adduxit: perfecitq; ut Regem Dionysiũ uterq; iustissimum dubiæ litis arbitrum fraterna unanimitate eligerẽt, Regisq; decretũ, velut ex Delphico tripode, oracula audirẽt. Quod re ipsa præstiterunt, & ob hanc causam Dionysium Elisabetha, posthabito otio, magnis expensis in Aragoniã sequuta est. Eundem Dionysium Regem, ac Regẽ Castellæ Fernandũ, ad triste bellum, tristiaque arma, nullos habitura triumphos, iam iam venturos, felicissimè sedauit.

Pax inter Iacobum Aragoniæ, ac Ferdinãdum Castellæ.

Inter Dionysium, & Ferdinandum.

12 Bis, vel ter Alphonsum Principem aduersus Patrem Dionysium impiè rebellantem, & iuueniliter exultantem, Leiram, aliaq; oppida pleno dominio sibi usurpantẽ, fracto impetu domuit, Regique obsequiosum tradidit: & ciuile bellũ, quo in sua viscera Lusitania ferrum conuertebat, dum tumultuaria seditione, alij à Principe, à Rege starent alij, penitus consopiuit. Tunc maximè, cùm non procul Olysipone glisscere pugnam audiens, fundarum rotatu lapides contorqueri, distri-

Alphonsus sæpe patri pacificatus.

tum vibrari ferrum, quo mutua internecione patria funditus periret; mulam ascendit Regia Heroina, & per medias acies, mediaque tela volat impigrè trahente mulam anteambulone, Tartareum populi furorem detestans, vesanam rabiem objurgans, omnique sermonis eloquentia profusis præ intimo cordis dolore lachrymis, rebellem filiũ reprehendit: itque, reditq; viam toties, nunc ad patrem, nunc ad filium, quem tãdem reconciliata gratia ad Patrem manum osculaturum duxit.

Delata ad Regem, quod filio faueret, Isabellæ exulat.

Hæ pacificationes non paruo Reginæ stabãt: & quæ solùm 13
ad aliorum concordiam natà videbatur, ab eisdem sibi exoriri discordiam, & conflari inuidiam sentiebat. A pessimis cõsiliatoribus ad Regem delata est, quod Alphonso filio à Pãtre discordanti belli subsidia, ac neruos occultè subministraret: occultaque Regis arcana Principi nudaret: idcircò omnia stratagemata eludi, ac è manibus toties elabi. Indignatus Rex vehementer adimit Reginæ oppida, & reditus amplissimos: Alanquerium velut exulem relegat; illinc pedem efferre prohibet. Dictum, factum; paret imperanti, abit in custodiam. Quod vbi per Lusitaniam vulgatum est, quantoperè bonorum animos perculerit, non facilè credi potest. Ex templo plures adeũt Reginam, in quibus arcium illius prætores, semel, atq; iterum precibus obsecrant; liceat armis ius prosequi, quousque indignum exilij decretum rescindatur, & immeritò sugillata dignitas recuperetur; domat fidelium clientium iram Elisabetha, lenitque ferociam; linquant hunc superis laborem, vni se Deo fidere, cui propitiando die, nocteque studebat, voluntarijs pœnis se macerans: integras hebdomadas simplicis aquæ, ac panis ieiunio transigens, fusas interim ad Deum preces non intermittens. Per hæc Reginæ Fides obryzo auro purior Dionysio apparuit: illam pristino honori restituit, & impensiùs veneratur: ut amantium iræ fortioris essent amoris redintegratio.

In adulterinos D. Dionysij liberos singularis.

Non minor, imò fortasse, si muliebrem fragilitatem consi- 14
deres, maior Elisabethæ prudentia, & constãtia apparuit, dum illicitos Regis amores æquo animo tolerat. Maritalis enim tori oblitus,

ri oblitus, & Reginæ florenti in ætate omnibus dotibus suspiciendæ, suiq; decoris immemor, qui populis seruandarum legũ exemplum esse debuerat, in varios pellicum amores distractus est. Regina, ac si illius sanctum ius non violaretur, eadem animi serenitate perstabat, mare per halcyonia tranquillum diceres, suiq; immemor, solum Deum lædi sentiebat: & populũ publico Regis exemplo pronum trahi posse ad flagitia. Quin imò ipsosmet ortos ex pellicatu liberos non odio nouercali, sed materno amore, ut suos complectebatur: seduloq; nutriri, & erudiri curabat, mira in nutrices, ac nutritios indulgentia, & liberalitate: criminationibus aures præbens obseratas. Obstupuit præclara Elisabethæ patientia Dionysius: & cõcitatum rapidæ libidinis cursum fortiter inhibuit: inuiolatasque deinceps maritalis fidei leges ad extremam vitæ periodum seruauit.

Regina indulgentia.

15. Alienato per id temporis Regis animo, procliuè fuit, finistrum quid de innocentissima Regina suspicari. Aulicus iuuenis acribus inuidiæ stimulis exagitatus, quòd alterius famuli optimis moribus imbuti opera, & industria Elisabetha in subleuanda egenorum inopia frequentiùs uteretur, hoc ipsum, ut suspectum læsæ fidei, Regi falsarius sycophanta indicauit. Famulum statim de medio tollendum decernit. Ergo operis in calcaria fornace laborantibus secreto imperat (incertum Olyssippone, ac Conimbricæ acciderit) ut quem primum nuntium ad eos miserit, momento in ardentem fornacem comburendum detrudant. Præmissus postea innocens iuuenis ad sibi destinatum incendium, fortè in vicino tẽplo, signum dante tintinnabulo sacræ Eucharistiæ adorandæ, vt fit in sacro, acurrit; diuque ex paterna disciplina, quòd plura se obtulerint sacra, feliciter immoratur. Rei euentum cupiens scire Rex, eidem quadruplatorem mittit. Vbi primùm calcarij Regiam agnouere tesseram, confestim ex condicto ligneis tridentibus, palisque bifurcatis hominem inuadunt, & manibus licet, pedibusque reluctantem, lacrymosaq; vociferatione Regis auxilium inclamantem, in ardentem voracibus flammis calcariam deijciunt. Quod ubi ex primo nuntio Dionysius resciuit, defixus

Sycophanta in calcaria fornace pœnas luit criminis in Reginam conficti.

ſtupore hæſit, miratus diuino ex decreto, malum conſilium conſultori peſsimum euaſiſſe,& ſanctiſsimę Eliſabethæ fidem à calamitoſa fama cælum pernicioſa flamma vindicaſſe.

Conſtantia prima Eliſabethæ ſobles Fernando Caſtellę Regi locatur.

Primo partu filiam edidit nomine Conſtantiã,ut maternam 16
auiam referret: illam Fernando Caſtellę Regi huius nominis III. uxorem dedit,celebratis incredibili utriulq; Regni gaudio nuptijs, pręmaturo Cõſtantiæ obitu paulò poſt ſimili dolore condiendis.Scalabi Arambujam Eliſabetha cum marito Dionyſio petebat. Procedit illi obuiã anachoreta,paucis Reginam velle obteſtatus. Qui facta loquẽdi copia: Etſi grauis nuntius, ait, tuas aures verberem, ſcias clariſsimum tuum pignus Reginam Conſtãtiam celeri fato obijſſe:illius imago ſubtriſtis meo in ſacello non ſemel occurrit deprecans,de hoc te certiorẽ rederem: & quomodo eius anima ſapiente Purgatorij igne torqueatur:quẽ,ut celerius euadat,interimq;aliquantulum dolor miteſcat, annuas auguſtiſsimi ſacrificij ſuppetias à matre rogat,oratq;.Poſtulatis abundè mater ſatisfecit: annoq; peracto Conimbricæ per ſomnium candida in veſte, hilari vultu, filia Reginam proprio nomine compellans: Mater,ait, Eliſabetha Mater,meritas tibi ſuperi,ad quos ſupplicio libera volo,gratias referant.Euigilat Regina,nec ſatis præ gaudio ſibi conſtat: ſacellum adit:accedit ſacerdos vitæ integerrimæ;annuũ ſacrificij munus abſolutum eſſe referẽs: tum domum ob veriſimilia indicia, prima ultimis numero ſe reſpondere cognouit Eliſabetha. xvij. Coſtantiam, vigeſimo ætatis anno Conimbricæ Alphonſum peperit Regis Dionyſij ſucceſſorẽ,Regniq; hęredem.

Conſtantia præmature moriens, matris præcibus à Purgatorio igne euadit.

Communium operum fautrix egregia.

In ſingulos munifica,in cõmunem totius Reipublicæ utilita- 17
tem munificentiſsima erat: cõmunium laborum,operũq;,particeps,rata id quod eſt, publicũ particulari ſemper præferendũ. Si ædes ſacræ,aut noſocomia ædificanda: ſi pontes, fonteſq; in publicum cõmodum conſtruẽdi, pręſtò aderat in partem operis,& expenſarum Eliſabetha.Quæ munificẽtia uſque adeò innotuerat, ut nobilis fæmina Almoſterij non procul ab Scalabi, cænobium D.Ber.monialibus, aggreſſa ædificare, morbo præueniẽte moritura,Reginæ abſoluẽdum opus commendauerit. Quæ pium legatum operoſa lubentiſsimè acceptauit: ducto

Opera ab alijs inchoata ad exitum perducebat.

ad

ad fastigium ædificio, assignatis in posterum larga manu reditibus: relicto tamen Berengariæ ob cœptum opus fundatricis nomine, & honore.

18 Scalabi quoque non aliter Guarda antistes (olim Igædita fuit) Martinus itaque Pontifex Brephotrophium exposititijs præcipuè infantibus alendis, ægrotantiumque egenorum remedio sub tutela SS. Innocentium cœpit extruere: inceptis tamen mors telam vitæ præscindens, obstabat. Quam sibi impendere Martinus videns, Reginam perficiēdi operis hæredem relinquere non dubitauit, ultimis precibus obsecrans, laboriosam tanti operis hæreditatem adire ne grauaretur. Regina verò non solùm optatis annuit: sed capacius reddidit ædificium: reditus ad ampliores expensas auxit, legesque ad optimam administrationem dedit, expositorum nutrices ad se accersebat, & infantibus cibos materna pietate porrigebat: & ubi per ætatem licebat, opificibus tradebat varijs artibus erudiendos. Brephotrophium postea ab Innocentio VIII. Romano Pontifice Serenissimus Rex Emmanuel, ut publico Scalabis xenodochio iungeretur, impetrauit.

Brephotrophium Scalabitanum, & pueros in eo quàm curauerit.

19 Illud eius magnanimitatem mirificè declarat, cœpta aliorum opera studiosè prosequi; ex quibus plus laboris, & expensarū oriebatur, quàm honoris, ac famæ mille vijs à mortalibus quęsitæ: in solum enim Dei honorē, & animarū salutem, ac totius Reipublicæ utilitatē, velis, remisq; ferebatur. Nam Conimbricense Diuæ Claræ cœnobiū paruis initiis, sacello, modicisque ędibus honesta fœmina struere cœperat: sed vires medijs in conatibus defecerant. Ædes, ac vicinū solum emit Elisabetha, & Diuæ Claræ, in quam miro amore ferebatur, moniales amplificatis substructionibus aliunde acciuit: quas hospitio perhumaniter excepit: & beneuolentiæ ergò Elisabetha, eiusque regia nurus Beatrix, accumbentibus perofficiosè ministrarunt: quibus cum posteà pari facilitate iucundissimè agebat. In eadem vrbe propè Regiam hospitium cōstituit, in quo quindecim viros inopes, ac totidem fœminas alebat. Aliud in oppido Nouarum turriū castimoniæ asylum statuit fœminis,

Diuæ Claræ cœnobium Conimbricæ ædificatur.

quæ abiecta turpi viuendi licentia Veneri nuntium remitte-
bant.

Verus Reginæ amor in coniugem Dionysium.

Illius in maritum Dionysium fidus amor, & obsequium, eo moriente, magis enituit. Verbis difficilè complectar quid Scalabi, vt Regem morbo leuaret, fecerit, quantùm sudauerit, fusis ad Deum precibus, opportunis adhortationibus, vt eius animus ab omni scelerum macula liber, à corporis ergastulis, si ita visum superis, auolaret: quantis in pauperes largitionibus vitam illi prorogare, vel morituri flagitia redimere conata fuerit. Vt primùm Rex naturæ concessit, acerrimus quamuis dolor animum lancinabat, non fæmineo ululatu tristem aulam adimpleuit. Aureas vestes, ac Regia indumenta exuit, vili Diuæ Claræ sacco alacris induitur: & ad regni proceres frigidum Regis cadauer circumstantes egreditur, ac tristi vocis sono, viriliter temperato, Cum vestro Rege, inquit, Viri optimi, Reginam interijsse credite, una licet geminato ictu duos mors abstulit: illum Regium in morem, superbis equitum insignibus in tumulum componite. Vt ipsum mihi præstarem, aliena ancillarum ope non indigebam. Ne miremini, squalido habitu circumdata ultimum humanæ vitæ actum funebri choro pro viribus prosequar: vilis hæc tunica ad theatrale choragium satis est: hic funis, recens Dionysij funus in memoriam reducet: byssinum tonsi capitis velamen canam Elisabethæ fidem testificabitur. Expressit omnibus lacrymas abundanter insolitum spectaculum, quos prudenti sermone æquo animo solata mortuo Regi iusta pro dignitate soluit, nec pheretrum amplius deseruit: sed funebri pompa ad Cisterciensium Virginum parthenonem iuxta Odiuelas prosequuta est: ubi corpus digno tanto Rege mausoleo sepeliuit, ultimaque dixit verba.

Quid egerit in mariti obitu.

In D. Claræ parthenone post mariti obitum se abdidit.

Exequijs ritè persolutis Conimbricam se recepit, & ne suos omnino deserens incomparabili tristitia afficeret; cum monialibus Diuæ Claræ vota non emisit, sed peruio suis in ædibus aditu, facta à Romano Pontifice potestate, inter illas familiariter versabatur, precibus recitandis, vel canendis in odeo aderat; vilibusque parthenonis, ut ex voto, adstricta ministerijs

niſterijs, ut ſe tempus dabat, variæque ſubueniendi aliorũ neceſsitatibus occupationes permittebant. Ad Compoſtellanum Apoſtoli Iacobi templum, Religionis cauſa ire voluit, & modico comitatu, ac peregrino habitu profecta eſt. Ipſoque Apoſtolo die ſacro præſens adfuit, ſacras exuuias venerata, oblatis pretioſiſsimis donarijs, qualia ibi viſa nunquam peritiores affirmabant. Inter quæ pretioſis lapillis conſpicua corona radiabat: arte laboratæ veſtes, inſertis maioris, minoriſque famæ vnionibus, omnium, quas Regina habuerat, lectiſsimis. Pontificis etiam ſolemni apparatu ſacrificantis veſtes, auro, gemmiſque rigentes, ac Regia peripetaſmata Luſitaniæ, & Aragoniæ ſtemmatibus æqua portione diuiſis, adſutis phrygionum opere gemmis ſpectabilia: præter generoſam mulam frẽno aureo, ac gemmifero, barbarico operimento mirabilem, ſummamque pecuniæ vim.

Peregrinatio Compoſtellana, & dona.

12 Compoſtella rediens ad parentandum iterum, anniuerſariaſque inferias Dionyſij cineribus reddendas, filio Alphonſo Rege, Regnique Principibus ſtipata Odiuellas petijt. Quibus redditis, Conimbricam regreſſa eſt ad perficiendum Diuæ Claræ parthenonem. Mundum muliebrem, torques, argentea, aurea, gemmeaque dona in penſilia, aut ſtabilia candelabra, in cruces; ac ſacros calices vertit: regias opulentiæ ſingularis veſtes, in amicula Sacerdotum, & aranum ornatum: regniique templis pro uniuſcuiuſque inopia in uſum ſingula diuiſit. Fabricari ſibi juſſerat ex operoſo marmore ſepulchralem arcam: veritaque ne reſtagnans hybernis alluuionibus Monda, extra ripas de more effuſus Diuæ Claræ templum inundaret; in ſuperiori parte templi nouum ædificauerat odeum. Verum nullis viribus, aut machinis fabri illuc prægrandem arcam attollere valebant. Quid deſperatis, inquit Eliſabetha, moliendo ponderi manus admouete, meas ego, etſi aniles, pariter admouebo: dixit, & arcam leuiter baculo impellens, veluti modico gubernaculo ſurſum adductam optata in ſede, ubi illam hoc tempore intuemur, facilè collocauit.

Sua omnia in ſacram ſuppellectilem expendit.

Sepulchralem ſaxũ tactu eleuauit.

Quæ

Periculis se offert, ut utrumque Castellæ, & Lusitaniæ Alphonsum componat.

Quæ vix lucis usura fruens, in primo vitæ limine patrem 13
Petrum, & Iacobum auum Aragonensium Reges inter se dissidentes, vagitu ad concordiam reuocauit, vt exitus principio aptissimè responderet, in pacis victimam se obtulit moritura. Inter duos Alphonsos Lusitaniæ, & Castellæ Reges: hunc generum, & sobrinum, illum socerum, & auunculum, iactis belli seminibus, parum aberat, quin crudelibus præliorum incendijs, inteſtinisque Regnis, utraque Regna penitus conflagrarent. Tristis harum rerum nuntius Reginam plusquam credi potest, commouit. Itaque imminentem cladem celeri remedio auertendam existimans, ne serò cum Phrygibus saperet, principijs obstare decreuit: & quamuis dissuadentibus domesticis, ne affecta ætate longi itineris molestias, immodicis per æstatem caloribus incommodissimè pateretur: Estremotium, ubi tunc filius Alphonsus degebat, Conimbrica proficiscitur, vt pacato filio ad Castellanum suum nepotem se conferret: nec prius incœpto desisteret, quàm eorum animos precibus, & auctoritate ad concordiam omnino flecteret; quamuis & sanguine, ac vita instaret, animamque sub graui ardui negotij fasce exhalaret: tantus erat Elisabethæ pacis amor, & concordiæ.

Moritur Estremotij.

In oppido enim Estremotio, contracto tum ex caloris æstui iniurijs, tum ex itineris iactatione, morbo: scripto prius testamento coram Alphonso filio, ac Beatrice nuru, expiatam sæpius sacra exomologesi animam, augustissimique viatici pane confirmatam placidissimè efflauit 4. Nonas Iulij anni 1336. pacis egregia caduceatrix, quinto suprà sexagesimum ætatis anno, maximo totius Reipublicæ desiderio, & dolore: cui conseruandæ, & augendæ usque ad ultimum anhelitum se utiliter expendit. Digna profectò Heroina, ut ante illustrium Reginarum oculos perpetuò obuersetur, illiusque viuum exemplar, & archetypum, maximarum virtutum speculum, suos mores per otium diligentissimè componant. Inferioris verò conditionis fœminas pudeat saltem aspernari, quæ serenissima Lusitaniæ Regina amanter, diligenterque amplexa est. Corpus, quamuis succi plenum, & ex ardente

Incorruptum Elisabethæ cadauer.

dente per æstatem calore, Conimbricam ad Diuæ Claræ elatum est, nullo fœtoris indicio, sed mira insoliti odoris fragrantia. Miraculis exindè claruit non paucis: tribus præsertim, quo die sepulchro condita est, in publicas eiusdem parthenonis tabulas relatis.

De eadem sacrificandi potestatem facere Leo X. & Paulus IV.

25 Quibus permotus Rex Emmanuel à Leone 10. Pontifice Maximo obtinuit, ut illius obitus dies in Conimbricēsi Diœcesi missarum sacrificio, ac solemnibus ritibus celebraretur. Quam facultatem postea, sereniſsimo Rege Ioanne III. Emmanuelis filio exorante, Paulus IV. ad omnes Lusitaniæ ditionis prouincias benignè dilatauit. Reginæ heroicam vitam insignis Orator Perpinhanus Societatis IESV Sacerdos, antiquo Latinæ eloquentiæ splendore tribus complexus est libris. Lusitano etiam idiomate antistitis Conimbricēsis iussu scripta circumfertur. Ex quibus & Regni annalibus hæc nos bona fide selegimus de Elisabetha Regina sanctiſsima: quæ magnæ corporis staturæ fuit, liberaliſque formæ, digna imperio majestate commendabilis.

Pauli V. iussu diligentius quaesitum de vita, & miraculis D. Elisabethae.

26 Nunc demum anno MD. C. XII. Catholicus Rex Philippus II. huius nominis Lusitaniæ Rex pro singulari in Christianam Religionem amore, ac pietate, scriptis ad cunctos Regni Pontifices litteris, ut huic rei diligentiſsimè exorandæ fauerent: illustribus viris prudētia, sapientiaque notiſsimis hanc prouinciam commendauit: effecitque, ut eandem Romanus Pontifex Apostolica auctoritate committeret, præsuli scilicet Conimbricensi Alphonso Albicastro; Leirinensi (ad Lamacēsem nunc prouectus est) præsuli Martino Alphonso Mexię; Franciſco Vaseo Pinto Regio Senatori; D. Franciſco Suarez Societatis IESV Conimbricensis Academię in primaria Theologiæ cathedra emerito: Doctori Ioanni Caruallio Iuris Cæsarei professori. Qui summa cura, ac diligentia de sanctiſsimæ Reginæ vita, & miraculis, ex certa iuris præscriptione quæsierunt: obsignataſque publica fide tabulas, & sigillis munitas Regi Catholico miserunt, qui illas Beatiſsimo Papæ Paulo V. deferendas curauit, vt tandem vbique

gentium,& terrarum in Diuorum album relata celebretur. Quod,dum hæc fierent,accidit,inuidus non silebo.

Nuper recluso mausoleo corpus integrum apparuit.

Post longam annorum seriem (ducentesimus enim sep- 17
tuagesimus sextus annus numerabatur) venerabile Elisabethæ corpus marmoreo in sepulchro molliter quiescebat;aperiendum fuit coram ijs, quos retuli, iudicibus,adhibitis Religiosis viris testibus ex Iouis tabula, & medicis anatomicæ artis peritissimis. Intra lapidem mausoleum lignea capsa bouino corio vestita putrescens, ferreis clausulis, serisque rubigine consumptis, recluſa inuolutum lineis stragulis, byssinaque sindone duplicata corpus ostendit, facie serico velo tecta, & veste pectore tenus reuerenter deducta,corpus integrũ inuentum est: linteaq, adeò recentia,ut aliqua magna vi non scinderentur. Qui aderãt mixto inter hilares lachrymas gaudio mirari habitum dormienti similem, compositos artus, gratam faciem, maternam adhuc pietatem spirantem. Testatus est D. Ioannes Delgado Societatis IESV optimus Mathematicus, qui lapideo arcæ operculo grauissimi ponderis leuando fabros dirigebat;se digito Reginæ faciem tetigisse,ad tactumque relicto vestigio faciem subsediſſe. Et Balthazar Azeredius medicinæ primanus Doctor, & medicorum Regni maximus: ter ad se extensum Reginæ brachium traxit non inuitum,in locum suum, quin frangeretur, spontè redijt. Vt suos Elisabetha Lusitanos, quorum non solùm Regina, sed mater fuerat,conspectu periucundo recrearet,secum in conditorio habebat Regina baculum, & marsupium, vera munificentiæ, ac pietatis insignia.

Alphonsus à Castello blanco Episcopus Conimbricensis argenteũ sepulchrum Elisabethæ dicat.

Illam pro viribus imitaturus Antistes Albicastrius nouo 18
insuper adstrictus beneficio,quod in Conimbricensi Diœcesi thesaurus hic repertus fuerit, annuente Catholica Majestate, & magna totius Regni gratificatione, nouum sacellum ingenioso artificio ædificari iussit in intergerino pariete superius Monialium odeum diuidente, deaurato politis ex lapidibus arcu, sub quo argenteam capsam pręgrandem, anaglyptica

cæla-

cælatura molliter fabrefactam conſtituit, tornatilibus cancellis ad cuſtodiendum, craſsis longiſque, operoſo ex argento ad exornandum ſacellum artificioſa opificum induſtria conſpicuis: apertis in argentea arca ingeniosè feneſtellis, cryſtallinis ſpecularibus viſum admittentibus, ea lege, ut illis, cùm res poſceret, reſeratis, corpus in lectulo aureæ veſtis ſtragulo exornato recumbens, ab exteriore parte à confluente populo videretur: ab interiore eius aſpectu moniales perjucūdè fruerentur. Sed his iam paratis illuc transferri corpus mors inuida tanto præſuli veluti de induſtria non permiſit, expenſis iam duodecim aureorum millibus. Et quaſi parum, ut erat in diuinum cultum, & publicum commodum, largus, & magnificus effudiſſet, triginta aureorum millia ad optatam Reginæ Eliſabethæ canonizationem Regi Catholico ſpontè obtulit, oblataque citò integra fide ſoluit, nummariis teſſeris in vrbem transferenda. Ipſe interim Religioſæ liberalitatis adepturus præmium, ad æterna Beatorum gaudia breui tranſlatus eſt.

Eiuſdem præſulis Larga pietas in Eliſabetham.

29 Inter explorata ſanctitatis argumenta, nouum illud, miraculum dixerim, an prodigium? eo uſque inauditum, per clariſsimos ſuprà iam laudatos viros à tenebris, in lucem aſſertum fuit. Qua parte fluuiorum Rex Tagus aureis aquarum vorticibus Scalabitanum oppidum inaurat, Diuæ Irenes mauſoleum cœleſti conſtructum opera latê re adhuc ſub undis memoria eſt. Quod quidem tunc primùm, ac ſemel apparuiſſe (ut etiam de Diui Clementis ſæpius uiſo inter diuiſos Oceani gurgites monumento proditur) liquidiſsimè conſtabat, cum & Selio virginis auunculo, & finitimis olim populis per conſiſtentes utrinque Tagi undas incedentibus, Deus Opt. Max. teſtatum voluit niueum caſtitatis florem indignè ſucciſſum, dignum eſſe, qui in aquis lilio ſimilis refloreſceret. Colendæ igitur Irenes deſiderio flagrabat Eliſabetha, & quando propiùs, ob circumfuſos undique latices, non dabatur accedere, ipſo in littore fixis genibus lachrymoſa precum ſuſpiria funditauit. Ecce

Tagus iterum ſeiunditur, ut ab Eliſabetha inuiſatur corpus ſanctæ Irenes, à qua Scalab.s vulgo dicitur, Santarem.

tibi aperto iterum repente alueo, assurgentibus hac illac turritis aquarum culminibus, grande illud virginitatis depositum reuelatur. Arenam fluminis ingreditur Elisabetha: tanto pro beneficio immortales Deo, & Irene grates agit, cuius vernantem adhuc corporis floſculum millies suspicit, millies osculatur: exactoque penitus die vix auelli tandem potuit. Regredientem à tergo maturè fluuius sequebatur, donec ancillantibus ad nutum aquis, euasit in ripam. Plurima alia miracula vulgata sunt, quæ grandius exigunt volumen.



IN

IN DIVAM ELISABETHAM LVSITANIAE REGINAM.

Ad Pictorem de Signo Reginæ Sanctissimæ.

Lumina qui pingis Diuæ signantia vultus,
Regiaque aurata corpora veste tegis:
Purpureas q; comas pretioso colligis auro,
Addis & ingenua sceptra tenenda manu:
Falleris; Intonsis horrentia tegmina villis
Induit; auratos exuit illa sinus.
Gemmea spinosa mutauit serta corona:
Mutavit sacra Regia sceptra cruce.
Addere serta cupis? spinis texta addo coronam;
Nobile vis sceptrum pingere? pinge Crucem.

DE DIVA ELISABETHA REGINA, ad Lectorem.

Qui legis Andromedam, Niobem, mæstam q; Eriphylem,
Siue Promethea munera rapta manu:
Perlege Regales Diuæ signantia fastos
Gesta: leges castæ nobile mentis opus.
Vt bello ardentes placaverit ore catervas,
Cùm pater in natum sumeret arma suum.
Vt pia diuitijs largè cumularit egentes,
Aptaritque suas in pia facta manus.
Quod si grata magis Niobe, vel furta Prometheis;
Ficta Prometheo sint tibi corda luto.

Aliud de eadem re.

Illa vides? Tyrio mulier quæ fulget in ostro,
Cui tegit ornatos pala superba pedes?

Nectit gemma sinus, crines nodantur in aurum,
Et rutilat niueo viuus in ore decor?
Nostris sceptra olim tenuit gemmantia Regnis,
Et dedit aurifero iura tenenda Tago.
Nunc tenet, æthereos inter pulcherrima cœtus,
Sceptra coruscanti nobiliora manu.
Si tamen ars posset mores effingere in auro,
Nobilius toto staret in orbe nihil.

AD DIVAM ELISABETHAM.

Ante sepulchrales Diuæ concordia moles,
Taliter effusis ducitur orsa comis.
Omnis spes nostri, & blandæ fiducia pacis,
Tecum una in tumulo Diua sepulta iacet.
Quis modò discordes trahet impia fœdera Reges?
Agmina quis vultu, qui modo rumpat, erit?
Cùm fera sæuierit belli ciuilis imago,
Quis peraget nostras, vt pia Diua, vices?
Funeris, heu, tibi causa fui; quid sæua moraris
Tristia Mors vitæ rumpere fila meæ?
Deficio in mortem, mandata capessite ciues;
Hoc tumulo cineres mando iacere meos.
Vna duas tumuli moles tegat; addite carmen,
Carmen in extinctis ex adamante notis.
Conditur hoc tumulo duplex concordia; nata est
Altera, sed meritis altera facta suis.

MARS VICTVS AD REGINAM.

Reginam vt vidit tendentem in prælia Mauors,
Thracia præcipiti tendit in antra fuga:
Magnanimum, dixit, sine cæde, & sanguine Martem
Depulit aspecta fœmina fœmineo.
Funditis Ætnæi quid ahenea tela Cyclopes,
Cùm placet ingentes sternere cæde duces?
Ostendat terris vultum Regina, frementes
Inque duces fulmen non leue, vultus erit.

REGINA AD CHRISTVM vulneratum.

Diua ait aspiciens per hiantia vulnera gemmas,
Christe tuas gemmas da mihi, sume meas.

Vulnera vulneribus medicare, & cæde rubenti:
Nam tua, si dederis vulnera, sana ferar.
Rumpe manus duro, latus, & vestigia, ferro,
Libera tormento pars mihi nulla vacet.
Omnia qui tribuis, tibi vulnera sola reseruas?
Das mihi diuitias, vulnera sola negas?
Qui tot dines habes, quid auarus vulnera seruas?
Quinque dabis, satis est; millia quinque manent.
Officio mea sunt tua vulnera, sint precor usu:
Quæ mea sunt voto, sint mea supplicio.



ALFONSVS PORTVGALLIÆ REX VII.
VIXIT ANN. LXVII. OBIIT A°. MCCCLVII.

ALPHONSVS IV. LVSITANIAE REX VII.

ANACEPHALEOSIS IX.

ALphonſus ille ob animi vigorem, & acrimoniam, celeremque in capeſſendis rebus, ac peragendis, alacritatem, Ferox, cognomine, ſexto idus Februarij anni poſt Virginis partũ, milleſimi, ducenteſimi, nonageſimi, Conimbricæ in lucem editur. Adoleſcenti adhuc, antequam diademate potiretur, Beatrix præclara fæmina Sancij eo nomine IV. Caſtellani Regis filiæ in matrimonium coniungitur. Tandem annos natus quinque ac triginta rerum habenas ſuſcepit, quas, cùm in ipſo Regni limine (ne venationem deſereret, cui erat apprimè deditus) aliquantulum lentè, nec ſine incuriæ nota moderaretur, iamque paſsim (ut fit) ciuium quærimoniæ iactarentur, Regem adeunt conſiliarij, palamque, ac ſine ambagibus monent, ne graue regnadi munus pro otio, venationem ſuſciperet pro negotio, meminerit ſibi populum imperio regendum, illius res audiendas, iudicandas, componendas; in eamque rem diadema fuiſſe attributum, ac vectigalia Regibus perſoluta. Sciret præterea non abs ſe Numen immortale poſt obitum quæſiturum, quot apros telo confecerit, quot ceruos venando ſtrauerit, ſed utrum munia regia ritè, ac rectè adminiſtrauerit? Quare iter incœptum ſibi omnino deſerendum, nouamque deinceps viam, ſi regnare vellet, ineundam: ſic publicã rem depoſcere. Quæ monita, cùm liberiora eſſent, quàm Regis ingenium, ac peculiaris Alphonſi genius ferre didiciſſet, iracundia percitus, dira, duraque minitans, concilio egreſſus, ancipiti deliberatione diſtractus, quid ſibi hac in re gerendum,

Alphonſi ortus.

Conſiliarij auſtero monitu adoleſcentem à venatione ad Remp. trãſferunt.

aliquantulum hæsitauit. At verò cùm iracundia deferbuit, & præcipites illi motus posuere, animaduertens (uti res erat) verba illa suorum ciuium, quamuis in speciem libera, in rem tamen, & obsequium Regium maximè collineare; fidos, atq; in primis obsequiosos illos sibi clientes, consiliariosque deinceps habere cœpit. Hos illa tempora ferebant cõsiliarios (quos nostra ætas peior auis respicit, non aspicit) assentandi nescios, auaritię immunes, ambitus hostes, aurea cõtentos mediocritate, non suæ, sed publicæ rei, commodisq; inseruientes. Horum consilijs Alphonsus non abusus venationem protinus valere iussit, deinde omni cura, studioq; Lusitaniã regere, leges sancire, iura dare, regẽ deniq; agere aggressus est. Tãdem in nefarios illos homines, quos olim in parentem Dionysiũ furor impius obarmauerat, acriter animaduertit. Adeò verũ illud Oraculũ, Cor Regis in manu Domini, quocũq; voluerit, inclinabit illud.

Simultates, & iniusta cum fratre bella.

Verùm, ut maleuolentia, quæ semel radices egit, difficilli mè conuellitur, ita prorsus odium illud, quod in fratrem Alphonsum Sancius conceperat, altiùs in eius animo insederat, quàm ut euelli, aut mitigari facilè posset. Quare ubi rerum potitus est, repositã in fratrem maleuolẽtiam, quam nunquam deposuerat, explere decreuit, eorum immemor Regum, qui postquam in Regale culmen sunt euecti, veteres iniurias ulciscì, indecorum sibi, ac prorsus indignum facinus existimarunt. Itaq; in fratrem immerentẽ, ac nihil tale cogitantem affictis illis criminationibus disquiri iussit, quas in insontem, dum pater viueret, excogitarat. Has igitur, ut regi obsequerẽtur scelerati homines per summam injuriam testificati, iudices in regiam voluntatem, quàm in ius, fasq; (vt sunt hominum ingenia) propensiores facilè impulerunt, vt è Lusitania Sanciũ lata sententia relegarent, amissisq; priscis honoribus, ac dignitatibus, illius bona, ingentes opes, & oppida publicarẽtur. Hęc vbi rescìuit Sancius è Castella per literas (quò se receperat) Alphonsum Regem obsecrat, & obtestatur, vt se antiquas opes, ac munia restituat, pollicitus se erga fratrem nõ aliter, quàm erga regem, ac dominum perpetuam fidem, & obsequium præsti-

turum.

turum. Quæ preces irritæ prorsus apud Alphonsum. Quare se ad arma Sancius, apertumque Martem compelli dictitans, remque sibi non rationibus (cùm hæ minimè proficerent) sed ferro ancipiti decernendam, è Castella, Legioneque delectu facto in Lusitaniam irrumpit, agros incendit, obuia quęque ferro demetit, oppida multa vi capta populatur. Auxiliares milites (quos in suę ditionis oppidis, vulgò *Medelim*, & *Albuquerque* habebat) superiori parte fluminis Anæ trajecta, haud dissimili euētu in eandem Lusitaniam immittit. Paulò post equitum Magistrum Auisiēsium, Consaluum Vasæum apud Onguelam propugnatorem fundit, fugatq;. His permotus Alphonsus Rex instructo Lusitano milite in fratrē aciem dirigit, sed capto solū, ac diruto castro *Codeßeira* in Lusitaniā reuersus, cum Sancio tandem fratre in amicitiā rediens, fœdus percusit.

Offensiones inter Castellanum, & Lusitanum.

Celebris erat id tēporis apud Hispanos propter generis splendorem, & opulētiam Ioannes Emmanuel, Emmanuelis Principis filius, nepos Ferdinandi Regis, cui Sancto cognomen fuit. Huius igitur Ioānis Emmanuelis filiam Constantiā nondum nubilem promiserat Castellę Rex Alphonsus hoc nomine XI. se, ubi per ætatem Constantiæ liceret, in matrimonium accepturum; at cùm certis de causis parenti virginis offensus esset, fide relicta, Mariam Lusitani Regis Alphonsi filiam duxit. Aliquo pòst tempore intermisso, cùm iam nubilis esset Constantia, ratus Alphonsus Lusitaniæ Rex nullibi fore præstantiorem fœminam, quam filio in matrimonium locaret, per literas hac de re cum genero Alphonso, deinde cum Ioanne Emmanuele Constantiæ patre cœpit agere: vterque, diuerso tamen modo, optatis respondit, Rex simulatè, Emmanuel ex animo, vt tandem rei euentus comprobauit: quod ægrè ferens Alphonsus, siue dolens Reginam fieri, quam malè conscius repudiarat, seu inuidens Lusitano Principi in vxorem dari tot dotibus ornatam fœminam, multa priùs fanda, nefanda gesit, ac tandem armato milite, & aperto Marte egressum Cōstantiæ in Lusitaniam impedire cōstituit. Quapropter magno vtriusque Regni damno ad arma concurritur: multæ utrinque

Pax initur summi Pontificis authoritate.

cædes, multa incommoda exorta, ac maiora in dies pullularẽt, nisi maximus Pontifex Benedictus XII. Pontificia auctoritate sequestra Bernardum Rhodiensem Præsulem in Hispaniam ad pacandos Reges, legatum mitteret; qui mira dexteritate rem ita confecit, vt Constantia in matrimonium daretur Petro Lusitanorum Principi, eo tamen cum dolore Alphonsi, odioque in Lusitanos, vt nec vxorem deinceps Lusitani Regis filiam coram posset obtineri; quamuis hoc etiam odium ex amore crediderim proficisci, quo Eleonoram Nunez Guzmaniam deperibat. Quam ob causam parum abfuit, vt gener, atque socer in arma ruerent, & ruerent procul dubio, nisi hinc Elisabethæ Reginæ sanctissimæ consilia, illinc Mariæ prudentissimæ Reginæ virtus eximia bellorum causas rescinderent, & discordiarum semina disturbarent.

Victoria, quæ vulgo dicitur. De Salaclo.

His ita compositis circiter annum millesimum, trecentesimum quadragesimum, Christo nato, Rex Marrochiensis Haliboacem, ac simul Rex Granatensis innumeris propè Barbarorum copijs ex Africa, Hispaniaque coactis Carteiam obsedere: inde Alphonso Castellæ Regi, imò vniuersæ Hispaniæ vltimam ruinam minabantur. Quare suorum monitu, & hortatu Alphonsus à socero Lusitanorum Rege auxilia petiturus, vxorem ipsam Mariam cum legatione ad parentem mittit, vt facilius impetraret. Lusitanus amantissimè recepta filia, ac legatione audita, non auxiliares modò milites destinat libentissimè, sed ut planum faceret, quantum natæ detulerit, & vt periclitanti Hispaniæ opitularetur, se, caputque suum in discrimen offert, ac protinus in Castellam ire pergit, imperato interim ex omnibus suæ ditionis vrbibus equite, ac pedite, quantum possent, qui se ad Pacem Augustam sequerentur. Ac si ibidem præstolari nequiret, confestim Hispalim recta contenderent. Hac de re certior factus Alphonsus ab vxore, socero officiosus ad opidum *Oliuinca* obuiam prodijt. Quo in loco postquam à Regibus de obsistendo Mauris consultum est, Castellanus ad comparanda ingruenti bello necessaria, ad suos reuertitur; Lusitanus verò, dispositis in omnem euentum

Mauris in Hispaniam irruentibus Alphonsus Castellano auxiliatur.

suorum

suorum rebus, Hispalim perrexit, vbi & animi præsentia, & consilio victoriam procul dubio cœpit auspicari. Huc Lusitanorum exercitus non multis post diebus egregiè instructus peruenit: nullum enim non apud Lusitanos oppidum in hanc expeditionem, quos maximè potuit, pedites, aut equites ob armauit: Ebora centum misit equites, mille pedites. Denique Lusitani Dynastæ nulli fermè desiderati. Hos inter Stephanus de Neapoli Ioannis Peloponesi Principis filius, ac nepos Caroli secũdi, Neapolitanorum Regis in gratiam, & obsequium Lusitani Regis sibi cognati egregiè militauit, vxoremq; apud nostrates homines ornatissimam delegit. *Lusitanorum copia.*

5 Post hæc lustrato milite, ac parato, statutum inter Reges, vt Castellanus aduersus Marrochiensem, qui maritimam oram insederat, Lusitanus aduersus Granatensem, qui mediterranea tenebat, aciem dirigeret. Cum Lusitano copias coniunxerat ipsius nepos ex filia Petrus Alphonsi Regis filius patrij hæres imperij meritissimus: multi illum è Castellanorum proceribus comitabantur, quos inter Nonius Ferdinandius de Castilho Petri Vexillifer eminebat. Postquam igitur Lusitaniæ Rex, ac Regis exemplo Lusitani omnes, Christiano ritu piacula sunt confessi, ac cœlesti pabulo recreati, breuiter pro tempore suos Rex alloquutus, ad pugnamque accendens, Aluaro Consaluio Pereiræ Priori Cratensi imperauit, vt ante commissam pugnam pro Regio Labaro, ac vexillo Christianis militibus proponeret adorandum sanctissimę Crucis lignum prę longæ hastæ affixum, cuius hodie pars altera summa cum religione Eborę in templo maximo custoditur, altera non procul ab oppido *Portel* in templo sanctæ Crucis religiosè seruatur. *Lusitani oppugnandi Granatẽses destinantur.*

6 Adorato ergò sacro ligno, ac præmisso signo regio militari, inuocatoque IESV nomine, tanta alacritate Lusitanus in hostem impetum fecit, tantaque ex aduerso irruit Mahometanus, vt non solùm vbique fragor, & inconditi clamores audirentur, verum etiam vbique cædes promiscua, vbique sanguine omnia inundare cernerentur. Dum tamen hac tanta contentione vtrinque decertatur, eò Lusitaniæ Rex Alphonsus *Lusitanorum in Granatenses impetus, & cædes.*

sus cum aliquot suorum per confertissimas Granatensium alas processit, vt in summum discrimen se, suosque induxerit, etenim iam vires ipsæ, quamuis prævalidæ truncandis, trucidandisque tot hostibus deficiebant. Augebat laborem, quod sacrum labarum, quippe quod à tergo relictum fuerat, minimè conspiciebant. Quam rem vbi Cratensis Prior animaduertit, tres equites lectissimos, velut tria fulmina, per medios hostes sacrum lignum reportaturos, remittit. Iussa capessunt Lusitani iuuenes, signum salutiferum reportant: eius aspectu Christianis militibus redintegratæ vires, tantaque alacritas, ac studium pugnandi, vincendique injectum est, tamque repente qui anceps, ac dubius Mars eatenus visus fuerat, Mahometanos Granatenses destituit, tantoq; terrore perculit inopinatus euentus, vt Christianis trepidantes terga verterint, seque in turpissimam fugam dederint. Quibus à tergo instantes Lusitani præeunte semper Alphonso, cuius ante omnes virtus bellica eminebat, quamplurimos strauere.

Castellanorum robur, & animi in Marrochium.

Hæc dum feliciter cedunt Lusitano, haud dissimili euentu aduersus Pœnos strenuè quoque dimicantes, rem gerebat Castellanus; qui vbi primùm resciuit fusos, fugatosque Granatenses à Lusitanis, in nouam spem erectus, incensusque victoriæ obtinendæ studio tam acriter in hostes inuectus est, vt tandem eos in fugam compulerit, quin reuocare, vel sistere fugientes posset Rex ipse Haliboacem, modò ipsorum vecordiam castigans, modò diras imprecans, impiumque Mahometem nequidquam incusans. Imò, qui fugientes nuper increpabat ipse Rex Pœnus, monitu tandem, & hortatu veterani cuiusdam Turcæ, desperatis iam rebus, subdens recenti equo calcaria, fugiendo quoque vitæ consulit. Vtrinque igitur parta victoria vterque Alphonsus ad duas leucas hostes insequuti, castra Granatensis Regis iuxtà vicinum fluuium posita nullo negotio expugnarunt, militiq; diripienda tradiderunt quamuis ditissima; repertæ enim sunt ibi gazæ propè innumeræ: auri, & argenti facti, & infecti magna pondera: vestium genera,

nera, & ornamenta plurima, varia denique, ac diues supellex, præter equorum, camelorumq; incredibilem multitudinem. Africà probè diceres in Hispaniam commigrasse. Et sanè id causæ fuit, cur tot diuitias Barbari exportarunt; cùm enim suam fore victoriam sibi penitus suaderent, Hispaniamque Africa posthabita incolere decreuissent, ideò proprias quisq; fortunas, ac larem in nostrum solum transferendum curauit.

Victoriæ Magnitudo.

Atque hæc illa celeberrima pugna est pugnata quinto Kalendas Nouembris anno post Christum natum millesimo, trecentesimo quadragesimo, prope flumen, vnde vulgo nomen accepit, *de Salado*, quæ duobus illis Regibus Castelliæ, ac Lusitaniæ decus indelebile, æternumque peperit triumphum. In huius gratiam victoriæ faustum illum diem, quo profligati sunt hostes, non candido tantùm calculo numerat Hispania, verùm insigni recolit pietate, ac festiuo victoriæ Christianorum nomine per annos singulos veneratur. Deinde legati misso Auenionem ad Pontificem maximum Benedictum vtriusque Alphonsi militare signum, vna cum quatuor, ac viginti à Mahometanis ablata, inter quæ Marrochiensis Regis vexillum visebatur, obtulerunt. Præterea equi plurimi missi, egregiè phalerati, qui singuli in ephippijs gladium, & scutum longum ex corio præferebant. Adde præter alia dona oblata Pontifici, multos ex precipuis Maurorum captos, mancipia, ac seruitia futuros. Quę munera gratissima Pontifici extitere. Atque ut numini immortali acceptum referret beneficium, simulque, vt quam animo vix capiebat, ingentem lętitiam palam faceret, postero die domo egrediens sacra ritè peracturus præferri iussit Barbarorum insignia, sed humi dimissa, & abjecta, illa vero Christianorum Regum victricia signa prælongis hastilibus elata, ad quorum aspectum ipse Romanus Pontifex elata voce occœpit, *Vexilla Regis prodeunt*, occinuerunt purpurati Patres, eandem illam sacram cantilenam non minori pietate, quàm lætitia exsecuti.

Pontificis Maximi lætitia pro parta victoria.

His

Alphonsus Lusitaniam repetit.

His peractis reuertens in Lusitaniam Alphonsus, nihil fe- 10
rè sibi è tanta præda lubentissimè, à genero oblata, reliquum
fecit, præter unam Numinis gloriam, ad quam solitus erat,
veluti ad scopum collimare; secum præterea captiuum duxit
Regis Iulmenzæ filium, quem ipse in bello manu ceperat,
quinque præterea Maurorum signa militaria ab se capta re-
portauit, quæ Olyssippone iussit in templo maximo ad æter-
nam posterorum memoriam conseruari. Addiditque, ut gene-
ro morem gereret, pulchra equorum tegmina, & ephippia,
falcatosque aliquot enses non vulgari artificio elaboratos. Vix
regressus in Lusitaniam improbis quorundam cõsi ijs impul-
Agnetis à Castro dira cædes. sus est in cædem illam immerentis Agnetis de Castro, ex qua
Petrus ipsius Alphonsi filius, ac successor liberos aliquot suscepe-
perat. Vxoris enim loco post obitum Constantiæ habebatur;
imò (vt rumor ferebat) futura tandem Lusitanorum Regina
credebatur. Hæc cædes miras in Lusitania tragædias excitauit,
bellorumque ciuilium inter parentem, ac filium causa fuit, nec
(ut reor) sine vindicis Dei, iudicisque æquissimi plectentis iu-
dicio, vt scilicet Alphonsus eadem pateretur à filio, quæ quon-
dam aduersus parentem Dionysium, dum impia induit arma,
damna intulit.

Alphonsi uxor, & liberi.

Sex è Regina Beatrice filios suscepit Alphonsus, quorum 11
tres acerbo funere mors abstulit; primus, cui Alphonsus no-
men inditum, puer obijt Penellæ, & Scalabi situs est in cœno-
bio Dominicano: mox Dionysius puer etiam è viuis abijt, hic
Alcebaciæ conditus est; tertius, Ioãnes nomine iuuenis diem
clausit, cuius in celebri Monialium Diui Bernardi cœnobio,
Odiuellas vocant, prope auum Dionysium, sepulchrum cer-
nitur. E tribus qui superfuere, Maria nupsit Alphonso Ca-
stellæ Regi, Eleonora Petro Aragoniæ huius nominis quar-
to. Petrus tandem in patriam ditionem, ac diadema suc-
cessit.

Pietas, robur, & magnitudo animi.

Fuit Alphonsus animosus adeò, ac strenuus, vt nihil un- 11
quam animo, quantumuis arduum, conciperet, quod non in-
trepidè, si vsus foret, aggrederetur. Boni, & æqui fuit obseruan-
tissimus;

tissimus: Numinis cultor minimè parcus & infrequens. Multas de rebus ab antiquis non prævisis in commodum Reipub. non vulgare leges tulit, quæ inter decreta vigent Lusitaniæ. Quo tempore rerum tenuit gubernacula, rerum omnium copia, quæ maximè à parente Dionysio manavit, valdè floruit. Et nisi juvenis in parentem arma pertinaciter, inimicitiasque in fratrem exerceret, nisi senex insontis Agnetis de Castro se sanguine maculasset, nihil fere lividus quispiam quod carperet, in ejus vita inveniret. Fuit enim parenti Dionysio Regi eximio multis in rebus simillimus; unâ tamen liberalitate valdè à parente superatus.

Corporis lineamenta.

Corpore fuit non procero, valido tamen ac robusto, exporrectâ, latáque fronte, oblonga facie, naso majusculo & incurvo, superiori labro tumido & aliquantulum prominenti, barba plurima bipartitâ, capillo subflavo.

Obitus & sepulchrum.

Obijt Olysippone annos natus septem ac sexaginta, mense Maio anni post hominum salutem assertam millesimi, trecentesimi, quinquagesimi septimi. Rerum habenas anno ferè cum dimidio supra triginta tractavit. Situs est unà cum uxore Beatrice in adytis, sive majore sacello templi maximi, pro cujus sacelli perpetuo cultu, sacerdotumque ministrantium, & precatorum alimonia, copiosus in annos singulos reditus ab Rege Reginaque fuit attributus.

AD ALPHONSVM LVSITANIAE REGEM HVIVS NOMINIS QVARTVM.

PRimus adis pugnas, primus per bella triumphos;
Prima triumphandi gloria toto tua est.
Primus es imperio, fuso quod sanguine fundas;
Primus es exemplo pectoris ipse tui.
Primus & hostilem libas feriendo cruorem;
Si non sis primus Rex scelus esse putas.
Si perisse potes, cur prima pericula tentas?
Est tua Rex populo vita tegenda tuo.
Sic ego, sic Princeps, ductrix prudentia vitæ,
Summa docet minimis anteferenda bonis.
Fraudare exemplo plus est, quàm perdere vitam,
Vtque sit exemplo vita, perire potest.
Deperisse semel Codro est laus summa: peristi
Ante aciem, quoties prælia primus adis.

Ad eundem cum Castellæ Rege fœdus ineuntem.

Regem incedentem Bellona in prælia vidit,
Agmina Lysiadum, Martia signa, duces.
Plus est quàm Mavors Rex hic, ait, horrida, cuius
Nobile tot Martes circuiere latus.
Quòd dixi Martes, testatur spiritus ingens;
Et scintillantes dura per ora faces.
Æmula fulminibus fera brachia, ahenea bello
Pectora: punicea prodiga corda necis.
Arma nec admiror, nec grandibus AEgida monstris,
Principis, & comitum miror utrinque fidem.
Illa potest Regem Marti præponere, Martes
De grege vulgaris militis illa facit.
Vinci homines possunt, & ahenea pectora; vinci
Sed nequit æterno fœdere juncta fides.

Ad eumdem crudeliter sevientem in Alphonsum fratrem.

Dure, quid hostili fratrem petis ense? cruoris
Quæ tibi cognati suscitat ira sitim?

Natus es in ſcopulis? nutritus lacte ferino?
At non Hircanis mos fuit iſte feris:
Lyſia manſuetos animos inſpirat, & iras
Spargere Maurorum per fera caſtra jubet:
Admonet è ſuperis pacem Dionyſius aſtris:
—— Ponere ſanguineas Eliſabetha manus.
Ergo, vel inſanos de pectore mitte furores,
Vel patriam, aut tantos inficiare patres.

Ad eundem de Victoria parta.

Fi cruor Oceanum rubefecit perfidus; undas
Horruit Oceanus cæde rubere ſuas.
Miratuſque novos ſpumoſa per arva rubores,
Sanguineo mœſtus murice tinctus ait:
Decolor Oceanus cæde eſt, & ſanguine; nunquam
Heu, memini fluctus ſic rubuiſſe meos.
Aut genus humanum fuſo dat ſanguine pœnas,
Aut pars illius maxima cæſa jacet.
Quæ potuit tantum, fortiſſima dextera bello eſt:
Quæ tantum meruit perfida turma fuit.
Quæ meruit tantum, culpa eſt Mauruſia; tantum
Quæ potuit ferro, Lyſia dextra fuit.



PETRVS PORTVGALLIÆ REX VIII.
VIXIT ANN. XLVII. OBIIT A°. MCCCLXVII.

PETRVS I.
LVSITANIAE
REX VIII.
ANACEPHALEOSIS X.



1 Igesimus supra millesimum & trecentesimum à Virginis partu agebatur annus, cùm xiij kalendas Maias lucem Conimbricæ hausit Petrus, cui septimum & trigesimum jam numeranti Alphonsi patris obitu sceptri & Regni obtigit administratio; quo tempore immaturo obitu præreptâ conjuge viduus agebat; fuit hæc Princeps Cõstantia Ioannis Emanuëlis filia, è qua liberos suscepit Petrus Dionysium, qui paucis à nativitate diebus angustum vitæ periodum absolvit; Ferdinandum, qui Regno suffectus est; Mariam, quam in matrimonio habuit Aragonię Princeps Alphonsi quarti filius. Extremæ hujus filiæ partus parenti in ipso adhuc ætatis flore, cùm mirè omnibus propter Regias animi dotes chara esset, & sui eximium desiderium reliquisset, mortem attulit acerbissimam.

Constantiam ducit Petrus.

2 Versabatur porrò inter aulicas puellas nobilis & nubilis virgo Agnes à Castro Petri Fernandij à Castro, qui è præcipuis Galleciæ Dynastis Castellæ & Portugalliæ Regibus sanguine admodùm propinquus erat, filia miris pulchritudinis & animi ornamentis cæteris alijs præcellentior, quam Princeps superstite adhuc Constantia conjuge ardenter deperibat. Hanc sibi emortuâ uxore ex Romani Pontificis facultate, ut ipse postea sacramento interposito affirmavit, clandestinis nuptijs, dum Alphonsi patris obitum opperitur, publicè postmodùm conjugem habiturus, copulavit. Aliqui tamen Regni proceres, incertum, an invidiâ, ne Agnetis propinqui ad magnos hono-

Clandestinæ nuptiæ cum Agnete à Castro.

rum gradus promoverentur, an odio pessimis consultoribus rem egriùs terentes, Alphonsum Regem adeunt; è Regni quiete & tranquillitate fore dicunt Agnetis necem, adeóque importunè rem invaserunt adhibitis, quæ suggerebat invidia, rationum momentis, ut Regis animum perpulerint. Principem igitur & insontem puellam per summam immanitatem perimunt Petrus Coëlius, Iacobus Lopes Paciecus, & Alvarus Goncalvius Regni maximus apparitor. Sibi illatam necé impatientiùs Petrus non tulisset; iræ igitur succumbens patri bellum intulit, ut ad promerita supplicia carnifices sibi tradi cogeret, quod tamen, dum Alphonsus pater, cujus è cõsilio res gesta fuit, vita fruitus est, perfici non potuit; illo tamen vita functo homicidas ad carnificinã à Castelliæ Rege Petro itidẽ impetravit alios reddens, qui à Castella profugi in Portugallia diuersabantur, quo facto Regũ neuter benè audijt, cùm nihil à regia fide alienũ magis sit, quàm eos prodere, qui ad illam tanquã ad asylum & tutissimam arcem confugiunt. Sævitum igitur in fontes potiùs, quàm debito & justo supplicio animadversum. Vivos secuit; alteri cor reserato pectore, alteri diffissis lumbis extrahens, & corã Regia utrumq; voracibus flammis amburẽs.

A Petro crudeliter occidũtur Agnetis accusatores.

Rigidus iustitiæ fautor fuit Petrus.

Fuit verò Petrus ingenio immiti, neque legum pænas alicui unquam condonabat; neq; miseri, si is criminis cõvictus esset, miseratione flectebatur. Prefixos regio juri terminos transgrediẽs, Ecclesię ministros aliquot pœnis & supplicijs affecit. Qui tamen omnia æqua trutina expendere velit, comperiet procul dubiò non immanitatis ductu, sed justitiæ & rectæ administrationis desiderio juris metas prætergressum. Damnatorũ divitias ærario nusquam Regio addixit, sed in duces, & optimè de Regno meritos viros distribuendos curavit. Plebem novis vectigalibus & stipendijs nullatenus oppressit: imò admonitus aliquando, ut Regijs, quos à majoribus acceperat, thesauris aliquam accessionem faceret: illum laude digniſsimum Regem se arbitrari respondit, qui cùm à majoribus acceptas divitias tueatur, Regijs se vectigalibus alat, citra populi injuriam. Ingenio ita liberali & ad conferenda beneficia proclivi fuit, ut illo se die Regem minimè fuisse diceret, quo nullo collato beneficio

Populũ nullis oppressit tributis.

Petri liberalitas.

ficio elapsus esset: aliquando cingulum sibi laxari jussit, ut brachia liberius ad donandum extendere posset. Nobilibus, qui in Curia & aula versabantur, stipendia auxit. De se, vel Rep. bene merentes magnis honoribus & donis cumulavit, neq; cuiquã ea, quæ pater liberaliter dono dedit, aut imminuit, aut prorsus abstulit. Cõvivia, quibus nobiles excipiebat, dum Regni fines invisere solitus erat, lauta semper & opipara fuêre, quanvis assidua, quippè crebrò Regnum universum perlustrabat, ut majores & potentissimos quosque in officio contineret: minores, abjectos, injurijs obnoxios & expositos ab eisdem vendicaret. Venatione & aucupio mirè oblectabatur, in quam propterea rem maximã canum vim & omnis generis avium alebat. Cùm igitur his duobus Regium munus contineatur, bonorũ nimirum prȩmio, sontium supplicio atq; pȩna, Petrum, qui in utroque excelluit mirè, in primis numerandũ Regibus esse censeo.

Leges aliquot tulit acerbas equidem, sed populo gratissimas. Capitali supplicio & bonorum proscriptione judicem damnavit, quicumq; se muneribus corrumpi pateretur, quod & aliquando exequendum curavit. Severè prætoribus imperavit acerbissimas intendẽs minas, ut definita sententia lites quantocyus dirimerent. Cùm verò certior factus esset, patronorum dolo & fraude, qui utrique parti fauentes iniquas lites prolatabant, causas in immẽsum propè tempus extendi, pernicioſum hominum genus à Regni judicijs ablegavit, quæ salutaris consuetudo, dum Petrus vixit magno Reipub. bono perstitit inviolata. Eos, qui legitimam thori fidem violabant, mirum est quàm exosus fuerit, & quàm immanibus pœnis in hujusmodi flagitij reos sæpiùs animadverterit. Qui negotiorum causâ in curiam confluebant, mira celeritate expeditis rebus, domum quam primùm demittendos curabat, in quam rem varios cùm sibi suffecissent administros, quorum industria & cura moræ omnes abessent, in eos supplicium convertebat, qui litibus decisis, vel negotijs confectis in curia ulteriùs tempus traherent, quos pro hominũ conditione variè multabat. Immanitate verò aliquando sævus, & furore abreptus regiæ immemor Majestatis, cùm sibi imperare nequiret, quin violẽtas ipse sæpè manus

Leges utilissimæ ab eo sancitæ.

In sæviam aliquando desævit.

manus ſontibus, qui ſibi ſiſtebãtur, inferret, tot egregias animi dotes crudelitatis nota deturpavit: neque ſemel tantùm ſupplicíorum atrocitate hominum animos exagitavit potiùs, quàm coercuit; cùm tamen priſcis illis temporibus majus in plebem nobilitati jus eſſet, poteſtatem pro libidine exercebant, injurias omnibus æquus pellens, non invidiam minùs nobilium, quàm popularium amorem & benevolentiam ſibi conflavit. Quare vulgò jactari ſolitum fuit, Luſitaniæ illud tempus aureum & feliciſsimum fuiſſe, quo Petrus ſceptrum tenuit & rerum ſummam adminiſtravit.

Feſtivitate & plauſibus delectabatur.

Neque propterea trux ſemper fuit & perpetuò aſper, ſed humanus & lætitiæ amicus, miréque oblectabatur choreis, quas vulgò *Folias* appellamus; proprium id eſt noſtratibus ſaltandi genus, & canendi mirè feſtivum, quo ad tympani, lyrarum & ſiſtrorum harmoniam, modò ritè atque exactè, modò temerè & incompoſito motu miris geſticulationibus, aſpicientium plauſu, & colludentium oblectamento ſe ſolent exhilarare. Tubarum itidem mirificè capiebatur concentu, quas argenteas fundi juſsit, & nocturno ſilentio mira cum voluptate audiebat. Ita ſe apud vicinos Reges ſemper geſsit, ut in magnis bellorum tumultibus, quibus Aragoniæ & Caſtellæ Regna diſsidebant, perpetuâ & ſtabili pace potitus fuerit; quamvis inhumanitatis notam non effugerit erga Petrum, cognomine Sævum, Aragoniæ Regem, quem prælio victum & profligatum in Luſitania non ſolùm non accepit, ſed vix & ægrè in Angliam, quo ſe conferebat, liberam tranſeundi copiam fecit. 5

Sibi & Agneti duo mira ſepulchra elaborari curavit

Mirâ opificum induſtria, & artis ad miraculum excellentia, mauſolea duo in Alcobacienſi cœnobio extrui juſsit immenſis ſumptibus candido è marmore; in aliud Agnetis à Caſtro oſſa tranſtulit, cujus ad vivum imaginem Regio diademate exornatam in marmore itidem expreſſam in ſuperiori tumuli parte incîdi fecit: in qua oſsium traductione aliqua dedit veteris amoris monumenta digna ſanè poſterorum memoriâ ſempiternâ. Octo ſupra ſexaginta paſſuum millia Conimbrica urbs, in qua defunctæ corpus quieſcebat, ab Alcobacienſi 6

Pompa qua Agnetis à Caſtro oſſa tranſtulit.

cienſi Cœnobio diſiuncta eſt; toto igitur itineris ſpatio denſæ ex utraque parte cereæ faces accenſæ viſebantur, quarum per medium lectica miris elaborata cęlaturis immenſi pretij gemmis & veſtibus adornata Reginæ reliquias portans à pleriſque Regni Dynaſtis & præſulibus, illuſtrioribus matronis, & vulgi innumerâ multitudine ſtipata, Alcobaciam pervenit. In alio poſteà Regis ipſius cadaver conditum ad hodiernum uſque diem aſſervatur.

Ex Agnete à Caſtro filios habuit Petrus Alphonſum, qui in prima infantiæ teneritudine extinctus eſt; Ioannem præterea & Dionyſium, quem ſuſceptâ injuriâ in Caſtellam recedere coëgit; Beatricem, quæ matrimonio copulata fuit Sancio Albuquercij Dynaſtæ Alphonſi eo nomine undecimi Caſtellæ Regis notho. Poſtquàm Agnes è vivis ſublata fuit ex Thereſia Laurentia nobiliſsima fœmina Ioannem procreavit Auiſij magiſtrum & Luſitaniæ poſtea Regem. Sceptrum obtinuit annos x. menſes vij. dies viij. Extremum diem obijt Eſtremotij vj. Idus Ianuarij anno à Chriſti ortu M ccc lxxvij. poſtquam Catholico more omnibus ſe Eccleſiæ ſacramentis ritè communierat, cùm octavum ageret ultrà quadrageſimum.

Petri filij.

Mors.

Corpore procero fuit, atque ad aſpectum pulchro: liberali fronte, venuſtis & formoſis oculis: barba & capillo prolixiori, quem curioſiùs comebat aliquando: colore vivido: lingua non admodùm promptus, verborum hæſitantia impeditus, in reſponſionibus diſertiſsimus. Priſcorum Regum threſauros locupletauit, ingenti auri atque argenti facti, infectiſque vi, quam ſine popularium vexatione in tam diuturna pace comparavit.

Statura.

Qui Luſitaniæ Regum geſta ſcripſit, ſe in veteri memoria comperiſſe tradit eximia & ſingularia Petrum maximè in morte Numinis ſuſtinuiſſe beneficia, tum, quòd rectus & juſtitiæ fuerit amantiſsimus, tum præcipuè meritis & interventu ſanctiſsimi Apoſtoli Bartholomæi, quem religioſiſsimè ſemper coluit, cujuſque nomine & privatim & publicè multa & maxima in egenos ſemper contulit. Aſſerit ulteriùs conſtantem & vetuſtiſsimam in Alcobacienſi cœnobio famam eſſe,

Mortuus ad vitam revocatur precibus D. Bartholomæi Apoſtoli.

poſtquam è vivis jam deceſſerat, gelido corpore &, mox ijs aromatis, quæ corruptionem, vel impediunt, vel remorantur, farciendo, ad viuos iterum redijſſe magna aſtantium trepidatione, aduocatóq; mox ſacerdote, qui ſibi à ſacris confeſsionibus fuerat, vbi crimen, quod per oblivionem vivo excidiſſet, ritè expoſuit, & ſacra abſolutione expiavit, compoſitis iterum membris ſuaviter conquieuiſſe. Quod ſibi adeò rarum & peregrinum beneficium ob juſtitiæ inuiolatam & incorruptam ſemper obſeruantiam, atque eximia apud Numen Bartholomæi promerita obtigiſſe conteſtatus fuit, ne æternum ſalutis diſpendium animo non ritè expiato ſubire cogeretur.

AD PETRVM PORTVGALLIAE REGEM HVIVS NOMINIS I. COGNOMENTO SEVERVM.

Non durum fecêre iræ, ſed crimina; mitis
Seruo homines; hominum crimina clade ſequor.
Aſtræa è ſummo mihi tradidit æthere lances,
Metior his juſtis præmia damna reis.
Ingenuos animos frænat pudor, impia frænat
Pectora juſtitiæ non ſine clade metus.
Abceſsêre doli, diræ abceſsêre rapinæ:
Legitimis limes finibus arua regit.
Turpis adulterij maculoſa piacula deſunt,
Vis cohibet pronas in malefacta manus.
Fur nocturnus abeſt, & abeſt vis dira latronum,
Gentibus à noſtris dira tyrannis abeſt.
Moribus Imperium juſtus rego, moribus vrbes,
Regna ſupercilio fræno, domoque meo.
Libera per fines pax ambulat aurea noſtros,
Ocia ſecurus me duce ciuis agit.
Vi ſine Saturni Saturnia Regna fuerunt,
Aurea ſunt ferro ſed mea ſecla mee.
Si ſine juſtitia facio vim, durus habebor;
Si duce juſtitia punio, juſtus ero.

Ad eundem.

Largiter effuſo vobulis gratiſſimus auro
Petrus adeſt, æqui, juſtitiæque tenax.

Ille inopes opibus cumulabat, honoribus ille
Nouerat emeritos condecorare duces.
Ille sibi accinctæ laxabat amicula zonæ,
Tenderet ut plenas promptior ære manus.
Ille graues sumpsit scelerato a judice pœnas,
Assuetus torua perdere fronte reos.
Ille insultantes solitus punire cateruas,
Colla dabat sacræ perniciosa necí.
Tam bene qui nouit geminum componere munus,
Vita per hæc meritum det geminata polum.
Fallor? an idcirco prima de morte reuixit,
Altera vt æterno tempore vita foret?

Ad eundem.

Flumina si lactis, si flumina nectaris irent
Per juga, si quercus dulcia mella daret:
Si sine lege fidem coleret gens aurea, Mundus
Si sine vi crudo tutus ab hoste foret;
Aurea si fluerent nunc secula, qualia quondam
Dum sua Saturnus sceptra tenebat, erant;
Tunc sine supplicijs, sine judice Regna teneres,
Et gereres molli mollia sceptra manu.
At quia sydereos Astræa recessit in orbes,
Iustitiæ peragit Regia cura vices.
Regia Majestas scelerum nisi puniat ausus,
Turpia regnabunt crimina, Regna cadent.
Non sine justitia sublimia Regna perennant;
Hæc, sibi, qui violat, tollere sceptra solet.

Ad eundem.

Iustitia imperium tenet aqua, absistite fontes;
Qui pro justitia vindicet, ultor adest.
Pectoris obscœni Vulcano absumitur ignis,
Supplicium pranis est noua flamma rogis.
Gratia nil prodest, nil verba precantia, nullum
Credite majestas Regia pondus habet.
Principe sub justo, casti cui cura pudoris,
Qui turpe, ardenti vindicat igne nefas.
Iura pudicitiæ vel sunt seruanda per atros,
Vel patratori pœna luenda rogos.
Lilia quod referunt, quod Lysia pascua flores,
Res est, qui ferro vindice cultor adest.



FERDINANDVS PORTVGALLIÆ REX IX.
VIXIT ANN. XLIV. OBIIT A°. MCCCLXXXIII.

FERNANDVS I.
LVSITANIAE
REX IX.
ANACEPHALEOSIS XI.

DOstquàm fatali necessitate oppressus, Regni administrationem reliquit Petrus, hæreditariò in defuncti locum suffectus est Fernandus ex Constantia cõjuge filius, Conimbricæ natus anno à Virginis puerperio millesimo, trecentesimo, quadragesimo; Regni verò clavum & moderationem inijt millesimo, trecentesimo, sexagesimo septimo, quinto kalendas Februarij, tanta felicitatis spe & ominatione, quantam nemo usquam ex proavis jure potuit concipere. Ætas enim, qua imperium accepit, florentissima erat, & ad omnia gerenda promptissima, quippe quæ septem & viginti annos nondum excesserat. Regno undiquè tuta pax; à vicinis Regibus neque dissidia ullá, neque metus; Regni opes, &, sive pacem, sive bellum gesturus esset, nervos, thesauros, atque divitias opulentissimas à proavis longo tempore comparatas, & propè, quasi in magni alicuius facinoris spem, coacervatas hæreditariò accepit; in ijs maxima imprimis auri argentique vis, & immensi valoris uniones, lapidesque non vulgaris æstimationis, quæ pater atavique diuturna pace in varias Regni arces congesserant. In Olyssipponensi inventa sunt auri pondo octingenta millia, argenti quadraginta millia, præter ingentem facti signatique copiam, & alia prætiosissima, quæ tum inibi, tum varijs Regni oppidis asseruabantur.

Ferdinando omnia felicitatẽ sponsebant.

Dotes verò & corporis ornamenta non vulgaria; corporis proceritate & elegantia, faciei liberalitate, vultus pulchritudine, toto denique habitu inter formosos recensebatur, adeò ut

Ferdinandi species prona imperio.

vulgò dici consueverit, quamvis Regni insignia abjeciſſet, facilè inter hominum plura millia omnium Regem & Principem ex ipſo corporis habitu æſtimandum fore Fernandum. Ingenio miti & leni fuit, comis & benignus, difficilis ut ſiniſtram & iniquam, propenſus & facilis ut optimam de quocumque conciperet opinionem. Eques egregius, neque cuiquam vertendi & circumagendi equi dexteritate ſecundus, adeò fortis & robuſtus, ut nullus æqua vi, atque Rex ipſe, ictum gladio faceret. Liberalitatem ita impensè coluit, ut in prodigalitatis vitium propè degeneraverit; neque in ſuos beneficia cōferebat ſolùm, ſed in externos & peregrinos homines ampliabat. Iuſtitiæ fuit amantiſsimus, plebi admodùm benignus, cujus proindè utilitati mira in rebus plurimis vigilantia conſultum voluit. Leges condidit æquas & Regno commodas, quarum patrocinio & favore, terræ anteà incultæ, & vaſtæ ſolitudines aratro proſciſſæ ſunt, & plura exſtructa navigia, quibus mirum in modum cum externis commercium viguit: & tanta deinde Dei gloria, Regni laude, & divitiarum omnium acceſsione in immenſum propè excrevit.

Largitas & iuſtitia in Rege amor.

Regis leuit. & inconſtantia.

Auream & feliciſsimam tempeſtatem Luſitaniæ hæc omnia portendebant, illuſit tamen ſpes & præclara decora innata Regi inconſtantia, atque immatura in accipiendis deponendiſque conſilijs deliberatio obſcuravit: ferè enim dum magnum aliquid, ſive bello, ſive pace aggreſſurus eſſet, quæ à re maximè forent, penſi non habebat; quare temerè ſuſcepta conſilia, temerè itidem abjiciebat, non ſine ingenti regiæ dignitatis jactura, & Regni incommodo. De ſuſcipienda conjuge ter deliberauit, vltimoque, & deteriori conſilio ſibi eam copulauit, de qua ne conſilium inire quidem decebat. Idem prorſus cum Beatrice filia accidit, quam tribus deſpondit, atque vxorem illi tandem dedit, unde certiora incommoda, & bella formidari poterant. Innocuum, & ab omni criminis ſuſpicione alienum Principem Ioannem Auiſij Magiſtrum ſuum ipſius fratrem in vinculis habuit, & compede cōſtrinxit, vt ijs aſſentiretur, qui privatis inimicitijs Principi infenſi erant:

Inconſulto Ioannem fratrem trudit in vincula.

quem

quem cùm intrà viginti dierum ſpatium vinculis dimiſſum domum abire permitteret, tantæ rei cauſam aliam protulit nullam fuiſſe, quàm velle ſe manifeſtum & conteſtatum eſſe ſibi omnes obnoxios, ſe omnium honoris, & vitæ ſupremum eſſe arbitrum. Defuncto Chriſti in terris Vicario Gregorio, ex ijs qui felix nomen obtinuêre, undecimo, ita Vrbanus ſextus ſubrogatus fuit, ut à plurimis alius, quem ſeptimum Clementem, ut nomini quoque ineſſet auctoritas, appellari maluerunt, pro germano Petri ſucceſſore coleretur. Fernandus ergò in re non ita facili, utpote admodùm factioſa, vero Pontifici adhæſit primo, à quo poſteà Anglorum inductu in Pſeudopapam receſsit, quem tandem inconſtantiâ eâdem, ſed conſilio ſalubriori, cùm dimiſiſſet, Vrbano obſequium detulit & obedientiam.

A vero Pontifice nunc reſilit, nunc adhæret.

4 Caſtellæ expeditionem & expugnationem adorſus eſt, ad ſe hæreditariò pertinere Regnum prætendens, quòd Sancij Regis pronepos eſſet, & Petri, quem Henricus frater nothus quidem, ut Regno potiri poſſet, ex inſidijs interemit, ultor. Atque ut tantum bellum aggredi poſſet, Aragoniæ & Granatæ Reges legationibus miſsis in amicitiam, & belli communionem trahere, ſibique conjungere curavit. Aragonio quidem promiſit ſe in conjugem habiturum Eleonoram ejuſdem filiam, atque in belli expenſas, & militum ſtipendia ingentem auri argentique adhuc rudis eò vim aportari juſsit, ut ibidem cuderetur, ſignareturque, quæ omnia in elicitet abſumpta fuere, cùm neque nuptiæ optatum exitum habuerint, neque Rex Aragoniæ, quam mutuam acceperat pecuniam reddiderit unquam. Hujus immaturi atque non ita ſani conſilij major penès aliquos Caſtellæ Dynaſtas culpa fuit, qui novum Regem Henricum metuentes in Portugalliam cum confugiſſent juſto liberaliùs accepti vrbibus, & reditibus aucti adulationibus ad inferendum bellum Caſtellano Rege facilè perpulerunt.

Temere ſuſceptum cum Caſtellano bellum.

5 Aliquamdiu bellum geſtum fuit utriuſque exercitus, damno & cæde, quod tandem reddita pace conquieuit; huius porrò

Pax inter Reges à Pontifice curatur.

porrò fuit auctor Gregorius Pontifex, qui Reges in concordiam adducere ſummè contendit, quam Fernandus eadem levitate, qua bellum, complexus fuit, nulla habita ſociorum ratione; atque inter alia Eleonoram Henrici filiam ſibi ſponſalibus conjunxit, poſthabito Aragoniæ connubio, cùm de tanta re nequaquam Regem fecerit certiorem; ſed neque ſecundis ſtetit, ſicuti neque primis, quia impotenter nobilem fœminam nomine itidem Eleonoram Telles, ſed matrimonio jam aſtrictam, magno conjugis dolore, à quo & filium pepererat, deperire incœpit. Magno igitur bonorum omnium dolore inſtabilem thorum aſſumpſit, & ne alienam rapuiſſe videretur, cauſatus eſt irrito conjunctam eſſe matrimonio, cùm abſque Pontificis venia conſanguineo nupſerit: quare definita ſententia à viro primùm abducitur, & quanquam re vera, ut hodie etiam certum exiſtimatur, Pontificis facultate dolo quæſita copulati fuerint, conjux rivalis potentia oppreſſus ſatius duxit in Caſtellam exulatum recedere, quàm de uxore cum Rege litem habere.

Impia nuptia cum Eleonora Telleſia.

Dionyſius & Ioannes Principes in Caſtellam profugiunt.

Hic ingentium malorum fons, hęc diſſidiorum origo. Hoc connubio alienati procerum animi, qui in Caſtellam multi deceſſêre. Princeps Dionyſius, quia Eleonoræ manum exoſculari renuit, neque unquam, vel Reginam, vel dominam appellare voluit, quam illa injuriam, ut eſt honoris avidiſsimum muliebre ingenium, ægerrimè tulit, relicta Luſitania, in Caſtellam, tanquam ſpontaneum exilium ſe recepit; ſequutus poſtea Ioannes itidem Regis frater, ſed infeliciori eventu, & aſperiori re coactus, cujus tamen auctor & machinatrix Regina ipſa fuit. Clandeſtinis nuptijs Mariæ Telles de Meneſes Reginæ ſorori Princeps hæſerat, quam fœlicem ſortem germanæ, eſto in ſublimiori collocata eſſet, invidens Eleonora, erat quippe Ioannes egregia & præclara forma, procero corpore, omnibus charus, ad quem defuncto Fernando Regni ſumma pertinebat.

Ioannes Agnetis filius pactam ſibi Reginæ ſororem eadem fallentem interimit

Hunc igitur clanculum & ex inſidijs Regina adoritur, atque ut ſunt ad ſimulanda quęque & diſſimulandę mulieres doctę,

laudi-

laudibus ad facinus trahit inopinum. Nemo, inquit, Beatrice Principe dignior te patruo, quem natura dotibus, quotquot optari possunt, prodigè adornavit; has ego tibi nuptias despondebam, Regnumque: sed incassum, proh dolor, tanta meditor; cùm audiverim te jam matrimonio obnoxium, atque fœminæ (dicere horreo, sed cogit amor) quæ te dispari prosequitur amore, atq; alterius, quanto tuo dedecore, tuum sit expendere, indignis amoribus torretur. Perculsus Principis animus, cùm subdolas insidias non persentisceret, neque à germana tantùm scelus Mariæ metueret, zelo typiæ abreptus œstro Conymbricam, qua in urbe Maria tanti doli ignara, tanti flagitij sibi nequaquàm conscia degebat, contendit, & inauditam crudeliter perimit. Perduellionis igitur reum, quæ deceperat, incusat Regina, atque adeò pertinaciter insequuta fuit, ut in Castellam abire compulerit mœstum, sibique indignabundum, quòd tam faciles aures, & credulum animum pessimis, & hostilibus consilijs patefecerit. Nec solos Principes Reginæ causa turbatos Regno ablegavit; plures alij nobiles, quòd satiùs ducerent, patria & domo exulare, quàm honores, & reditus cernere, quibus ipsa consanguineos nobilitabat & augebat, se Portugallia abdicaverunt. Plus tamen omnium animos exulceravit solutior justo Reginæ cum Ioanne Fernandio Anderio consuetudo, quæ procedente tempore invalescens, Comiti mortem, Reginæ dedecus peperit indelebile. Hunc natione Gallecum, sanguine nobilem, ita ad magnos honores evehi fecit, ut Comes Ourensis tandem fuerit, quo familiariùs illo posset uti.

Ioannis exilium.

Eleonoræ vioſſpicſa cum Anderio commercia.

Sed jam ad Fernandum, qui ingenio instabilis & varius, quam cum Henrico pacem colebat, & sanctè firmauerat, temerè violavit; cùmque in Hispania sociorum desertor, neminem sibi fidum fore existimaret, externa auxilia convocanda ratus, rem egit cum Ioanne Leceſtriæ Duce Eduardi eo nomine III. Anglorum Regis filio, qui eò quòd in matrimonio haberet Constantiam Petri cognomento Sævi, majorem natu filiam, soceri imperium ad se deferendum adeò pertinaciter

Aduerſus Caſtellanos magno Regni damno Angli accerſuntur.

credebat, ut Caſtellæ & Legionis ſe Regem vulgò diceret & ſcriberet. Hujus conſilij ubi certior Henricus fuit, anteverten-
dum ratus, exercitum comparat, Portugalliæ fines invadit, ur-
bes aliquas partim metu, partim vi ſubigit, omnia populatur,
Caſtellanus Luſitaniæ inſultat, to-tamque pervadit. & Olyſipponem uſque progreſſus, urbem obſidet, atque tri-
ginta ipſis diebus obſidione intenta oppugnavit. Neque ta-
men interim Fernandus copias ſcribit, exercitus legit, aut ad
arma ducit, ſed deſes interim ſuorum iujurias, & expilationes
conquieſcit, atque domum indignabundos, & tam inſignem
ſocordiam execrantes plures Dynaſtas dimittit, qui armatis
manipulis, ut cujuſque vires erant, auxilio aderant. Direptis
Incendium Olyſipo-nenſe. igitur Olyſiponis ſuburbijs, & majori ex parte incendio ab-
ſumptis, quod in vicinas ædes graſſatum nobiliſsimam pla-
team, vulgò novam, corripuit, & omni merce refertiſsimas nego-
tiatorum ædes in cineres, & favillas ſolvit, ab urbe Bononien-
ſis Cardinalis de pace cum Regibus ut ageret, à ſummo
Paſtore miſſus ſupervenit, quod & felici eventu fecit. Conue-
nêre igitur Scalabim Reges, & in mutuo colloquio, ad quod
Tagus fluvius delectus ab utroque fuerat, de conditionibus
diſceptatum, ultrò citróque datæ atque acceptæ, tandem fœ-
dus ictum & jurejurando firmatum.

Ad alia deinde converſis animis Beatricem Fernandi ſoro- 9
De pace & nuptijs pactis inter Reges actum rem Sancio Henrici Regis fratri collocaverunt: quæ nuptiæ
poſteris duobus diebus magno plauſu celebratæ ſunt. De alio
itidem matrimonio actum, quo Eliſabetha Fernandi notha
ex vago, dùm adoleſcens eſſet, concubitu ſuſcepta, ſponſa fuit
Fernando Henrici itidem filio Legionis Comiti, & Noroniæ
Dynaſtæ, à quo præclariſsima Noroniarum familia in Luſi-
tania ortum habuit; ſed infauſto nuptiæ exitu inauguratæ fue-
runt, quippè invito Alphonſo pactæ. His igitur ex ſententia
geſtis, in Caſtellam Henricus profectus eſt, atque indè mox le-
gatos in Luſitaniam deſtinavit, qui Beatricem Fernandi fi-
liam Regni hæredem Federico ejuſdem notho nupturam cu-
rarent, qui tamen conatus irritus fuit. Mortuo quippè Henri-
co, qui Regno ſuffectus eſt, Ioannes filius enixè contendit, ut

eadem

eadem Beatrix Fernando Caſtellæ Principi in matrimonium daretur, quod magnis utrinque pactionibus decretum fuit, ſed inanibus atque eodem eventu quo priores defecerant. Fernandus etenim inſita levitate varius cùm in eadem diutiùs ſententia perſiſtere non poſſet, ſalubriora pacis conſilia pertæſus, bellum iterum adverſus Ioannem Caſtellanorum Regem inſtauravit contrà ſuorum opinionem & placitum.

Angli iterum contra Caſtellanos evocantur.

In quam rem redintegrato fœdere ſocios concivit Leceſtiæ iterum Ducem, & Edmundum Ducis fratrem, Cantabrigenſem Comitem, ea adjecta conditione, ut ipſi in Portugalliam navigarent, certo militum numero, & menſe. In Luſitaniam ergò Cantabrigẽſis Comes tranſijt, cujus filio Eduardo tenerę adhuc ętatis puero Fernandus Beatricem filiam totjam matrimonijs initiatam, quanquam minimè nubilem deſpondit. Bellum igitur magno utrinque conatu agi cęptum, iniqua Luſitaniæ conditione, cui ab auxiliaribus Anglis non inferiores iniuriæ & incommoda, quàm ab hoſtibus Caſtellanis obveniebant. Ad certamen poſt varios caſus, ut de ſumma rei Mars ſtatueret, duo exercitus conuenêre in urriuſque Regni fines; Caſtellanus nõ procul à Pace Anguſta, Luſitanus Helvijs caſtra poſuit, ſed melioribus uſi conſilijs, dum res integra conſultationibus locum dabat, de pace & fœdere deliberant, inſcio Cãtabrigenſi, qui propterea, neque immeritò, in Angliam revertitur indignabundus. Datæ ex fœdere ad tranſitum Caſtellanorum naves, quæ in Olyſiponis portu, ut commeatus interciperent, in ſtatione erant: reſtitutæ iterũ aliquot triremes, quę infęlici pugna ſuperatæ Hiſpali detinebantur: unde facilè perſpicuum eſt; non adeò Luſitanas res deploratas per illud temporis fuiſſe, cùm pacem honeſtiſsimis conditionibus Fernandus dederit, neſcio an impetravit. E vivis interim cùm deceſsiſſet Eleonora Caſtellæ Regina, Ioanni viduo, quanquam geminæ prolis ex Eleonora parens eſſet, Beatricem filiam, de cuius toties nuptijs licitatum fuerat, deſpondere & collocare deſtinat. Quod tandem connubium, cùm iam puella nubilem attigiſſet ætatem, Helvijs celebratum eſt varijs utrinque con-

Ad pacem reditum, meliori Caſtellanorum conditione.

Beatrix Ferdinandi filia Ioanni Caſtellano collocatur.

ditionibus, quas ſacramento interpoſito, datiſque obſidibus uterque Rex ſtabilivit & firmavit; quod tamen procedente tempore ingentium bellorum cauſa fuit, quæ Luſitanis alium conſequutis Regem gloriam peperierunt immortalem.

Ferdinandi Regnum inter pacem & bella ſtuctuavit.

Corporis elegantia & pulchritudine (quod & ſuprà commemoravimus) excelluit Fernandus, quem ſpecies ipſa & vultus ſublimitas Regē declararet, adeò ut nulli primas concederet; vultu aliquantulum oblongo, purpureis labijs, capillo rufo, alba facie, magnis & formoſis oculis mellino colore, ad nigrum tamen accedēte: in ijs, quæ Regni adminiſtrationis intererant, remiſſus & lenis: quare perpetuis bellorum tempeſtatibus vexatus eſt, in quibus neque ipſe, neque alius, qui ejus nomine militaverit, aut illuſtre facinus edidit, aut gloriam adeptus fuit; adeò Regis mores & ingenium populares exprimunt & referunt: neque propterea plebi ingratus & inviſus; imò omnibus charus; liberalitas enim, & inſita benignitas invidiam leniebat & prorſus extinguebat.

Olyſiponem brevi muris cinxit.

Cùm expenderet ſecum ipſe, quantum incommodi Olyſipo in obſidione à Caſtellanis acceperit, eò quòd murorum præſidio deſtituta injuriæ eſſet obnoxia, animum intendit, ut muro & propugnaculis cingeret ex conſilio Ioannis de Almada, qui Regijs præerat reditibus, & contra omnium ſententias, qui immenſum opus ad finem perducendum nunquam fore rebantur, manum labori admovit: jacta prima fundamenta Kalendis Septembris anno à Chriſti ortu milleſimo, trecenteſimo, ſexageſimo tertio, & perfecta murorū corona biennio pòſt magna omnium admiratione, & congratulatione, qui divitiarum Olyſiponenſium charybdim, & voraginem excogitari, non muros extrui opinati fuerant.

Per idem fermè tempus, ut à maioribus accepta memoriæ, & conſtans fama ad nos uſquè dimanavit, Ebora civitas ijs muris & turribus, quibus hodie maximo ambitu cincta cernitur, munita fuit, qui ſuburbia omnia complexu ſuo continentes; ne domum quidem injurijs expoſitā relinquunt. Credo equidem, Fernandum, conſcientia ſtimulante, utrumque reſarcire voluiſſe.

voluisse, quod Eboræ attulerat incommodum, dum belli tempore, ne Castellanus urbe potitus, & præsidio imposito, ex sententia illud administrare posset, vetera mœnia solo æquari jussit. Erant porrò hæc quadrato è lapide in justam altitudinem evecta, fortissimis turribus defensioni aptissima; antiquissimum Romanorum opus, & nobilissimum eorum, quæ in Hispania post Mahometanorum clades extabant adhuc; extruxerat Sertorius, qui nobilissimam urbem sibi sedem, & contra Romanos propugnaculum elegerat tutissimum. Vix in posterorum memoriam turris superstes visitur, quæ domicilium & prospectum latè præbet religiosis fœminis sanctitatis famâ inclytis in eo cœnobio, quod à Mundi Salvatore nomen habet. Qua in murorum eversione triennium insumptum propter lapidum magnitudinem & operis firmitatem non contemnendus auctor famâ evulgatum habet. Scalabis etjam arcem murorum ambitu adversus externam vim, pluraque in Regno oppida communiit.

Romanis mœnibus Eboræ temerè eversis, novi instauruntur.

14 Primus Lusitanorum Regum ex Angliæ disciplinâ magistrum equitum & Marescalem creavit: quorum postremum munus Goncallo Vasquio Arevedio commendatum; primùm Comes Arragolensis Alvarus Pires à Castro obtinuit. Fato tandem concesit Olysipone gravi & diuturno confectus morbo 2. Kalendas Novembris anno à Christi natalitijs millesimo, trecentesimo, octogesimo tertio, ætatis, agens supra menses decem, xliij. ex quibus summâ rerum potitus est annos xvij. menses novem. Cùm morituro sacerdos sacrum viaticum offerret; Catholicam fidem professus; manantibus uberrim lachrymis eorum erratorum, quæ in Regni administratione commiserat, à Numine veniam & condonationem impensè efflagitavit, & sacro Franciscanorum habitu indutus extremum reddidit spiritum. Sepultus jacet Scalabi apud D. Francisci propè Constantiam matrem nobili in tumulo.

Alia utiliter instituta.

Mors Regis Christiano digna.

AD FERNANDVM REGEM AMORIBVS DEDITVM.

IMbellis quid sceptra tenes, Rex, Lysia? Martis
Sume animos. Martem bellica regna petunt.
Quàm malè sceptra lepus regeret generosa leonum;
Quàm malè dux aquilis blanda columbа foret;
Tam male Lysiadis mollis Rex imperat. Isthæc
Fortem sceptra decent Hectora, non Paridem.
Hectoreos animos placeant si sceptra, capesse.
Projice sceptra manu, si Paris esse cupis.

Fernandus Rex Lusitaniæ, contempto Mauro, Castellæ Regi impium movet bellum.

Impia degenerem vocat in certamina Regem
Hinc furor, hinc spretus Relligionis amor:
Regna furor cognata petit: contempta ministrat
Relligio hostiles in sua damna minas.
Quis furor est socias in prælia posse re turmas?
Quis furor est Mauri tela inimica pati?
Quæ nova Relligio est, miscere cruoribus aras,
Pandereque ad turpes aurea templa Deos?
Quæ nova Relligio est sacras sævire per urbes,
Et dare captiuas in fera vincla manus?
Opudor, o monstrum, Christi distincta cruore
Signa rubent: Christi sit cruor, iste cruor,
Verte alio dextram Rex; Christi aut parce cruori,
Aut quas signasti tam malè, tolle cruces.

Idem Rex Principes Regni urbes Olysipponem & Eboram mœnibus cinxit.

Dum tibi Regna parant duo Numina, maxime Princeps;
Æquora Neptunus, pinguia culta Ceres:
Mœnia certa suis Neptunus posuit in undis,
Flaua Ceres Regnis mœnia certa suis.
Iussit Vlyssæas tua dextera surgere turres;
Atque ait: Hæc pelagi mœnia Numen habe.
Iussit, & Eboreas suspendere mœnia pinnas,
Atque ait: Hæc flauæ sint monumenta Deæ.

Ergò

Ergò terrarum Dominum facit Ebora; Vlyssis
Vrbs Regnatorem te facit esse maris.

Ad eundem de adventu Anglorum.

Lysiadum populatur agros vicinior hostis
Assuetus dudum vertere terga fugæ:
Arma fremunt populi: impatiens rapit arma juventus
Et toties victis tanta licêre dolet.
Imbellis Rex bella vetat, vetitisque hymenæis
Implicitum Regni nulla ruina movet.
Post cladem auxilio vocat in sua Regna Britannum;
Sera tamen gravius fit medicina malum;
Nam Regnum hinc hostis prædatur, & inde Britannus;
Et qui debuerant pellere damna juvant.
Ne regat auxilio, Rex, Lysia terra Britanno:
Tu Rex esto, tuus sat tibi miles erit.

Ad eundem.

Mollius imperium quàm justa Astræa reposcit,
Conjugis arbitrio Rex regis ipse tuum.
Nolo truces animos, & pectora cruda Neronum,
Sævitia nomen qui meruêre sua.
Atrea detestor, caligantémque Thyestem,
Cujus ad infandos lux fugit acta dapes.
Mollia Fernandi nolo otia, nolo quietem:
Non tua te poscunt tam malè Regna pium.
Sævitiam pietas, pietatem attemperet ardor,
Quàm sæva nocent, tàm benè juncta placent.
Agnis Rex agnis pietate, leonibus idem
Sit leo: justitia fiet utrumque, ducè.
Muta animos, aut sceptra, decent te mollia Regna;
Dedecet imbellis Lysia sceptra manus.



IOANNES PORTVGALLIÆ REX X.
VIXIT ANN. LXXVI. OBIIT A°. MCCCCXXXIV.

IOANNES I.
LVSITANIAE REX X.
ANACEPHALEOSIS. XII.

IOannem Primum, qui ob illuſtria faciñora, & admirabilem virtutum ſplendorem, Bonæ memoriæ acroamate nobilitatus eſt, pellex Theraſia Laurentia nobilibus orta natalibus Petro Regi peperit Olyſipone die undecima Aprilis, anni milleſimi, tercenteſimi, quinquageſimi, quanvis in ipſius Chronico quarta decima dies Auguſti illius natalitia dicatur. Infantulus, ut educaretur, traditus eſt nobili civi Laurentio Martinio Da Praça, ſed expleto ſeptennio cõmiſſus pædagogo Nonio Freirio Andradio Chriſti militi clariſſimo, cujus rogatu alumnum ſuum Petrus parens Aviſienſis militiæ Magiſtrum creavit. *Ioannis ortus & educatio.*

Ergo Magiſter Aviſienſis (ſic enim audijt Ioannes, donec in Regnum eveheretur) ſub Magiſtro ſuo Nonio ijs diſciplinis perfectè eſt excultus, quæ optimum quemque Principem commendant. Pietatem erga Deum omnibus ſemper chariorem habuit; prudentiæ, & fortitudinis, ſicubi res poſceret, ſignateſtatiſſima edebat, præcipuè in bellis, quę inter Ferdinãdum Luſitanum ipſius fratrem, & Caſtellanos texebãtur, Regio verè animo populum ſibi mirè devinciens ad Regiam dignitatem pręludebat. Torquebatur miſerè Regina Eleonora tantis omnium plauſibus & inclinatione ergà adoleſcẽtem, cui ſciebat inviſam eſſe ſuam cum Comite Ioanne Fernãdio Anderio familiaritatem, & fęminea audacia perfidiæ, atque defectionis crimina in eo comminiſcens perfecit, ut Eboræ in cuſtodiam truderetur unà cum Gondiçalo Vaſquio Arebedio, qui Reginæ in ea re licentiam licentiori lingua caſtigaverat. Quin juveni *Pietas ejus erga Deum, & gratia erga populum.* *Regina Eleonora Ioannẽ in vincula trudendum curat.*

veni caput amputaretur primâ nocte, falsis duarum tabellarum subscriptionibus à Regina Regis nomine dimissis, nisi Gondiçali Vasæi à Mello custodiæ præfecti prudens & constans animus fraudem subolens periculum depulisset.

Comes Anderius à Ioanne trucidatur.

Cùm post mortem Ferdinandi Regis Regni administratio Reginæ Eleonoræ mandata esset, indignè ferebant Lusitani omnes tantam penes eam Comitis Anderij gratiam & authoritatem, cujus ipsa nutibus secundabat. Ex prudentioribus aliqui siniſtram Reginę famam, & magnum Ferdinandi fratris dedecus ex clandestinis cum Anderio commercijs Magistro exaggerantes, & iniquum illius in ipsum animum, impulsores fuêre, ut in Reginæ aulam irruens coràm protervum hominem pugione confoderet, cunctis approbantibus, laudantibus, & Ioannem Regni propugnatorem prædicantibus. Populares, quasi sibi grassandi data esset impunitas, & Olysipone, & toto Regno temerè & crudeliter in aliquos sævierunt. Vbi Eleonora Ierabricam se recepit, Olysiponenses Ioannem Ducis & patriæ Defensoris titulo munierunt adversus Ioannem Castellæ Regem, qui, quòd Beatricis, ad quam Lusitania jure hæreditario spectabat, maritus esset, illius possessionem statim inire affectabat, conculcatis pactionibus, quæ inter ipsum & socerum Ferdinandum, consentientibus utriusque Regni proceribus matrimonij tempore constabilitæ fuerant. Illis enim decernebatur licere Lusitanis, etsi Ferdinandus obijsset, suis legibus & more vivere, & nomismata gentilitijs notis signare, dum Ioannis Castellani & Beatricis proles mascula in maturam & habilem Imperio ætatem non adolesceret.

Ioannes Defensor patriæ appellatur.

Castellanus armis Lusitaniam subigere parat.

Irritatus hac specie liberalitatis Castellanus, se Regem Lusitaniæ instituit; sed faustas eorum acclamationes infaustum omen interturbavit. Cùm enim Lusitana insignia sub Castellanis quasi deteriora collocasset, in terram provoluta equum traxêre ita afflictatum, luxato, diffractoque armo, ut signiferum fœdè excusserit; quòd immanis ostenti loco habitum monebat, nec Lusitanum despiciendum, nec destinatum cœlo tempus adveniſſe, quo Castellana & Lusitana insignia

coales-

coaleſcerent. Mox Caſtellanus, Eleonora inſtigante, evocatus in Luſitaniam cum ingenti exercitu trajecit, & Olyſiponem terreſtribus ac maritimis cinctam copijs deſerere coactus eſt, gliſcente in exercitu peſtilentia, & multis Regni oppidis ac urbibus arcium cuſtodes præficiens vires redintegraturus in Caſtellam redijt.

Ioannes à Luſitanis Rex eligitur

Illius abſentia Magiſter reſpirans tempus habuit Conimbricæ ineundi comitia, ad quæ non multi Caſtellorum præſides & præſules concurrêre; nam pleraque nobilitas opes & ditiones ſuas in diſcrimen adducere abnuens in Caſtelianum potentiorem, qui vulgaris eſt humanæ naturę morbus, inclinabat. Et quanvis in eo conventu diſcordantibus primùm ſententijs pugnatum ſit, multis Caſtellano obſiſti poſſe negantibus: ad extremum omnes æquis ſuffragijs conſpirarunt, ut Magiſter, Rex legeretur, quanvis acriter obnitens, & ſibi gratum ac perhonorificum eſſe Defenſoris patrię nomen contendens.

Caſtellanus Rex Luſitanum pellere molitur.

Hæc nuntia Caſtellanum citiùs exciverunt validiſsimo exercitu ſtipatum, in quo maxima pars Hiſpanæ nobilitatis, Luſitanæ, Navarreæ, & Gallicæ merebatur, ut Olyſiponem adoriretur; in quam claſſem præmiſerat multis navigijs & triremibus inſtructam. Intereà novus Rex Luſitaniæ belandi peritia veteranus allecto in Magiſtrum Equitum Nonio Alvaro Pererio, ſummæ fidei & dignitatis viro delectum habuit earum copiarum, quas toto Regno conflare potuit, nec tamen integram legionem explevit, nam ſex mille & quingenti cenſiti ſunt tantum milites, ex ijs haſtati mille & trecenti; ſudibus veriùs ac perticis, quàm lanceis armati; quaterceni ſagittarij, reliqui pedites, paucis equitibus interſecti. Intellexit nec vanè Ioannes, potiſsimùm ſibi eſſe præſidium in divinis; toto Regno ad Auguſtiſsimę Euchariſtię, & Beatę Virginis, aliorumque Divorum pulvinaria indictę ſupplicationes: Olyſipone adverſus publica peccata ſeverę leges publicatę; fœminę militarium flagitiorum illices & virium corruptrices Magiſtri Equitum

Luſitanorum in eo bello pietas.

consilio à Castris ablegatæ; quod exemplum si duces omnes imitarentur, bella feliciùs absolverent. Milites ante cętera sacri auditione, peccatorum ad confessarij aures delatione, & intemerata synaxi plurimis sacerdotibus ad Regium conopeum quasi ad templum augustissimum, Eucharistiam partientibus roborati obviam Castellano processêre. Ordines dispositi in montosa planitie in abruptam vallem desinente, qua trasęundum erat hosti, inter Colliponem & Algibarrotam. Hęc illa est Algibarrota Lusitanis fastis celebris, Castellanis non minùs damnata, quàm Cannæ vel Allia Romanis. Castellanus Lusitani statione & sollertia in ea deligenda consideratis, prima cornua, quæ propinquiora erant, lacessere noluit, sed longiori circuitu abscedens in eodem saltu ad Australem partem consedit, in quam Lusitanus aciem & faciem obvertit, cùm anteà respiceret Aquilonarem.

Algibarrotæ situs.

Prælium ad Algibarrotã

Hîc ab utroque factæ per suos feciales de successionis jure[6] protestationes, & omnibus in pugnam obfirmatis, ad arma utrinq; proclamatur ęquo tantum situ, nam cæteris nostrum Castellanus excedebat, qui ultrà triginta bellatorum millia numerabat, & solem post terga habebat, qui nostrorum oculos adversus obtundebat. Primus aries adversariorum germanos fratres duos stravit, qui Magistro Equitum erant ad principia, cùmque nobilis miles casum intuitus vereretur, ne cæteri eo visu consternati frigescerent, contenta voce in dextrum auspicium siniſtram adolescentium sortem invertens dixit: Macti animo estote Lusitani; vobis à cælo victoria paratur; nondum octo expleti sunt dies, cùm ab illis fratribus sacrilego ausu ad aram cæsus est sacerdos sacris infulis amictus; en pro suo piaculo immolantur, ne aut illo victoriam nobis retardarent, aut comparatæ nobiscum essent consortes. Nec suo delusus est auspicio; nam vix emensa priori conserti certaminis hora bis milleni è Castellanis cecidère, reliquis vel malè saucijs, vel turpiter fugatis; desideratique sunt quinquaginta non amplius Lusitani. Rex Hispanus eo die quartana, & tantæ cladis mœrore languens, conscenso equo cum paucis ipsa nocte Scalabim,

Sacrilegij supplicium.

Castelliani superantur ad Algibarrotam.

labim, viginti ſeptem paſſuum millibus diſtantem, pervenit. Inde ſecundo Tago Olyſiponem petens navibus, è triremibus funem præcidit, atque Hiſpalim profugit. Ibi atratâ veſte animi dolorem præferens, cùm ab aliquibus cladis ignominiam elevantibus argueretur, dixit; non ſe adeò excruciari, quòd in acie obtritum relinqueret Hiſpaniæ & Galliæ florem, nec quòd victus abſceſsiſſet, id enim ſummis Imperatoribus non rarò evenit, ſed quòd miles inermis, exiguus numero, quemque ipſe ut deſpicatiſsimum neglexerat, victoriæ præmijs, ſpolijs, & adoreâ potiretur. Incidit ea victoria in Aſſumptæ Virginis pervigilium anni 1386. & eâdem die vulgata fuit Olyſipone, quibus tamen internuncijs, incertum. Eoque intra paucos dies à Rege miſſa inſigniora vexilla quatuor, pluraque minora, & ad beatæ Virginis ab ſcala ſolemnis pompa gratanter inſtituta, quam omnes tàm ſacri, quàm profani homines nudis pedibus frequentarunt. Magiſter Equitum, qui ob ſingularem fortitudinem, maturumque conſilium magnam totius victoriæ partem ſuo ſibi jure vindicavit, Olyſipone in templo Carmelitano crucem auream inter ſpolia eleganti ſub theca inventam repoſuit, quæ alterâ facie pretioſas gemmas quatuor oſtentat, altera non exiguum ſacri ligni fruſtum, quod Burgis celebri Sacrario aſſervabatur.

Caſtellani Regis reditus & dolor

Gratia pro victoria Deo redduntur Olyſipone.

Poſſet hæc victoria omnem Regis animo ſolicitudinem abſtergere, accedente potiſsimùm confirmatorio Bonifacij IX. diplomate, quo & Regnum eidem addicebat, & poteſtatem faciebat nuptias contrahendi, quibus illi erat abſtinendum, utpotè ante Aviſienſem militiam profeſſo: annos tamen aliquos belli ſcintillæ utrumque Regnum mutuis damnis exagitarunt. Tandem Rex Ioanne Leceſtriæ Duce, qui frater erat Regis Britannici & Hiſpaniæ jus ad uxorem trahere moliebatur, cum auxiliari claſſe evocato, ipſiuſque filia Philippa in matrimonium acceptâ, communibus copijs Caſtellanos debilitavit, donec optandæ pacis opportunitas alluxit, adjectis

Regnũ Ioanni à Pontifice confirmatur.

Ioannes Leceſtrius ex Anglia evocatur, & illius filia à Rege ducitur.

conditionibus utrique Regno peraccommodis, quas post Ioannis Castellani obitum Henricus filius & Ioannes II. nepos subscriptione confirmarunt.

In prelij loco Batalia templum erigitur.

Sed quia gratus ergà Deum & cælites animus majora solet à Deo beneficia emereri, certaminis loco Ioannes Beatæ Virgini A Victoria dictæ, templum erexit, quod dixit, *A Batallia*; sic enim Lusitanè prælium nominamus; & perennium sacrorum custodes Dominicanæ familiæ patres adjecit. Regia verè illa est substructio, marmoribus adeò subtiliter interrasis, ut vix acu Phrygia simile quidquam in molliori materia delineetur. Pendet adhuc pars, & Rege, & egregijs illius ævi artificibus emortuis, nam sæpiùs est tentata absolvi, sed frustrà: cùm recentes scalpturæ crassiores primis delicatioribus congruere non possint. Ita tamen moles est in primis totius orbis ob elegantiam visenda. Hinc Ioannes ad remunerandos eos, qui sibi fidam operam bello navaverant progressus. Nonium præ cæteris ditavit & nobilitavit. Cujus, cùm in omnibus periculis primæ, ac difficiliores essent partes, nunquam aut vim intulit, aut repulit, quin victor evaserit. Anteactas tamen victorias vicit extrema de seipso in templo Beatæ Virginis à Carmelo Olysipone fatalem illum in Castellanos gladium suspendens, seque spontaneo secessu divitijs & pompa abdicans, ne cœlo minùs gloriosè in senectute, quàm patriæ anteà militaret.

Batalie amplitudo & varijs operis.

Nonij Alvari Pereriij Brigantinorum authoris commendatio

Plurimi Castellani à septemdecim Lusitanis superati.

Sub hæc tempora duo quædam nobilia facinora Lusitani præstiterunt, quæ nefas existimo injuriosa oblivione sepeliri. Primùm sic habet: Cùm Ioannes Villam luporum (Castrum est vulgò Villalobos) obsidione premeret, equitum cuneum ad negotium peragendum dimisit. Ex ijs Martinus Vazquius Acunia, cum duobus fratribus, & alijs quatuordecim segniùs socios insecuti propè fluvium nebula prospectum eripiente fortuito in hostium castra inciderunt, in quibus erant hospites hastati quatercentum, & plures pedites. Omnes

nes turmatim in Vaſquium & comites involarunt. Vazquius collem occupans à tanta multitudine dejici non potuit. Monebant aliqui, ſanum fore, ut è ſocijs aliquis ad noſtrorum caſtra, quæ leuca aberant, ſe abriperet auxilia allaturus, ſed nemo abire voluit, ne præſens diſcrimen ſubterfugere putaretur. Roganti tamen Iacobo Pireſio Avellario, utrum eſſet fortius, conſtanter collem tueri, an per infeſtas hoſtium acies & haſtas equo immiſſo ad noſtrorum ſtationes contendere, ab omnibus eſt redditum, hoc poſteriùs fore illuſtrius. Tum illa, ſubditis calcaribus equum incitavit, & haſta limitem faciens inter dolentes & frementes adverſarios multa excipiens, plura reddens vulnera, ad ſuos evaſit. Hic dolor hoſtibus recrudeſcens eos inſtigavit, ut in exiguam ſexdecim bellatorum manum furorem exonerantes jaculorum pluvia increbreſcerent, quæ noſtris ideò gratior erat, quòd eadem pila in ſubjectos retorquere poſſent, ijſque Hiſpanos quadraginta, & equos plures confecerunt, extincto uno tantùm Luſitano, qui ad colligenda in ſuum & ſociorum commodum jacula incommodè ab ordine receſſit. Superveniens tandem in auxilium Didacus Pireſius in avertendis & fundendis hoſtibus in non mediocrem laudis partem fuit admiſſus.

Avellarij illuſtris audacia.

Secundùm ita proditur; In Britanni Regis domo Virgines duodecim convicijs, eam gloriam, quæ fœminis charior eſſe ſolet, denigrantibus ictæ fuerunt à petulantibus aulicis, qui virium ſuarum confidentiâ ferocientes addebant, neminem fore Equitem, qui ipſorum dictis armorum vi ire obviam auderet. Cumque ſuarum nemo læſam Virginum dignitatem armis aſſerere auderet, ipſæ dolore & miſeria contabeſcebant. Ioannes Dux Leceſtrius jam reverſus è Luſitania, puellarum commiſeratione ductus, eis ſuaſit, ut quæquè ſuam cauſam illius Equitis Luſitani fidei committeret, quem ipſe nominatim deſignaret; ipſarum munus fore, ut ſingulæ ad ſingulos ſupplices litteras exararent;

Duodecim Luſitanorum clariſſimum facinus in Britannia.

ſuam

ſuam à genero Ioanne Equites in Britanniam dimittendi facultatem impetrare. Paruere Virgines ; obtinuit Leceſtrius; equites à puellis comperendinati , Ioanne annuente in Britanniam contendunt ; undecim navi conſcenſa in urbe Portuenſi, unus terrâ iter invadit, ea lege & fœdere , ut omnes ſtata condicta die , quæ Pentecoſtes erat, Londini convenirent. Dictum ; factum ; ipſa die coram Leceſtrio & Virginibus aſtiterunt. Area colluſtrata, erectis tabulatis,omnibuſque ritè apparatis , quę humana gloria in his rebus variè excogitavit, & ut neceſſaria ſancivit, ſuum quiſque competitorem primùm provocans, deindè cum eodem fuit compoſitus. Atque ita in certamen paria ſingula deſcenderunt omnibus rei novitate ad ſpectaculum invitatis. Prima clavarum ferrearum proluſio fuit ; ſecunda gladiorum, quibus à ſolis exortu protracta contentio ad horam tertiam paululùm conquievit. In ſecundo certamine tantùm hoſpites in Britannos invaluêre, ut octo fœdè ictos , cæteros egregiè pulſatos tabulatis exegerint,ſtupentibus qui aderant,& admirantibus virium firmitatem , & ictuum magnitudinem. A Rege & Duce Leceſtrio munerati,à Virginibus ovantibus gratè excepti , & ab omnibus laudati in Luſitaniam novem redière ; reliqui Angliam & Gallias nominis ſui celebritate impleverunt ; ex quibus unus tantam à Gallorum Rege gratiam inivit,ut ab eo Comes Abranchenſis dictus fuerit.

Luſitanus in Gallia Comes fit.

Septa in Africa capiendæ occaſio.

Sed jam ad Ioannem revertamur , quem cùm tæderet cognato,& Chriſtiano finitimorum ſanguine gladium largè potum gerere , Pœnum ſuperinducere deſtinavit , ne crederetur vergens in ſenium in extremo actu ab antiqua fortitudine deficiſſe , & ut liberos ad audenda fortia , rigidámque diſciplinam proprio exemplo incitaret. Africanæ expeditionis hæc cauſa traditur. Liberos ſuos Equeſtribus inſignibus ornare Rex ardebat Olyſipone Regio apparatu , ſed tanto patre digni generoſi adoleſcentes monitu aulici cujuſdam ſenioris rerum experientis dixêre , dedecorum ſibi videri , domi & in

ſegni

segni otio bellica insignia, & merita ementiri; honestiùs futurum, si in Africam trajicerent ad Septam expugnandam. Est Septa in ipsis freti Gaditani faucibus, munitissimum & frequentissimum ea tempestate Maurorum, nunc firmissimum nostrorum propugnaculum, præ cæteris urbibus maritimis abundans, è quo in Hispaniam Mahometanis facillimus trajectus. Adolescentium dictis convulsum est paternum pectus, remque diu secum agitatam in secretissimum consilium retulit, in quo decreta expeditio tanta arcani fide, ut nihil omninò Pœni præsenserint, quanvis plurimæ undequaque contractæ sint naves & milites, ex Germania & Gallia conducti, Ioanne simulante totam belli illius molem in Batavos vergere, quorum Duci ad negotium penitus obvelandum, confictâ provocatione certamen per legatos indixit, prætendens Lusitanos à Batavis injuriâ in mari lacessitos. Solvens Olysipone classis pridiè, quàm Assumpta in cælum Virgo colitur Augusto mense anni millesimi, quatercentesimi, decimi quinti vela fecit, & intra sex dies Africam tenuit, Septam vidit, & vicit, trucidatis ultrà duo Maurorum millia, plurimis in servitium acceptis, & reliquis in fugam abactis, qui ijs alis, quas timor addebat, famam Lusitani roboris in interiora Africæ intulerunt. Octo tantùm è nostris ceciderunt. Principes Eduardus, Petrus, & ante alios Henricus se Ioannis sobolem ea die pulchris facinoribus comprobarunt.

Secretum de Septa expugnanda consilium.

Septa à nostris capta.

Prima die Dominica insequenti lustrato, & Christianis ritibus expiato maximo Septæ fano Mahometicis anteà superstitionibus infami, divina mysteria celebrata; concione in actionem gratiarum persoluta tres Principes ijs experimentis spectati, & armis, quæ sunt in tali inauguratione solemnia, instructi, Deo & circumfusæ multitudini gratum spectaculũ offerentes à Patre sunt militiæ auctorati traditis ijs gladijs, quos Philippa mater paulò ante mortem benedictione & faustis precationibus felicitaverat. Gemmatis singulorum incisuris inditum erat è sacro stipite frustulum, quod pia fœmina po-

Principes militiæ auctoramento condecorantur.

 poscit,

poſcit, ut ad mortem uſque conſervarent ſui monumentum, & pignus amoris, utque admonerentur non latiùs gladio Luſitanæ ditionis fines, quàm crucis & fidei Chriſtianæ propagandos. Alijs provinciam ob pericula recuſantibus urbis præfecturam petijt Petrus Meneſius Comes Viennenſis, author clariſsimæ familiæ Marchionum Villaregalium, vulgò *De Villa Real*, qui ad hoc uſque tempus aciem fortiter & induſtriè à multis Barbarorum inſidijs & apertis irruptionibus ſunt tutati. Inde Rex in noſtra Algarbia remeans Tavilæ, Petrum Principem Conimbricę: Henricum Viſei Duces nominavit, & in reliquos Equites mirificè priùs collaudatos, diverſa beneficia, ut cujuſque erat dignitas & merita, ſummâ omnium gratulatione diviſit.

Septæ præfecti Marchiones Villaregales.

Ioannis in auguſtiſſimam Euchariſtiam affectus.

Quanta in Deum propenſione fuerit, hinc cognoſcito. Africanam expeditionem aggredi noluit, niſi prælata ſacroſancta Euchariſtia, ut verò religiosè cuſtodiretur in editiori Regiæ triremis parte Regificum ſacrarium exornavit, ubi ſacerdotes omnes, qui Regi & Principibus erant à ſacello hymnis & canticis ſe provocantes perennes diu, noctuque excubias agitabant. Dum in terram exiliêre Claſsiarij, & oppugnationem iniêre, tota ſacrorum hominum militia Deum continuis precibus expugnavit, præeunte Regij ſacelli præſide, qui bellatores foras protracto, & manibus prætento Chriſti corpore ad ſanguinem adverſus ipſius hoſtes fortiter fundendum verbis accendit; ad cujus orationis finem, duce Principe Henrico, cæteri proceres ac milites ſacræ pyxidis imum fulcrum exoſculati, ad arcem tanquã leones ignem expirantes provolarũt. Hinc diſcite orbis Reges atque Principes, idcircò vobis aliquando non ex votis bella cedere, quia Deo duce, Deo comite, non exordimini. Quid verò Ioannis manus, Chriſto auſpice timeret? quid non auderet?

Im B. Virginem propenſio.

In ſanctiſſimam ipſius Matrem ex æquo proclinabat, cujus preces horarias ſingulis diebus percurrens, id penſum alijs identidem ſuadebat. Tria molitus eſt templa in illius gloriam;

illud

illud Bataliæ, de quo suprà, cui à victoria; aliud Olysipone, cui ab Scala; tertium Guimaranij, cui est cognomentum ab Oliva; quòd ea arbor adytorum parietibus, & fornici innascens ab accolis piè suspicitur. Hoc templum, in quod mirificè afficiebatur, bis pedes Rex adijt ab Olysipone. Vbi primùm Castellanos ad Algibarrotam profligavit, illùc se contulit, tantúmque argenti reposuit, quantum cataphractum ipsius corpus ponderosum erat. Ibidem hodie dicata visitur hasta, qua in prælio metuendus fuerat, simul cum chlamyde militari. Multa quoquè obtulit toreumata ultra centies octuagies sestertium æstimata. Nobile illud est templum & reditibus, & ministris ad sacra succenturiatis; Antistitis portio ducenties sestertium magna est; reliquorum reditus, qui sunt duo & triginta, in singulos ad dena octona sestertia assurgit. A summis Pontificibus & Regibus plures immunitates huic templo concessæ. Liber mercatus totos quindecim dies propè illud exercetur per ferias Assumptæ in cælum Virginis, quod festum præ cæteris insigni pietate observabat, in cujus pervigilio singularium fuerat beneficiorum compos factus. Hac enim die Ioannem Castellanum fudit; hac in Africam solvit ad Septam expugnandam; hac in cœlum, ut par est credere, demigravit Olysipone anno salutis humanæ millesimo, quatercentesimo, quadragesimo octavo post septuaginta sex ætatis suę annos, menses quatuor, & dies octo; è quibus regnavit annos quadraginta octo ab strage Castellana apud Algibarrotam.

Templi ad Araducam religio, & reditus.

Assumptæ Virginis festum peculiari religione observabat.

Fatali invaletudine oppressus intellexit sibi celeriter à vita abscedendum, & à Principibus deportatus in templum maximum coram Diui Vincentij urbis tutelari Regia Majestate visendus astitit, ut invicto Christo martyri, cujus reliquiæ indubitatè ad aram maximam conduntur, cuique impensè addictus erat, extremum vale mortali in corpore acclamaret. Inter mysteria ad musicum concentum modulata architectum, qui adytis Regio sumptu restaurandis & venustandis præsi-

Extrema Ioannis æquitudo & summa pietas.

præſidebat, exciens rogavit, quanta pecuniæ ſumma opus ad coronidem evehi poſſet, & quidquid ille popoſcit, Rex ubi in ſacro locus eſt dona offerendi, munificè impertivit. Inde ad Beatæ Virginis ab Scala digreſſus, eidemque ſuam mandans animam, ſe in arcem recepit. Dedecebat enim tantùm bellatorem vel morientem à militum ſtatione ſejungi. Dolorem in ejus obitu ſol ipſe teſtatus eſt inſigni defectione; teſtati pauperes & viduæ, quarum unicum erat profugium; teſtatum Regnum, quod in libertatem vindicavit, & optimis legibus digeſsit; nam præter alias, Codicem Iuſtiniani in Luſitanam linguam vertendum curavit. A Edificiorum magnificentia parem non habuit, ut præter prædicta templa Regiæ domus oſtendunt Cintræ, Scalabi, Almeirini, Olyſipone; quam Bonifacij IX. authoritate Metropolitanę Sedis titulo amplificavit.

Ioannis obitus.

Vxor & filij Philippa Ioannis uxor fœcundis aulam partubus exhilaravit. Primò enim emiſit Blancam, quæ poſt octo vitæ menſes expirans in auguſtiori templo Olyſiponenſi ad proavi Alphonſi Regis pedes ſita eſt. Secundò Alphonſum, exacto decennio Braccaræ tumulatum. Tertiò Eduardum, Viſei natum anno milleſimo, quatercenteſimo primo, Regni poſteà hæredem. Quartò Petrum Ducem Conimbricenſem, & Montis majoris Vetuſtioris Dominum, quem æmuli in prælio ad Alfarruberiam in certiſsimam cędem impulerunt. Quintò Henricum Ducem Viſenſem, & Dominum Covillanij, Chriſti militiæ Magiſtrum, qui ſe Chriſtianis militaribus & liberalibus diſciplinis perfectè excoluit. Princeps ſanè nulli priorum poſterior, nulli poſteriorum inferior, ſive fidei ardorem, ſive animi magnitudinem conſideres; quem fama eſt, illibatum Virginitatis florem anno illius ſeculi ſexageſimo ſepulchro & cælo invexiſſe. unde mirum non eſt adeò mathematico & perſpicaci ingenio fuiſſe, ut primus Indicæ navigationis multis navibus exploratorijs ſubinde in annos dimiſsis, animum adjecerit. Sexto Elizabetham Philippi III. Ducis Flandriæ uxorem, in quarum

Henricus Princeps caſtiſsimus, & Indiæ navigationis author.

quarum nuptiarum memoriam ipsa die maritus equestrē aurei Velleris Ordinem sub D. Andreæ patrocinio erexit. Septimo Ioannem sancti Iacobi militię Magistrum, Comitem stabilem Lusitaniæ, Principem insigniter prudentem, mirificè affabilem, impensè boni communis amatorem. Salaciæ animam efflavit, anno, & seculi, & ætatis quadragesimo secundo. Octavo Scalabi Ferdinandum Magistrum Avisiensem, Atouguiæ & Salvaterræ dynastam, mira quadam vitę integritate & inflexibili constantia perillustrem. Quem frater Eduardus obsidem Mauris tradidit, dum Septam non dederet. Sed infractus Ferdinandi animus è re Christiana judicavit, minùs esse damni, si ipse æterna servitute & ærumnis premeretur, quàm Septam hostibus reddi, quos inter, tot exantlavit calamitates, religioso semper & erecto pectore, ut vivus ac mortuus Barbaris stupori fuerit & veneration. Ossa posteà in Lusitaniam traducta prope paterna insigni mausoleo à multis propter insignem viri sanctitatem & beneficia, quæ ipsius ope à Deo exorant, invisuntur. Ante nuptias Ioannes ex Agnete nobili puella, quæ posteà Parthenonis Olysiponensis, cui nomen est à Sanctis, fuit Antistita (vulgus dicit Commendadeira) genuit Alphonsum, cui data uxor Beatrix Nonij Alvari Pererij Equitum Magistri unica proles addito dotali Comitatu Barcellensi, & Ducatu Brigantino. Quod fuit illustrissimæ, ac penè Regiæ domus Brigantinæ seminarium, è qua summis Regibus ac Principibus Christianis connubia expetita. Obijt Alphonsus anno seculi illius sexagesimo secundo; jacet ad Aquas Flavias. Ex eadem matre genuit Ioannes Beatricem, nuptui datam Thomæ Comiti Arondalensi, & Sorensi, è propinqua Regis Britannici cognatione.

Ferdinandi Principis captivitas & sanctitas

Primus Dux Brigantię filius Regis uxorem habuit Nonij familiam.

17 Statura fuit mediocri, corpore arido, valido, ac sano, ore producto, fronte contractiori, nigro capillo, nigris oculis, ac vivacissimis; animo rerum ingentium capaci, quem nec hostium multitudo, nec periculorum formido unquam perculit.

Ioannis statura & sepulchrum.

haud facilè reperies alium qualibet æquè alea fortunatum. Sepultus primò Olysipone ante aram D. Vincentij, unde ovali curru Bataliam à Principibus & proceribus translatus, plurium cingitur liberorum Mausoleis.

AD

AD IOANNEM HVIVS NOMINIS PRIMVM PARENTEM PATRIAE APPELLATVM.

Parcite finitimi ſævum irritare leonem,
Quem gravis in ſævas ſuſcitat ira neces.
Tangere pupillas illius creäite, quando
Tangitis Imperij vi, face, Marte, ſolum.
Inſe, qui facilis ſcelerum commiſſa remittit;
Illata imperio diſſimulare nequit.
Plus dolet ille ſuis per damna hoſtilia lædi,
Quàm Majeſtatis Regia jura ſuæ.
Ladite me, parcam; populos ne læſe lite; neſcit
Civibus offenſis mens, neque dextra modum.
Plus eſt, quàm genitor Rex hic ô Lyſia felix;
Plus eſt, quàm Princeps, plus patre dulcis amas.

Ad eundem ob eandem cauſam.

O qui perpetuæ vincis pia nomina famæ,
Cognita pro patriæ prodiga laude ſuæ.
Morte ſuâ incolumes ſervavit Codrus Athenas;
Sæpè per innumeras iſque, rediſque neces.
Matronale aurum donant in prælia matres
Auſoniæ; vitæ prodigus ipſe tuæ es.
Quod Decij fecêre ſemel, facis ipſe frequenter;
Tu ſine funeribus funera lætus adis.
Hoſte Neocledes pulſo defendit Achivos;
Auxilio eſt quoties patria tecta tuo?
Fortiter incurrit crudos Thraſybulus in hoſtes;
O patriæ quoties hoſtibus hoſtis eras?
Sint Lacedæmonij patriæ pro mœnibus urbi:
Arx firma, & patriæ murus es ipſe tuæ.
Qui patriæ peperere decus, vel dura tulerunt,
Vnus pro cunctis Rex mihi ſolus eris.
Deperiſſe ſemel non eſt tam nobile, quantum
Pro patria nunquam vivere, ſæpè mori.

Ad eundem, De victoria ad Algibarrotam.

Pugnax arma movet Ioannes; arma capeſſit
Lyſia; fulmineo ſub duce miles ovat.

Et Mars, & Martis Mavortia pignora vincunt,
Mersaque funeribus mors stupet atra suis:
Sufficit aggestis latus vix campus acervis,
Et natat effuso sanguine pingue solum.
Hostis ait spectans, non hoc fecisset Achilles;
Et minus Hectoreæ robora dura manus.
Si super hos etiam cecidissent fulmina campos,
Non tam densa forent funera, totque neces.
Non poterunt vinci nec Rex, nec Lysia, quando
Illa animis certat Principis, ille suis.

Ad eundem, De Africæ expeditione cogitantem.

Desidia est intra patriæ tibi vincere fines;
Astra vocant, Princeps, Carbasa pande notis.
Quantus ab Hesperia Mauris tremor imminet! Altæ
Celsæ cadent Septæ mœnia Marte tuo.
Non satis est Europa tuis, Rex magne triumphis;
Tende aliò, palmas terra Libyssa dabit.
Dant fera Lysiade torvo spectacula Marti,
Maurorum in multo sanguine penè natant.
Trunca natant vasto numerosa cadavera ponto;
Decolor Oceanus cæde fluente rubet.
Pascite truncatos, portenta immania, Mauros
Pascite, plus vobis qui feritatis habent.
Quid tibi cæsa velint tot corpora quæris in undis,
Neptune, & Tethidis cur notet alta cruor?
Dat Rex inferias proavorum insignibus umbris;
Hesperijs Libycâ cede parentat avis.
Est ara Oceanus, nec enim minor ulla decebat,
Purpureus, rubrâ pro nece, pontus erit.

Ad eundem propter eandem causam.

Classibus armatis Libyam pete, nota per orbem
Quam tibi promittunt Numina, Septa tua est.
Tollitur in cælum moles operosa, minæque
Murorum ingentes; sydera tangit apex.
Undique convectis urbs aurea mercibus, auri
Grande onus, argentum, plurima gemma subest.

Viribus

Viribus Herculeis vinces ſæva agmina, palmas
Inde feres; gala divite dives eris.
Conſulis Heſperiæ: fidei das mœnia, ſummo
Templa Deo, proavis gaudia, Regna tuis.
Multi urbem cupiunt. Nequeunt quam vincere, vincis;
Vosmm multorum quod fuit, vnus habes.

X EDVAR-



EDVARDVS PORTVGALLIÆ REX XI.
VIXIT AN. XXXVII. OBIIT A°. MCCCCXXXVIII.

EDVARDVS I.
LVSITANIAE
REX XI.
ANACEPHALEOSIS XIII.

EDuardum Regno & patri Ioanni opportunum ſucceſſorem Deus providit, naturæ & artis dotibus ita nobilem, ut brevi ſublatum juſto dolore quereremur; Regno enim per quinquennium adminiſtrato, triſti fortuna à mortalibus abijt nondum expleto ſeptimo & trigeſimo ætatis anno. Hic ille eſt, qui Viſenſes inter cives natus exacto penè Octobri, altero & quadringenteſimo ſupra milleſimum ſalutis anno, paternum tandem Imperium accepit, tanta auri argentíque vi, militari diſciplina, militumq; virtute ita inſtructum, ut qui ſub patre Ioanne meruerant bellis, periculiſque probati, Rege & Duce Eduardo, meliora ſibi pollicerentur, niſi Deo rem aliter deſtinante, fruſtrà cederet rerum exitus.

Viſei natus Eduardus.

Poſtquàm igitur celeberrimum Aſſumptæ in cælum Virginis diem ſibi delegit Eduardus, ut Regem ſe priſco Regum ritu inauguratum publicæ populorum voces renuntiarent contra Mathematicorum placita, qui triſtes Eduardi annos ſyderum obſervatione affirmabant, niſi inſtituta auſpicijs ſolemnia proximum in diem prorogarentur. Eâ demùm die Eduardus rem animosè confecit, ut ſuas ſpes & opes in fœlici Beatæ Virginis præſidio, non in fallaci ſyderum interpretatione ſitas eſſe ſignificaret. Maximè, ne Mathematicorum principem Hebræi generis hominem curare potiùs, quàm Virgi-

Mathematicorum obſervatione: in ſua inauguratione contemnit.

nis patrocinia videretur. Peracta res est fausta, & communi omnium proclamatione, tantusque Princeps spem nobilis fortunæ regno excitabat,& alebat.

Africana expeditio infeliciter cedit Eduardo.

Verùm quia Lusitanorum sceleribus justa à Deo supplicia imminebant,permissum,ut Regem,in quo summa omnia augurabantur,antequam prorsùs amitterent,anxiè afflictum dolerent tam pertinaci temporum conspiratione,ut grassante pestilentia continuò lustro Regni sedem vertere non semel sit coactus. Ad hæc suscepta etiam in Africam bella Henrici & Ferdinandi fratrũ suasionibus frustrà fuêre. Nam præterquàm quod Regni proceres alienum à Tingitana expeditione animum habuêre,impar tanto bello fuit militum numerus,& desiderata prudentum consilia hostibus fecêre locum; ut Lusitanorum exercitus,qui acritèr Tingim obsidebat ab innumera Maurorum multitudine dolo obsessus cum hoste Pæno tandem paciscereturt, ut Lusitanis abeundi potestas, Pænis Septa urbs non multo antè bello expugnata redderetur;de obside verò dum agebatur, hostis successu ferox nullo placabatur alio, quàm Regis fratre. Quod infortunium illius par animo egregiè, imò Regiè tulit Ferdinandus, nam cum posteà è re Christiana apud Eduardum Regem non esse videretur, urbem Septam totius Europæ,atque adeo Ecclesię munimen optimum hosti reddere", Ferdinandus diuturnis propterea afflictus ærumnis,tantam,ob exhausta fortiter patientiæ irritamenta, est adeptus virtutis excellentiam,ut fusis tandem diu non jam prę Lusitanæ, sed cælestis aulæ desiderio lachrymis inter excellentis vitæ mortisque miracula non vulgaria, abjerit è mortalibus,ab exilio in patriam,à captivitatis ergastulo ad Regni gloriam sempiternam.

Ferdinandus Eduardi frater obses datus inter Mauros obit.

Ad Concilium Constantiense Legati ab Eduardo missi.

Cæterùm quo tempore Rex Eduardus habenas Lusitani imperij susceperat,Christianam Remp. regebat Martinus nominis V.is Constantiæ Oecumenico dimisso Concilio statuit,ut exacto lustro in publicas Ecclesię causas iterum cogeretur Basileæ;interim Martinus emoritur;mox urbis &orbis onus,curáque

ráſque excipit Eugenius nomine hoc 4. qui animum ad indicti Concilij cauſam promovendã gnaviter adjecit, & Põtificia auctoritate Principes Chriſtianos accerſivit, quos inter Eduardus nulli ſecundus, & ſuopte ingenio pius, Cõcilio profecto intereſſet, & magnum illius ſua præſentia & auctoritate foret ornamentum, niſi cauſæ arduæ eundi cupidiſsimum avocaſſent.

Legatorum in Conſilio authoritas & induſtria

Anno igitur ſalutis humanæ quadringenteſimo, trigeſimo quinto, ſuprà milleſimum, mittit legatos regia authoritate clariſsimos, Comitem Ourenſem, & Antonium Epiſcopum Portuenſem, præſulem multis nominibus clarum, filium fratris Comitis Bracellenſis; ſapientię laude alios, alios bellica virtute præſtantes, omnes comitatu magnifico, ac penè Regio; utq; legationem inſtitueret ſumptuoſam pariter ac glorioſam cauſæ impulere graviſsimæ. Nam pręter communes ad ſolidam Græcæ atque Latinæ, de quibus tunc agebatur, Eccleſiæ redintegrationem & amplificationem Reip. Chriſtianæ ſpectantes: plenam Eduardus interponebat auctoritatem, cunctas offerebat opes, & Regnum eo pręſertim tempore florentiſsimum, ut Anglię Gallięq; Reges, quorum ſtrages mutuas, & bella cruenta jam diu demirabatur univerſa, & lamentabatur Eccleſia, in fœderis & amicitiæ legem aliquam convenirent. Suſpexêre Patres tanti Conſilij lumina & columina illius ævi, miriſq; in cęlum laudibus extulêre magnam Eduardi auctoritatem, ſingularem legatorum prudentiam, & quod fuit optatius, rerum exitum feliciſsimum. Mox æquis judicijs trutinati ſunt magnum põdus, rationumque momenta, quibus Rex apprimè prudens luculenter exponebat, fore magnum Luſitaniæ incommodum, ni Equeſtres Chriſti, Divorum Iacobi, & Ioannis Ordines cælibatum deinceps cum nuptijs commutarent. Annuit Pontifex, imò addidit majora, Regiq; de Eccleſia cum honorificentiſsima legatione, tum alijs multis officijs egregiè merito præter alia amoris & grati animi monumenta conceſsit, ut Reges deindè Luſitani veteri Anglorum & Gallorum ritu ſolenniter inungerentur.

Plurimi à Concilij Patribus impetrant Legati.

Vxor & liberi Eduardi.

Duxit Eduardus uxorem Eleonoram Siciliæ & Aragoniæ Regis filiam; excellentibus animi & naturæ dotibus Regi parem. Ex ea primò ſuſcepit Alphonſum Regni ſucceſſorem, is præ fratribus Princeps cœpit appellari, cùm hactenus in Luſitania omnes æquè Regum filij dicerentur Iſlantes; poſt hunc prognatus Ferdinandus, Viſenſis poſteà Dux, & Ordinum, quartuſque Luſitaniæ Equitum Magiſter; edita deindè in lucem Philippa, quam duodecim annos natam in Chriſto nubilem mortalium deſiderijs, cælitum gaudijs cælum excepit.

Eleonora Eduardi filia nubit Frederico Imperatori.

Hanc ſequuta Eleonora magnę ſpes altera Romæ, Romam namque omine fauſto, faſtuque ſuperbo vecta celeberrimas inijt nuptias cum Federico III. Romanorum Imperatore, cæleſtium cærimoniarum Duce, & magni Imperij auſpice Nicolao Pontifice maximo, qui inaudita celebritate, & ſummo magnarum rerum apparatu digniſsimam cuique donavit coronam, Imperij inſignia; hujus matrimonij fructus exſtitit primus, primus nomine Maximilianus Imperator.

Aliæ Eduardi filiæ.

Nata poſt Eleonoram Catharina Carolo Navarræ Principi priùs, Eduardo poſteà Anglorum Regi promiſſa conjux, ſed quam orbis Reges ad nuptias ambiebant, hanc Deus optimus max. ſponſam ad triumphalem cæleſtium civium celebritatem invitabat; cujus amore perculſa mortales curas exſolvit menſe Iunio anno milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo tertio Olyſipone, in cœnobio Religioſiſsimarum Monialium ſanctitate & Divi Claræ nomine perilluſtri. Illius partum ſubſequuta eſt Ioanna, quę Hiſpaniæ Regi Henrico IV. collocata filiam habuit ſuo nomine, ſed non omine celebrem. Nam, cùm ſollenni ſacramento Caſtellæ Regina dicta eſſet, poſteaque deſponderetur patruo Alphonſo Luſitaniæ Regi; patrio Regno, ſoloque, aut inſanientis more ſuo, aut ludentis fortunæ prodigio expulſa eſt in Luſitaniam, ubi diu vixit ſanctitatis exemplo memorabili; idemque turbo, qui anteà ex Hiſpania raptam impulerat in Luſitaniam, magna poſteà in-

ter

ter Castellæ Ferdinandum, Alphonsumq; Lusitaniæ Regem, de jure Regni bellorum excitavit incendia.

Fuit tandem Eduardo Regi, ut diligentes Authores existimant, ex aulica fœmina Ioanna Emmanuele, Aragonensis Eleonoræ propinqua, furtivo congressu susceptus filius Ioannes Emmanuel; hunc Rex optimis magnarum virtutum præsidijs formandum commendarat Heroi illius ęvi maximo Nonio Alvares Pererio Brigantinæ domus auctori: is enim cùm ad ętatis usque flexum maximarum victoriarum Europæ, atque Africæ spolijs abundantiùs efflorescceret, extremam bellicosæ vitæ partem placidissimam tandem, ac planè perbeatam ducebat in Carmelitano monasterio Olysipone à semet extructo; ubi vera Religiosissimarum virtutum gloria adumbratam belli laudem longissimè antecelluit. Illius exemplo, consilioque Princeps religiosę vitę pulchritudinem in eodem cœnobio peramantèr est amplexatus; unde non minùs ob singularem vitæ sanctimoniam, quam ob Regij sanguinis splendorem ad Septæ primò, posteà ad Igontaniæ Episcopatum est evectus; donec Rex Alphõsus ejus nominis V. matura illius consilia, senilémque prudentiam demiratus, ut Regiæ semper adesset, sibique foret à consilijs suo ipsum præfecit sacello, nobilissimis eo tempore sacerdotibus, electissimisque cantoribus ultra quam dici posset, exornato. Scio aliquos futilibus nixos argumentis hanc prolem Eduardo, & cætera consequenter denegare; nec me latet quo pacto jubente Regia Majestate, supremoque Lusitaniæ consilio, rationes in utramque partem severo judicio, ac fideli libra examinatæ fuerint; & ijs, quæ objiciebantur, abundè satisfieri ab illis, quorum subscribo sententię, consilium decrevit. Sed hæc pluribus prosequi historiographorum est muneris, non nostri, qui summa rerum capita breviter delibamus.

Notha Eduardi proles.

Ioannis Emmanuelis ætas & prudentia.

De prole hactenus, jam nunc de Regis Eduardi studijs. Fuit sublimi Rex ingenio, & quòd sponte sua in altissimas sapientiæ cogitationes rapiebatur; earúmque artium, quæ studiosum suaptè

Regis studium in philosophiam.

ſuapte indole Principem decent, non limina modò ſalutavit, verùm adijta adijt penitiora; cùmque in eam, quæ de moribus agit, Philoſophiam incumberet, omniáque Ethicorum, quæ quidem in manus venire potuerunt, volumina evolveret, profecit adeò, ut luculentas aliquot lucubrationes applaudentibus, nec palpantibus viris quibuſque doctiſsimis evulgaverit; alteram, quæ ad fidem conſiliarij; alteram, quæ ad optimum juſtitiæ regimen ſpectaret; hodiéque deprehenſa, fugitiva licet, utriuſque veſtigia ſuſpicimus, & admiramur.

Equitandi peritia

Iam verò equitandi dexteritate quolibet ephippiorum genere etiam peritiſsimos excelluit. Illud in hac re excellentius, & miraculo propius judicaverim; Troiam ludentem, aliudvè pugnæ ſimulacrum obeuntem, in equos præferoces frẽno, & cingulis de induſtria liberos inſilire, admotis calcaribus incitare, concitatos medio in curſu cohibere, cohibitoſque ſubitaria converſione in recurſum, in gyrum, in anfractum, in orbem revocare; inexplicabiles ſpatiorum texere labyrinthos; ad hæc, arundinea jacula per humum ſparſa obequitando colligere, quin aut ictũ perderet, aut oppoſita cetra non illuderet. Quapropter efflagitantibus viris primarijs, de re equeſtri librum edidit minimè pedeſtrem. Quantas verò aluerit vires, argumento eſt, ferreo certaſſe diſco, & ulteriorem præ omnibus jeciſſe jactum; paleſtramq; inter prima nobilitatis robora nunquam ſine palma exercuiſſe. Prẽludebat videlicet ad illuſtria illa facinora, quæ ad Septam perpetravit Luſitanis eam urbem expugnantibus ipſe adfuit, corpore juxtà ac animo præſens, manu promptus, gladioque & haſta formidabilis, Imperatorias æquè ac militares egit partes, quàquà inſtaret, fulmen crederes irruiſſe, tantam Maurorum ubique ſtragem coacervabat.

Eduardi fœcundia.

Præter hæc miram in Eduardo facundiam mirabantur omnes, quippe qui ſuorum animos domi, militiæque breui mora, egregius perſuaſor huc illuc impelleret, & alienas ſæpe dynaſtarum voluntates ſuaui quodam orationis lenocinio cõciliaret

cilliaret. Literatorum ſeſe Mecænatem re & verbis profitebatur. Viros arte aliqua præcellentes familiariſsimis libens adnumerabat, libentius audiebat, illis monitoribus libentiſsimus utebatur. Itaque tanto Principi aliud nihil, quàm fortunæ favonium video defuiſſe.

Enimverò illas aureas dotes, quibus Eduardum Deus pleⁿ nè beaverat, ſtudioſa in cultum divini Numinis propenſio, veluti gemma clariſsima decorabat; cæremonias quaſlibet ac rituales ſacrorum conſuetudines ſuo in ſacello ad amuſsim obſervari præcipiebat; ibiſque nullum huic obſervationi ſacerdotem non apprimè deditum patiebatur; quin etiam, ut erat pius ac religioſus, ſi quando ſalutare Crucis ſignum humo inſcriptum animadverteret, illicò delendum curabat, aiebatque indignum omnino eſſe id vel per imprudentiam pedibus calcandum objici, quo Regum & Imperatorum capita vix digna crederentur; ligni ſacroſancti aſſulã (à moriente olim Regina matre Philippa unicũ ſibi amoris monumentũ & pignus traditũ) ut ſemel collo appoſuit, niſi è tumulo revulſus, in quẽ eam per ſummam pollinctorũ negligentiã intulerat, depoſuit nunquã. *Eius pietas erga Deum.*

Nabantij celeberrimo in oppido, cùm allatas aliundè liteⁱ⁴ ras reſignaret, adflatum hauſit peſtilentem adeò, ut neq; diurnæ, nocturnæque medicorum curæ, neque ſuorum lachrymæ, vota ac preces immaturã potuerint à tam charo capite mortẽ avertere. Raptus itaque eſt anno ætatis ſeptimo ſupra trigeſimum, Regni quinto, ſalutis humanę milleſimo, quatercenteſimo, trigeſimo octavo; ſole, id temporis, defectu inſolito laborante. Elatus in templum illud ſuperbiſsimum, quod Ioannes ipſius pater ad agrum Leirienſem condiderat, & cui à memorabili adverſus Caſtellanos prælio nomen fecerat. *Obitus immaturus Eduardi.*

Regina deinceps Eleonora impubere adhuc hærede Alⁱ⁵ phonſo, Regni gubernaculum temperavit. Quam uxori provinciam Eduardus legaſſe creditur, vel affirmandi amoris ergò, vel ne aliquam inter germanos ſeditionem concitaret, ut patris, Caſtellanique Regis nuperrimo exemplo admonebatur *Regni adminiſtrationẽ Regni teſtamẽto reliquit.*

tur. Verùm Eduardi prudentiam cùm in alijs multum ſuſpiciam, hac una in re minùs arbitror ſuſpiciendam: etenim qua parte ſeditionibus occurſurum ſe credidit, in illas ea maximè incurrit; populus namque refractarius, cùm quatuor fratres imperio digniſsimos haberet præ oculis, jugum illud muliebre ut excuteret, diſsidere cœpit & tumultuari.

Lineamenta Eduardi.

Glaucis, lętiſque oculis fuit, ore admodùm rubicundo, barbaque ſufflava, & in elegantiam deducta, inferiorique labro ad ſermonis venuſtatem diviſo modicè; & capillo ad ſuperioris ævi morem promiſſo: tam juſto & compoſito corporis habitu, ut à vertice ad talos artificiosè depictus videretur. 16

AD

AD EDVARDVM LVSITANIAE REGEM.

Divitias Eduarde tuis dum dividis, ampli
Vincit Alexandri munera larga manus.
Tydea fronte refers, sed pectore robur Achillis,
Hospitij miti commoditate Iovem.
Mobilibus frænis Ledæum Castora præfers,
Dum tibi magnanimi terga premuntur equi.
Semiferi Chironis opus, dum montibus altis
Insequeris catulo præcipiente feras:
Iustitiæ sacræ moderamine justus Atridas,
Et quidquid Iustum Persidis ora tulit.
Non est quem referas, sola est tua gloria, Princeps;
Quòd cum cive tuo sæpè dolente doles.
Caetera te faciunt Rex augustissime Regem,
In populum affectus te facit esse patrem.
Invida sors tantis auxit te dotibus, uno
Vt Regno inferret funere mille neces.

Ad eundem.

Rore pio cerno manantia Principis ora,
Qui plus imperij quàm sua damna dolet.
Materiam lachrymis præbent tibi sceptra, superbum
Culmen habet lachrymas, purpura, summus honor.
Ante oculos cernis projecta cadavera Regni.
Non specimen Regni quale parentis erat.
Quæque instaurari, relevas medicamine, possunt,
Humanis opibus non relevanda doles.

Ad eundem.

Majores antiquo Princeps Agamemnone, cedit
Pelides titulis Rex animose tuis.
Majores Assaraco, Rex, Hectore fortior armis,
Invictos quanvis straverit ille duces.
Posturit tibi Roma parem non Martia, quanvis
Scipiadas memoret, Fabricioque suos.

Non est tam fortis, qui Martem in bella lacessit,
Quam mala qui duro pectore ferre potest.
Hanc tibi materiam fortuna adversa reservat,
Crescat vt adversis basis tua nixa malis.
Perstat ovans inter virtus animosa ruinas;
Multum sors, virtus plus tua ferre potest.

Ad eundem

Quo superum Regina die super ardua cæli
Evecta accepit proxima sceptra Deo.
Regni, Odoarde, paras diademate cingere frontem,
Et prima imperij sumere sceptra manu.
Sydera cuncta vetant, Regnoque extrema minantur
Non dubijs monstris funera, fata tibi.
Ergo metus differre diem, properare monebat
Relligio; pugnant hinc timor, inde scelus.
Aut vita, aut pietas metuunt dispendia: utramque
Alterius perdunt commoda, damna juvant.
Sume animos, Odoarde, pios, tibi serviet astrum,
Astrorum Dominam si pius ipse colis.
Non metuit pietas errantia sydera, sydus
Dum sequitur Mariæ, prona quod astra colunt.
Mors incerta, scelus certum est, si creditur astris;
Si fidei, pulso est crimine certa salus.
Si Domini stet cultus honos, dant grata salutem
Sydera; læsa necem, si ruat, ipsa dabunt.
Augurium pietas, lethi syncera timorem
Relligio, Mariæ sydera vincit amor.
Cingebant duodena caput, nunc Virginis ornant,
Quotquot Relligio proterit astra pedes.

Ad eundem

Ardua bella cient Odoardi in pectore Regis,
Hinc vita, hinc veræ relligionis amor.
Vita trahit juvenem terret mors: anxia utrinque
Conditio; vitam mors dabit, ista necem.
Præmia pelliciunt, terrent incommoda: vitam
Flagitium, mortem fert pietatis amor.
Augurijs si nullus honor, necis ingruit horror.
Si qua fides, tanto in crimine læsa fides.
Ergo aut flagitio vita est retinenda scelesto,
Aut cum syncera mors obeunda fide.

Non intentatæ metuit discrimina mortis
Rex, timor est solam pungere posse fidem.
Tristius esse putat letho protendere vitam
Flagitio: vitam, pro pietate mori.
Regno igitur quanvis sit funere raptus acerbo,
Non moritur: vita est, ne maculêre, mori.



FERDINANDVS PORTVGALLIÆ PRINCEPS
VIXIT ANN. XLI. OBIIT A°. M. CCCC. XLIII.

FERDINANDVS PRINCEPS IOANNIS I. FILIVS.

ANACEPHALEOSIS XIV.

PHilippa Eduardi III. Britanniæ Regis neptis, Ioannis Leceſtriæ Ducis filia, & Ioannis I. Luſitanici uxor, quinto partu Ferdinandum Principem fudit, non minùs infelicem (ſi ad humanas rationes calculos ſupputemus) quàm ij fuêre, qui luna quinta nati memorantur, ſed in cœlo invicta laborum tolerantia, & inter homines non ſolùm pios, ſed & barbaros famæ claritate fortunatiſsimum. Matri ob affectam longis febribus valetudinem medicæ facultatis periti adeò iniquam fœturam portendebant, ut in ipſa vitæ jacturam ominarentur, & impulſores erant, ut partus horam pharmaco anteverteret, quòd ipſa oblatum, & conſtanter, & Chriſtianæ pietatis tenax reſpicit, dicens, pretioſum ſibi fore vitæ detrimentum, ſi eò ſpem emeret prolis ſuo in utero concluſæ aliquando luſtralibus Baptiſmi aquis expiandæ. Clementer verò Deus annuit, ut neque mater, neque fœtus in partu periclitaretur; quanvis hîc minimè vitalis emerſerit, cùm inter alia ægritudinum præſagia cutis toto corpore diſcederet, non ſecùs quàm ſolent libri ac cortices ex arboribus decerpi; adeò, ut ex manibus in chirothecæ formam exueretur. *Ferdinandi parentes, ortus & morbi.*

Innatus ſancto Principi fuit ab infantia Dei timor, quem nullo unquam piaculo fœdavit. Intaminatam coluit animæ & corporis caſtitatem, nec unquam paſſus eſt ad ſe fœminas ſi- *Ejus in Deum pietas & caſtimonia.*

ne

ne arbitris, idque ad pia tantum negotia admitti; nec linguam ludicro aut impudico verbo pollui, nec suam præsentiam turpis alicujus dicti aut facti dedecore suffundi; unde & epulis & suffimentis, quæ libidinem irritare possent, sibi omnino interdixit. Totam ferè diem orationi consecraverat, & ad illam tranquilliùs peragendam nobile sacellum instituit, ministrorum numero, & ornamentorum cultu, & impetratis à summo Antistite immunitatibus celebre; in quo à prima pubertate divina officia attentè audijt, & integerrimè septem canonicarum Horarum discrimina recitavit. Quoties ad ægrotos Eucharistica pompa procedebat, cereo libentissimè prælucebat. Tribus illis, quæ Resurrectionis festum antecedunt ferijs, nec nocte, nec die à templo abscedebat.

Jejuniorum perennitas & rigor.

Totus ferè annus illi erat esurialis. Nam præter statutos à canone dies, duos singulis hebdomadis, Mercurij scilicet ac Veneris, quindecim Divorum pervigilia & Adventus tempora communi jejunio transigebat; asperiori diem Saturni cujuslibet hebdomadæ, Christi Domini, ac Beatissimæ ipsius parentis solemnitatum, & undecim Sanctorum, quibus peculiariter addictus erat, vigilias, & tres ante Pascha luces, quibus panis frustulo, & frigidæ potu languidum corpusculum afflictabat. Noctis quietem sæpius, ut ad statas preces tempus suppeteret, abrumpebat; & ut esset ad surgendum paratior, vestes non deponebat.

Profusio in pauperes & pia opera.

In alios benigni erat & profusissimi ingenij. Decimam omnium annuorum redituum partem in pauperum usus devoverat. Elephantia tabentes, & captivitatis injuria oneratos, præ cæteris libentius adjuvabat, reputans eos gravioribus incommodis conflictari. A nullo templo resarciendo, à nullius Religionis generali, seu prouinciali conventu, à nullius pij sodalitij coitione suam liberalitatem abstinebat. Quoties loco ex aliquo commigrabat, per præconem jubebat renuntiari,

tiari, ut quiſquis damno à ſe, vel à ſuis accepto, ſe læſum quereretur, juſtam ſolutionem exigeret. Domeſticæ diſciplinæ rigidus exactor erat, ſuos tamen malebat charitate devincire, quàm ſupplicijs exterrere; ideò ad frequentem peccatorum expiationem, & ſacræ Synaxeos accubitum & præmijs, & ſuo potiſsimùm exemplo provocabat; & quidquid à privatis facultatibus proveniebat, non tam ipſius, quàm illorum cenſebatur. Illud tamen largius reddebat tempeſtiva expendentis providentia, quàm redituum ubertas.

Principis opes, & nuditatus in Britanniam diſceſſus.

Cùm enim fatis conceſsit Rex Ioannes, nihil aliud Princeps Ferdinandus, quàm Saluaterram perpetuo, & Atouguiam mobili ad hæredis nutum jure poſsidebat. Eduardus deinde, vita functo Aviſienſis Militiæ Magiſtro, fratrem, quanvis, quod nondum eſſet initiatus, reſtitantem ſummi Pontificis authoritate ſuffecit. Perpendens tamen Ferdinandus, ſibi, præ auguſto in ſuos animo, anguſtas eſſe copias, animum induxit in Britanniam ad conſanguineum Regem, à quo fuerat invitatus, proficiſci, & repudiato Religioſi animi conſcientiâ, purpurati patris honore, quem Pontifex Maximus Eugenius IV. offerebat, à fratre enixus eſt vertendi in Angliam ſoli facultatem impetrare, cùm ſimilem profectionem in Flandriam poſceret Princeps Henricus ab amita Burgundij Ducis uxore ad bellum Gallicum, & poſteà Hieroſolymitanum evocatus.

Henricus, & Ferdinandus Princeps in Africam mittuntur.

Ingrata fuêre Eduardo fratrum deſtinata, & ut eos honeſto negotio diſtineret, Mauritanam animo invaſit expeditionem ad Tingim nobilem urbem expugnandam. Henrico Principi totius belli ſummam commiſit, eiſque ſocios adjunxit, Principem Ferdinandum, & Comitem Arraiolenſem, qui de abſceſſu etiam cogitaverat; aſsignatis militum quatuordecim millibus, ex quibus quatuor equis, cætera pedibus mererentur; quanvis poſteà ad navium penuriam

ſeptena tantum millia conſcenderint. Agnovêre Principes injunctæ ſibi provinciæ difficultatem, & impares infinitæ Barbarorum multitudini copias, ſed inconſulto fratris imperio parere maluerunt, à quo ſolemni ſupplicatione in navigia ſunt deducti, cùm priùs eidem Ferdinandus omnem domeſticam clientelam, cujus miniſterio uſus fuerat, commiſiſſet; & Archangelum Michaëlem cœleſtis militiæ anteſignanum ſuo vexillo, ut totius claſsis tutelarem genium appinxit. Ipſa, qua Olyſippone ſolverunt die, quæ incidit in Aſſumptæ Virginis peruigilium anni 1437. Ferdinando vomica intumuit, cujus dolorem ipſe preſsit, ne claſsiariorũ alacritatem interturbaret. Intra ſex dies Septam appulerunt, ubi tumor Principem lecto affixit, & extremum vitæ diſcrimen attulit, quouſque pertuſus ſaniem emiſit. Quinto Idus Septembris Septa egreſsi, Tingim poſt quatuor dies tenuerunt. Ferdinandus, quanvis adhuc recenti & hianti ulcere marcebat, omnibus tamen locis impiger aderat, tam ſtativorum munitioni, quàm duplici in arcem, duplici item in Mauros hinc inde confluentes impreſsioni. Eos poſteriori ita noſtri fregerunt, ut, niſi nox obſtaret, omninò funderentur. Vberiorem illis gloriæ ſegetem tertius conflictus attulit; in quo, coacta jam quadraginta equitum, & centena peditum millia turpi fuga perculerunt.

Ferdinandi invaletudo & expeditio

Tingis oppugnatur.

Diſtentis urbis pulſatione, & hoſtium aliunde ingruentium impetu ſupervenit Rex Feſſenſis cum præfecto ſuo (Alguazil vocant) Lazeraquio infauſti in hac hiſtoria nominis, & inauditæ feritatis monſtro, qui ex tota Mauritana ditione nonaginta ſex equitum millia, peditum ſexcenta cõtraxerant. Quid facerent pauci contra tot millia fortes? Nam bellatorum vix ad tria millia aſcendebant, cæteris Septæ aut in claſſe relictis. Repetitos duobus itidem diebus hoſtium aſſultus Martio vigore retuderunt, quibus cùm ſe omninò impares cernerent, & inopiam commeatus, oratores miſêre polliciti Septam eorum nomini reſtituendam, ſi ſibi tutum darent in navigia receptum: ij tamen punica fide graſſati legatos apud ſe detinue-

Tingitanis auxiliatur Rex Feſſenſis & Lazeraquius.

Septæ deditionem Luſitani Mauris pollicentur.

runt,

runt, arbitrati noſtros penitus defatigatos obſiſtere non poſſe, & facto undique impetu aggreſsi, adeò conſtanter ſunt repulſi, ut expugnandorum caſtrorum expectatione dejecti ſpecimen dederint pacti ineundi, molientes interim noſtrorum internecionem, dum, conditionibus interponendis fraudulenter ipſi cunctarentur, aut noſtri præproperè ad navigia regrederentur. Igitur petiêre, ut in obſidem reddendæ Septæ unus ex Luſitani Regis fratribus traderetur: & in tuti ad naves receptus fidem majorem Salabenſalæ Tingis & Arzillę dynaſtæ filium obtulêre.

In obſidem traditur cum novem ſocijs Ferdinandus.

Sciebat equidem Ferdinandus quę ſibi Barbarus tortor pararet, in quot probra & calamitates vocaretur; ſed conditionem non abnuit, ut qui promptus eſſet, non ſolum ſervitutem pro ſuis, ſed & cædem adire. Novem additi ſunt locij, qui ad ſolatium & miniſteria præſto eſſent; Frater Gilius Mendius à Confeſsionibus, Rotericus Stephanius nutricius, Ioannes Alvarius à ſecretis, Magiſter Martinus Medicus, Ferdinandus Gilius veſtium curator, Ioannes Laurentius prævius diverſorij deſignator, Chriſtophorus Luvicius Germanus à reſponſis, Ioannes Lunenſis à furno, Ioannes Vaſæus à Culina. Ex his qui erat à Confeſsionibus Arzillę obijt, ejuſque loco Petrus Vaſæus Presbyter ſucceſsit. Et pro nutritio ægrotante, atque in patriam remiſſo Ioannes Rotericius ejuſdem filius, & Principis à cubiculo, eſt ſubſtitutus. Secum etjam intulit pro Calabençalæ filio obſides Ariam Acuniam, Ioannem Gomeſium Avelarium, Petrum Ataidium, & Gomezium Sylvium, equites è primarijs.

A Salabenſala excipitur.

Principe Ferdinando cum ſocijs Tingim, Salabenſalę filio, in navigia importatis, eam fraudem Mauri cudebant, ut ſi proximo arci loco Luſitani ad claſſem tenderent, omnes ad unum caperentur; quam Princeps Henricus ſubodoratus, tabulata in adverſam partem diſpoſuit, & frementibus atque acriter inſtantibus hoſtibus ſuos incolumes recepit, amiſsis gregarijs militibus ad ſexaginta. Ferdinandum non tam coquebat no-

væ injuria ſervitutis, quàm timor, ne illa trepidatione Henricus frater cecidiſſet, qua ſollicitudine diſcruciabatur, donec certior de vita redditus, animum ad eas, quæ deinceps ſubjicientur, ærumnas obfirmavit. Illum Salabençala deſultorio equo exceptum ſocijs peditibus in turrim invexit ſatis tutam, ſed neceſſarijs ad vitam protrahendam, cibarijs & commodis deſtitutam. Inde ſex diebus tranſactis Arzillam deferendum curavit, ſed priùs ad oſtentum per duas horas ad decumanam Tingis portam expoſuit, ut Mauritanum vulgus in ſua magalia diſceſſurum eo priùs ſpectaculo paſceretur. Arzillani ad multa ſtadia obviàm egreſſi, noſtros caballis partim nudis, partim clitellarijs, & caſtrorum labore faméque confectis invehentes, qua opprobrijs, qua feſto fiſtrorum, & tympanorum ſonitu excepêre. Sed quanvis vultu lætitiam ſimularent, altum corde dolorem tegebant: vix enim reperiebatur, qui patrem, fratres, virum, aut aliquem ſibi eonjunctiſsimum ijs prœlijs non amiſerit, quibus innumeri Mauri ceciderunt; & in eos præterea tela, quæ cuique familiaria erant, Principes è Regni armamentario trecentas mille ſagittas, nec irritis jactibus exhauſerunt, adeò, ut teſtatus ſit Iudæus chirurgus ultra tria ſagittarum millia à ſe uno Feſſæ è ſaucijs extracta.

Arzillam importatur.

Cæteri in Luſitaniam, Henricus Septam vela fecit, ubi in ægrotationem incidit ex animi ægritudine, quòd fratrem inter Mauros relinqueret, & belli difficultatibus contractam. Non multò pòſt illuc appulit ex Turdetania Princeps Ioannes in auxilium demiſſus, cui ſuaſit Henricus, ut Arzillam illicò contenderet, & Salabençalæ filium deferret, patrémque hortatur, ut quando pactis non ſteterit Maurorum genus, ſed hoſtiliter communi manu inſectatum fuerit Luſitanos in claſſem properantes, Ferdinandum auro permutaret, & filium, alioſque Mauros admitteret. Sed cùm jam portum Ioannes tenuiſſet, ventis reflantibus, funem ſcindere conatus eſt, & in

Henrici Principis moribus, & Ioannis adventus.

Turde-

Turdetaniam rejectus. Interea Ferdinandum totos septem menses, quos Arzillæ detentus est, lenta & pertinax veletudo oppressit, quin unquam divinum officium, & statas orationis Horas, ac jejunia omiserit. Captivis omnibus Christianis vestes & cibos mercatorum interventu mittens, duodecim à servitio exemit. Decumbentem Salabençalæ invisit, & utrumque fœdus autographum offerens monuit, ut exemplar ad fratrem in Lusitaniam mitteret, eumque ad festinatam promissorum solutionem hortaretur. *Ferdinandi ægritudo Arzillæ, & vitæ ratio.*

11 Eduardus initio Septam Mauris reddere, fratrem ut recuperaret, non admodum detrectabat, rem tamen ad communia Regni comitia deferendam censuit, quibus constitutum est, ne Septa Barbaro facilè cederet, sed omnes intenderentur nervi, ut bello, permutatione, vel pecunia Ferdinandus in libertatem vindicaretur. Quod ipse ut rescijt, Salabençalam monuit, ut necessitatis meminerit, cujus trabali clavo adacti Lusitani Septam promiserint, de qua, suo tantum Rege annuente, paciscì poterant, & ut possent omni pactione liberos esse, cùm Mauri statim ius violauerint, & sæpius in castris, maximè ad nauigia tendentes communi Marte lacessiuerint. Vellet ergo pecunia rem tranfigi. Ad hæc ille mendacia mendacijs intexuit, pecuniæ mentionem, ut immane probrum excludens, quippe qui diceret, infensos sibi omnes esse Pœnos, qui suspicarentur, vi pecuniæ corruptum, Septam Ioanni I. ipsius Ferdinandi parenti vendidisse; quare nihil aliud acturum, si pecuniæ tinnitus audiretur, quà ut priorem opinionem falsò de se conceptam turpi facto confirmaret. Proinde certus esset, nisi pollicita accelerent Lusitani ipsum Fessam ad Regem, ac Lazeraquium potissimos belli prœteriti adjutores amandandum. *De Septa quid comitiis Lusitanis decretum.*

12 Hęc Ferdinandus mandata in Lusitaniam misit, indicans spem viæ allucere, qua ipse posset ad mare profagere, si certo loco naues expeditæ se & suos præstolarentur. Et maximè commendatum faciebat, ne se paterentur excarnificandum dedi Lazeraquio, cujus erat, præ cæteris *Pecuniam pro Principe rejcit Salabença.*

Mahometanis nobilitata crudelitas. Nam, cùm eſſet infimo loco natus, quo hominum genere nihil eſt aſperius, cùm ſurgit in altum, inter Alarabum (qui teterrimi ſunt graſſatores) turmas educatus & latrocinijs infamis, duos Bucardi Regis liberos exegit, & juniorem eorum fratrem Regno inauguravit, cui ſuam nuptui dedit, alteramque ipſius ſororem accepit, ambas proſtituti corporis dedecore famoſas. Omnes ſanguine, vel aliqua virtute claros interemit, & in publica munia, popinones, lanios, & alia id genus viliſsima capita evexit. Vnde tantus fædiſsimi hominis timor populi pectora obſederat, ut nemo coràm hiſcere auderet, & grandi ab eo ſe crederet obſtrictum beneficio, quiſquis manè evigilans, caput ut pridiè cervici connexum reperiſſet. Rex ipſe, nudum tantùm nomen erat, cætera Lazeraquius ſuperbâ impotentiâ uſurpaverat.

Lazeraquij crudelitas & doli.

Intutum viſum eſt fugæ in Luſitania conſilium; ſed cùm reſponſum longiùs protraheretur, duos è primoribus Arzillam miſit Lazeraquius, qui Principem ac ſocios vinculis onuſtos Feſſam ducerent. Quatuor illos pro filio obſides à ſe dimittere noluit Salabençala, qui flebiliter exoſculati ſunt manum Principis ſtrigoſo equo, excalceato, & attritis in ludibrium ephippijs, ac fræno loris junceis circumligato inſidentis. Cæteri jumentorum ſarcinis ſuperpoſiti ſaltuoſo itinere Feſſam contenderunt, effuſa ex vicinis oppidis ad eos videndos & ludificandos, multitudine. Poſt ſex dies, pridiè Kalendas Junias, & feſtum Pentecoſtes illuc devenerunt, & in Concilij domum (quam Mexoar dicunt) ſunt illati, cunctis ad illos ſpectandos præconio excitatis. Hîc Princeps calceis denudatus cum ſocijs humi ſedere juſſus eſt, & poſteà Caſtelli præfecto traditus, & in tutiſsimam domum cunctis obſtructis luminibus informem, ubi nummi ſignari ſolebant, invectus duos reperit Luſitanos è captivis claſsiarijs, qui deinceps ſocij ſunt additi; Ab ijs pro hoſpitali teſſera audijt vulgari apud Mauros ſibi ac ſuis pedem ac manum amputandam.

Feſſam deducitur Ferdinandus.

13

Hic Ferdinandus, quo humanæ opes magis acciſæ eſſent, 14

melius

melius ſuos jubet ſperare de divinis. Nec, inquit, quòd tanta ſit hoſtium diritas, hæc noſtra paucitas & imbecillitas, tam tenebricoſa loci facies, conſternato animo eſſe debemus, qui ob Dei obſequium & rei Chriſtianæ commodum hæc pericula elegimus; à quibus ſi nunc aſſerere noluerit æternæ vitæ gaudijs præſentes calamitates compenſabit. Cùm paucos intra dies, id quod vocant Arietis paſcha, celebraretur, juſſit Lazeraquius omnes in turrim conſcendere, unde liber dabatur proſpectus in confuſam populi colluviem, quæ confluxerat ad ſpectandam Arietis à Rege lanienam. Deinde qui inter Mauros videbantur religioſiores ad Principem in vincula deſcendentes monuerunt, ut Iudæum in Luſitaniam cum literis expediret, & ni grauiora pati vellet, intra tres menſes reſponſum eliceret; nec quidquam profecêre preces ipſius exigentis, ne Iudæus, ſed aliquis è ſocijs orator eſſet. Vbi verò tabellarius deceſsit, Princeps & ſocij in cæcum, anguſtum & valde munitum barathrum ſunt detruſi, ubi pecunia, & commeatu à Chriſtianis mercatoribus mutuato, ſed in cuſtodibus furtivè imminuto alebantur. Omnes ærumnæ jejunio & oratione, & præcipuè rei diuinæ quotidiana exhibitione (dum ſacra ſupellex rapta non fuit) ac peccatorum frequenti expiatione condiebantur.

Principis ad ſuos Feſſa oratio.

In ergaſtulum detruditur.

15 Exacti iam quatuor erant menſes à Iudæi diſceſſu, cùm adulto Octobri anni 1438. è barathro matutinis horis ſunt educti, & veſtibus Lazeraquij imperio ſpoliati. In Principis thorace ducenti nummi aurei reperti, pro quibus ferrea utroque pede vincula ad cingulum uſque producta recepit. Paribus etiam ſocij onerati, & ad Regis hortum deducti, in quo ſedens cælata affabre domo Lazeraquius ſingulis ligonem tradidit, quo ad ſolis accubitum impigrè, & ante Barbari illiùs oculos laborarunt. Redeuntem ad ſuas tenebras Principem, & ferri pondere lentè gradientem, ac ſæpius impingentem lictores quindecim, qua pugnis, qua ſudibus impellebant. In itinere ad ſuos converſus ait: Hæccine perpenditis? Deum pro me quæſo deprecamini. Vbi pervenit, Lazeraquium hæc ad ſe è ſublimi

Vincula Principi injiciuntur, & ad Regis hortum colendum ducitur.

gradu

gradu dicentem audijt. Quando Chriſtiani adeò ſunt perfidi, ut Septam, quam pacti ſunt, non reddant, & quos illi merentur, mulctabo modis. Iumentorum præſepia tibi ludus erunt; iſta, ni vapules expurgato. Ad hæc Princeps; Nulla, inquit, Chriſtianos perfidiæ nota compungit; ipſe tamen quod iubes, exequar, nec id mihi, ſed tibi vertetur probro. Continuo illius manibus ex ruſco ſcopæ permiſſæ ſunt, ſporta, & raſtrum ad colligenda, & egerenda ſtabuli retrimenta. In quo poſtquam ſe munere ſordidavit, in gurguſtium à barathro, ubi reliqui jacebant, diſsitum illatus eſt, ne eorum ſocietate dolor aliquantulum miteſceret.

Ad purganda ſtabula adigitur à Lazeraquio.

Die inſequenti, cunctis ad ſervitium eductis, ſolus Princeps relinquebatur, quod ubi præſenſit, animi defectione debilitatus, à cuſtode, & Lazeraquio impetravit, ut cũ ijs ad horti pensum, ipſis nequicquã diſſuadentibus proficiſceretur & manum ita avidè conjecit in ligonem, ut poſt aliquod tempus ceſſare juſſerit Lazeraquius, dicens non defuturum tempus, quo eo in opere extenuaretur, ſi è Luſitania nuntium incommodum adveniſſet. Lubentiſsimo deinde animo illorum veſtes mutabat, aquam, & repaſtinandi horti inſtrumenta convehebat. Cumque illac gratioſiſsimus apud Lazeraquium Maurus pretergrederetur, ſic ad illum verba fecit: Nec armis ſubacti, nec malo dolo huc devenimus, ſed ſponte, ut noſtræ gentis incolumitatem ſervaremus. Quorſum ergo Lazeraquius innoxios ita graviter affligit? Illi ſuadeas, ut pœnas in meum vertat caput, & his abſtineat, qui nihil mali commeruêre. Quod ſi renuat, hanc in me collocet gratiam, ut nulla in re à cæteris diſcriminet, ſed me cum illis, aut clementia æquet, aut aſperitas. Hæc verba Mauros in ſtuporem induxêre, è quibus jactabant aliqui, mirum non eſſe, ſi Chriſtiani Principes Numen adeò propitium experirentur, quando in ſuos tanto amore efferebantur, aut ſi clientes pro ijs mortem intrepidè appeterent. Sed nullam hæc ſupplicatio miſericordiam à Lazeraquio extorſit.

Se à ſocijs laborantibus diſiungi minime patitur.

Dia-

17 Diarium cujuſque erant duo atri panes, abſque ullo obſonio. Talais Principi tunica, & penula ex pullo, villoſoque ſago, centonibus, ſi quando detererentur, obſoletis conſarcinatæ. Humus pro lecto, pro ſtragulis eadem penula, pro culcitris duæ pelles arietinæ, pro pulvinari, ex fœno manipulus. Mercatoribus capitalis noxa propoſita erat, ſiquid mutuum daretur. Mauris cautum, ne cum eo aut cum ſocijs quidquam vel curſim muſitarent, niſi vellent quingentis verberibus excipi, quibus aliqui atrociter ſunt inſcripti. Prẽter Ferdinandum, duodecim homines in gurguſtiolo, quod ad octonos tantum fabricatum fuerat, miſerè volutabantur, quibus ſæpè vetabatur, ne alvum alibi purgarent; quare tantus erat pædor, tanta vermium ſcaturigo, ut Rex ipſe, Regis, ac Lazeraquij uxores Principem ſæpiùs verbis mitibus demulcere ſint conatæ.

Victus, veſtitus, & carcer Ferdinandi & ſociorum.

18 At Lazeraquius novorum ſemper in inſontem Principem tormentorum artifex egregius vulgatam per eos dies Eduardi Luſitaniæ Regis mortem illius auribus ſine ullo lenimento inculcavit. Quod nuntium Princeps affictum ad ſuum animum exulcerandum putavit, ſed paulò pòſt Ferdinandi Sylvij epiſtola commonſtrata fidem fecit, qua referebat, ſibi miſſas fuiſſe tabulas à Rege Eduardo ad Septam Salabençalæ redonandam, ſed poſt ipſius mortem ſubſtitiſſe, dum Reginæ Eleonoræ, & Petri Principis, qui Regnum adminiſtrabant, mandata præſtolaretur. Acerbior ſervitutis injurijs nuntius ille Ferdinando fuit, cùm Regni cladem & immaturum fratris obitum expenderet, tantumque mœrorem animo imbibit, ut tunc primùm viſus ſit blandis ſuorum fomentis indigere. Sub exitum Octobris anni 1439. Feſſam Iudæus tabellarius pervenit cum epiſtolis ad Ferdinandum, quarum aliquam ei tradi vetuit Lazeraquius. Monebat etiam Salabençala, ut ad ſe illicò Princeps mitteretur, cùm jam omnia eſſent ad Septæ traditionem novi Luſitaniæ Regis nutu expedita.

Dolor Principis in morte Regis Eduardi.

Septa tradi jubetur à novo Luſitaniæ Rege.

Lazeraquij monſtroſa calliditas

Nil unquam fuit ſic impar ſibi, nullum monſtrum ita ex diverſis naturis coagmentatum, ut Lazeraquius, in quo pectus & vultus civili pluſquam odio diſſidebant. Quidquid vellet, ſe nolle prætendebat, quidquid nollet quaſi id ſibi cordi eſſet, frontis hilaritudine præferebat. Cùm pecuniam pro Principis corpore effictim ambiret, nec Septã, cujus retinendę impos erat, deſideraret, tamen hanc ſe expetere ſimulabat. Et ut tempus traheret, Iudęum remiſit cauſatus, oportere ſummũ aliquem dynaſtam à Rege Luſitano deligi, qui ſibi faceret Septæ deditionem. Ab illius diſceſſu ferreæ pedicæ Principi, & ſocijs iterum, omni pené veſtitu ſpoliatis, & intectis rudis tantum panni ſegmentis injectæ, & confusè in antrum demerſi, è quo omnes, Principe, & ſacerdote exceptis, ipſo Dominicæ Nativitatis feſto educti, juſsi ſunt totam diem confragoſum iter complanare, & ſaxa ingentia perrumpere, duriuſq; defeſsis fuit cum ſaxeis hominibus, quàm cum rupibus colluctari, nam tanta ſuper ipſos inſultantium & obludentium caterva addenſata eſt, ut vix poſſet ab octo cuſtodibus arceri. Princeps nullam habuit intermiſsionem Dęum pro ijs tota die obſecrandi, qui ad noctem in ſuum latibulum pugnis & alapis affatim donati rediêre. Mira fuit in eo, cùm reduces oſculatus eſt, lætitia, quę tamen in luctum converſa eſt, ubi fuit extritas eorum manus, & tabo liventes contemplatus. Tunc enim alto ex pectore ſuſpirium trahens: Quam, inquit, vera eſt illa parœmia! Pro nocente plectitur innocens: Vobis ego tot laborum caput, quos Deus in criminum vertat expiationem. At ſi unquam me ex hoc loco emiſerit, & vel offam unam, aut chlamydem dederit, vobiſcum ex æquo eandem participabo. Ergo illi ut à Principe mœſtitudinem abſtergerent, falſa gaudia jocoſi imitabantur, & feſtivos ſales jactantes cœnam adipalem aqua & pane furfuraceo appararunt. Poſterâ die ad idem miniſterium reverſi, ubi abſolverunt, alijs vilioribus addicuntur, ad quę Principem abjicere voluerunt, ſed ſuperſedere veriti, ne ab aliquibus Mauris abriperetur, &

Nova in Principem ſævitiæ argumenta.

Leen-

Leenhio finitimo,& inter eos potentiſsimo Lazeraquij adverſario traderetur.

Iudæus Arzillæ Salabençalam invenit eo implicitum morbo,quo paucis diebus deceſsit. Tunc Bubuquerio ipſius fratri, & ſucceſſori,cui inſidias clanculo moliebatur, ſcripſit Lazeraquius,ut negotiũ eodem tenore proveheret. Intereà quidquid ſuſpicionis, vel ex cauſa juſtiſsima accidiſſet, in caput afflicti Principis redibat. Cùm enim circumferretur,Maurum quendam eniti, ut Principem ſuffuraretur, & Gondicalum Siſtrenſem è Luſitania in Leenhij portum appuliſſe cum ingentibus promiſsis,ſi eundem à Lazeraquio abduxiſſet,& certiori notitia exploratum eſſet,graviſsimos à Rege Luſitano legatos mitti,qui pacta exequerentur, Princeps graviori inedia,& arctiori cuſtodia oppreſſus eſt à Lazeraquio dictitante, Chriſtianos ſubdolos pugnantia dicere & facere; nunc enim velle Septa cedere, nunc furto & fraudibus ſtudere. Poſt Iudæi reditum, & omnia ad Luſitanam fidem liberandam prona, callidè moras innexuit Lazeraquius, ne Principem Septam deduceret, & inter alia fraudum marchinamenta, Algazu, id eſt, ſolenne veluti Cruciatæ apud noſtrates, auctoramentum indixit, & exercitum urbe præmiſit, quaſi Septam copias cum Rege trajecturus. Medius deferebatur in exercitu Ferdinandus, & ſingulis noctibus in ligneam caveam ad eum tuto aſſervandum conſtructam compingebatur. Et cùm totos viginti & unum dies iter feciſſent, Feſſa, quam ridicularia quadam expeditione circumibant, non ultra tres leucas unquam deceſſeruut. Nam per id tempus ſcripſit Lazeraquius, ſi Septam priùs Chriſtiani Mauris renuntiarent, ſe ilicò Principem, interpoſito,more ſuo Aquibullæ, & domus orationis ſupra legis ſuæ veritatem jurejurando, & imprecationibus redditurum. Sed Luſitani legati reſponderunt, illius ſe juſiurandum pili facere, nec eſſe adeò vecordes,ut una die vellent facere, & urbis, & Principis jacturam. Diſplicuit admodum ea reſponſio Lazeraquio, & in urbem reductos diriùs carceri mancipavit,

Salabençala mortuo novas fraudes & ſævitias cudit Lazeraquius.

Fingit Lazeraquius ſe Septam tendere cum Principe.

vit, prætexens totum se negotium Graadæ Regi permittere, quod ille se peracturum spopondit, sed occultis Lazeraquij fabricis fuit impeditus.

Pestis gravissima per id tempus.

Gravis per eos dies pestilentia grassata est, quæ una die quadringenta & quingenta Maurorum corpora sternebat, & Arzillæ tres pro Salabençalæ filio obsides Lusitanos corripuit. Eam tamen Princeps & socij, Crucis signo postibus appicto, & Divorum nominibus atq; precibus depulerunt. Sed malevolentiæ pestem, quæ perfidorum pectora depascebatur, mitigare minimè potuerunt, qui ut Principem gravius morderent, & unico quod supererat solatio orbarent, eum à socijs disiunxerunt, quos ipse priùs hortatus est, ut tanquam prope diem morituri, extremum vitæ ac vię commeatum religiosè curarent, & testes supremę voluntatis ceras exararent: quod consilium omnes libenter arripuerunt. Sed ecce Martio ineunte, in prætorium abripiuntur, ubi in Maurum incurrêre antiquis jam verberibus ustulatum, quem dicebant, epistolas ad Principem furtim extrahendum detulisse. Tum Lazeraquius; Vides, inquit, tuos Septæ restitutionem abnuere, quam & ipse malo armis recuperare. Lis pro te, & pro tuis pecuniâ dirimatur. Meum, inquit, Princeps, & meorũ pretium est omninò in discretum, nam meo erant in obsequio, nec ullam, nisi quam à me acciperent, annonam colligebant. Post varios ultrò citróque jactus Princeps pro se ac suis quinquaginta mille auri libras, & totidem captivos è Mauris spopondit. Quod Lazeraquius irrisit dicens, unicam Septæ plateam pluris æstimari, Inde Maurum illum flagris contundi jussit, tum lapidibus obrui, & à duobus Principis socijs circum urbem raptari, duosque alios è socijs, ut capite truncarentur, abduci tanta simulatione, ut omnes id sibi persuaserint. Princeps in sepositio ab alijs loco est abditus, ubi centum & quinquaginta libras, captivósque totidem promisit; quæ pactio non est visa incommoda Lazeraquio, quanquam non multò pòst quadringentas, & captivos totidem poposcit. Et in promissi præmium,

Pecuniam poscit Lazeraquius.

Vltimum Principis ergastulum.

Prin-

Principem in ergaſtulum horridius & ſecretius retrudi juſsit, odoris teterrimi, quem regiorum Eunuchorum latrina vicina exhalabat: adeò obſcurum, ut nihil omnino abſque perenni lucerna videri poſſet; adeò anguſtum, ut exporrectum minimè caperet.

Eo loco ſibi non niſi mortuo exeundum, Princeps intellexit, cumque & ſolitudine, & virium conſumptione paulatim extabeſceret, conceſsit Lazeraquius, ut ille è ſocijs, qui medicinæ callens erat, id cibi quotidie deferret, quod cæteri condirent. Ipſe tamen dixit, ne quibuſque Lunæ & Mercurij diebus, aliquod ex carne pulmentum ſibi pararetur. Rarò cœnam ſumpſit, eámque adeò tenuem, ut jejunio neutiquam officeret. Cibum ſæpè in os ingerebat, & ſtomacho fluctuante reſpuebat. Eum ſæpiùs captivis alijs, aut languentibus, aut egentibus largiebatur, è quibus multos labantes, & ad Mahometi ſectam proclives in vera Catholicæ fidei ſolidi-tate firmavit. Lychnum penſilem ſemper habebat accenſum, quem contubernales genium fraudantes ſuo demenſo & laboribus alebant. Nocturnum diurnumque tempus precationibus impendebat utroque poplite in terram provolutus, quo corporis ſtatu exiguum ſomnum capiebat; unde oſtreata genua in callos duriſsimos incredibili dolore obriguerunt. Divini officij, & multarum precum rationarium ſingulis diebus excurrebat. Si quando ſodalium videndorum deſiderio æſtuabat, oſtij cuſtodes muneribus demulcebat; aliquando ad rudera egerenda in contiguam domum miſſos, feneſtella, quam demptus è pariete later faciebat, alloquebatur, eóſque jam ex compedum attritu inter reliquos dignoſcebat. Nec tamen frequenter poterat eo levamine deliniri, quia ultra decem jumenta, quæ in ſtabulo ſingulis diebus ſinguli curabant, ad ſordida quæque munia propellebantur, aut ad conuehenda exercitus impedimenta, ubi per noctem pedes cippo, manus & cervix ferreis vinculis detinebantur. Ad tres aliquando, quos per rimulam affari licuit,

Ad mortem ſe per menſes quindecim ut paraverit.

Ferdinandi amor in cō-captivos.

cuit, ob tria tantum dixit, Sibi esse in votis, fieri tot calamitatibus superstitem. Primum, ut malorum non ignarus, ijs reponeret quidquid ipsius causa exanthlassent; Secundum, ut Christianos Principes extimularet ad eam regionem suæ ditioni adjungendam, non quo animum vindicta saturaret, sed ut ad veram fidem gens illa traheretur, apud quam ibi reperisset tot patientiæ exercitamenta; Tertium, ut Christianos captivos curaret ijs miserijs extrahendos.

Extrema Principis valetudo.

Restitutus est ea tempestate Salabençalæ filius, & obsides liberati, ac reddita de mortuorum cadavera, multæque oblatæ pactiones, quin unquam ferinum Lazeraquij pectus emolliretur. Ergo Kalendis Iunij anni millesimi, quadringentesimi, quadragesimi tertij, ventris profluvio, & ciborum nausea Princeps solito amplius est debilitatus, quod ubi ad suorum aures delatum est, tres ex ijs audaciores in eum locum irrupêre, crebroque illius auditu gemitu, quînam haberet, interrogarunt. Ipse ex aduerso rogavit, quinam ij essent? Tunc illi: Tantanè, inquiunt, Princeps amantissime, tua est ægrimonia, ut quos anteà ex compedum flictu cognoscebas, ignores? Ille, Ignoscite, inquit, filij, nam cerebrum morbus extundit. Regem adhibete, Reginam, & quosvis alios valentiores apud Lazeraquium deprecatores, ut me ex his tenebris plusquam Cimmerijs in sublustrem alium locum emittat, ut vos possim extremum alloqui & contemplari. Regem, Reginam, concubinas, & eos, quorum major erat gratia erga Lazeraquium, miseri homines fluentibus ubertim lachrymis convenêre, sed fabulam surdis narravêre, nam à multis opprobria, repulsam ab omnibus tulêre. Tandem ad Castelli præfectum se conjecerunt, qui ne id sibi noxæ verteretur, Lazeraquium certiorem fecit; à quo impetratum tantum est, ut in eodem gurgustio à Medico, & alijs, qui essent usui, inviseretur.

Singulis hebdomadis anteà labes animi, confessione emungebat, quas nunc attentiùs ad ultimam vitæ periodum

absol-

absoluendam dispunxit, nec unquam passus est absistere sacerdotem, qui die Mercurij, quæ incidit in Nonas Iunias horę spatio, plus, minúsue ante auroram euigilans, ut Principis valetudinem cum Medico exploraret, obtutum in eumdem defigens, ore vidit fulgorem eximium evibrari, faciem hilarem, atque ridibundum, oculos modestè erectos, & lachrymis suffusos, manusque ad cælum elevatas. Ter ille Principem inclamavit, & an vigilaret quæsivit; cumque ille se audire dixisset, ad solis exortum conquievit. Tum Princeps, ostio à custodibus reserato, Medicũ ablegavit, & sacerdotem istis est aggressus: Me hodie quid agerem, percontabaris, sed responsum distuli, ne quis arbiter dicta aucuparetur. Quæ dixero, dum in captivitate deges, silentio tege. Duabus antequam illucesceret horis, mente trutinari cœpi temporariæ vitæ naufragia, & æternæ tranquillitatem, cùm oculos ad parietem obvertens, augusta specie matronam sublimi solio insidentem, multisque cinctam aulicis miro splendore collucentibus sui conspicatus. E quibus ille, qui suspensum è Cruce vexillum, læva, lances (quali forma Archangelum Michaëlem ab alijs cælitibus secernimus) dexrra præferebat, supplicabundum se ante beatissimam Virginem abjiciens, dicebat: Oro Domina, ut servum tuum tibi, mihique semper impensè deditum tot malis exuas, & nostris copijs adjungas. Vix finierat, cùm eleganti vultu alter calicem alia manu ostentans, alia librum expansum, in cujus fronte uncialia illa verba perlegi: *In principio erat Verbum* (quem proinde Evangelistam esse Ioannem non dubitaui) hæc ad Virginem protulit. Ne tuum hunc asseclam Mater, & Domina pluribus damnis atteri, longiori exilio differri patiaris. Iam ad convivium nuptiarum Agni inuitetur, quando nullis unquam sordibus vestimenta inquinavit. Duorum precibus Virgo exorata pio me obtutu collustravit, & hac eadem luce dixit illis agminibus annumerandum. Post hæc meo se conspectui subtraxit, cùm tu mihi occlamabas.

Se ad extremum agonem præparat.

Su-

In cælum evolat Ferdinandus.

Sacerdos lacrymas fundere, Deum collaudare, & Principi bonam valetudinem comprecari. Vna, inquit Princeps, est bona, ac tota valetudo ex inconstanti hoc, & insidioso freto ad æternæ quietis portum enavigare. Quod meum est promeritum apud te, Optime & Maxime rerum Moderator, ut ad me invisendum, cæli Reginam, & cœlitum globum in squallidam specum, horrentémque foveam demiseris? Si quis adhuc meis ex calamitatibus quæstus excerpi potest, laborem non defugio, in majora pericula vitalis hic, an lethalis halitus prorogetur? Ad hæc cibi aliquid Medicus intulit, & solidam diem Princeps mitibus ad suos allo[illegible] & ad Deum ac cælites insumpsit. Sub noctem ad sacerdotem versus: Abeo, inquit, abeo. Tum ille admonuit, ut generalem exomologesim decurreret, quam miro quodam animi sensu nullo præeunte recitavit, mox Orthodoxam fidem publicè contestatus, & Christi suum in patrocinium, sanctissimæ Virginis, ac omnium Divorum merita implorans, & peccatis ritè absolutus, communicata à presbytero immunitate, quam in eum articulum Eugenius IV. & Martinus V. Pontifices Maximi indulserant, in dexteram partem se componens, dixit vultu placidissimo: Valete, & me finite in cœlestem patriam commigrare. In quæ verba defunctus laboribus spiritum ex ergastulo emisit, uno super quadragesimum ætatis, quadragesimo tertio supra secularem anno.

Luculētum Lazeraquij de Ferdinando testimonium.

Quis dolor comites obsederit, conjici facilius potest, quàm explicari; solus Lazeraquius, morte nuntiata, nihil indoluit, sed linguam cohibere non potuit, quin hęc in verba prorumperet: Si quidquam in perduelli Christianorum grege boni esse posset, id totum hic, qui nunc obijt, summo jure vendicaret; Herclè si Mahometi sequax esset, tres ob egregias animi dotes, sanctitate nulli posterior fuisset. Veritatis apprimè cultor fuit, nec in eo unquam comperi aliquid mendacio affine. Precationibus ita exercitus, ut sæpiùs ipsum jusserim nocte concubia explorari, nec unquam sit repertus nisi in genua procumbens.

cumbens. Prætereà, quod humanas vires ſuperat, eam coluit integritatem, ut corpus ſuum fœminæ commercio nunquam fœdaverit. Magnum in ſe ſuſcepêre piaculum Chriſtiani, qui hunc paſsi ſunt patriæ extorrem interire. O admirabilem vim robuſtæ in tam tenero Principe virtutis, quæ tam evidens præconium ab hoſte barbaro extorſit. Tanta ſanè fuit Ferdinandi per ſex annos in tot ærumnis æquanimitas, tanta immobilitas, ut nulla unquam, aut corporis tunſio, aut contumeliæ acerbitas verbum impatiens exculpſerit; quin ſuos ſæpiùs increpabat, quòd adverſus inſultantes irritarentur, & monebat, ne ſe à Dei patrocinio abdicarent, ſi injuriarum vindictam privato linguę judicio ac libidine perſequerentur.

Ferdinandus eviſceratur juſſu Lazeraquij

Extincto ita inhumanè Principe innoxio Lazeraquij furor minimè reſedit, ſed miſeros illos Luſitanos juſsit, ut Domini cadaver ferro exenterarent, & ſale atque lavere medicarentur; quod cùm illi conſtanter recuſarent, Chriſtianum alium excivit, qui eviſceraret. Tum ſocij omentum, & præcordia duabus urnis excipientes, ſecuro loco tumularũt, quem poſteà cœnotaphio, luminibus, thure, & precationibus frequentabant. Corpus deinde tabulæ impoſitum ad celeberrimam Feſſę portam elatum eſt, & prono in terram capite pedibus appenſum, cujus in conſpectu Rex & proceres arundinibus, alijque equeſtribus ludis triumphabundi decertarunt. Poſt quinque dies comitibus eſt indictum, ut illud in ligneum capulum inderẽt, & funibus, quorum loco duas poſteà ſubmiſêre perticas, ſuſpenderent. Membra adeò expedita erant, &, in quamcumque partem traherentur, ſequacia, omniſq; graveolentiæ expertia, ut vivus judicaretur. Ibi quod homines viventi denegavêre, obſequium columbæ detulerunt; quæ, Barbaris ipſis mirantibus, deinceps illam muri partem, quę capulo reſpondebat, & pinnas utraque parte ulna diſsitas, nec inquinavêre, nec inſedêre, cùm anteà ibidem pennas ad ſolem panderent, & nidularentur. Nocturni quoque vigiles teſtabantur ſæpius, à ſe notatum locum fulgore inſolito illuſtrem.

Cadaver in urbis porta ſuſpenditur

Avium in ſacrum cadaver reverentia.

Miracula ab extincto patrata.

Non pauca ſupra naturæ ordinem prodigia illic ſunt ex- 17
hibita, è quibus hęc paucis collecta excipe. Luſitanus, qui à fi-
de defecerat, in lumen illud cadaveri familiare incurrit, & in
columbam humano capite & forma inſignem, qualem vivus
Princeps præ ſe ferebat. Ille nixus genibus, ut viam ſalutis ſibi
panderet, expoſcit. Quam, inquit Princeps, deſeruiſti, arripe, &
faciem aliò obvertit. Maurus ex agro Feſſenſi ab æmulo gra-
viter in rixa humeris & capite ſauciatus, ut litem intenderet,
in urbem perrexit, ſed nocte præoccupatus ante portam illam
repagulis jam firmatam dormire coactus eſt, capuli & cadave-
ris, quod impendebat, ignarus. Cúmque poſtridie faſcias co-
ram judice diſſolveret, nullum veſtigium vulnerum compa-
ruit. Quod portentum Mauri premere fruſtra tentarunt. Pul-
vere, qui ſtillantem è cadavere animam excepit, ijdem morbos
ac febres à ſe, & ab animantibus arcebant. Peregrinus ſacerdos
morti proximus Septæ admonitus à Monacho quodam
Franciſcano, ut ſancto Principi ſalutem ſuam crederet, ubi
conſilium eſt amplexus, ex ſtrato evolavit. Quod alij accidit
Olyſippone, Roterici à I E S V ex Dominicana familia hor-
tatu. Alibi fœminæ tuberculum manu excreverat, quo mulie-
bria officia exequi non poterat, ſed repentè conſedit nocte in-
ſequenti eam diem, qua in ſancti Principis memoriam pa-
nem in ara depoſuit, & cereum accendit. Cæteris ſuperſedeo
curator brevitatis.

Cadaver qua ratione deductum in Luſitaniam.

Anno ſalutis humanæ 1451. ſancti Principis exta à Ioanne 18
Alvario à ſecretis ipſius, & Ioanne Rotericio captivitatis ſocijs
advecta Henrico Principe deducente in ſepulchro hæredita-
rio Bataliæ ſunt collocata. Fluente poſteà tempore, cùm cada-
ver illud ſupra Feſſæ portam ſitum eſſet, Regis Amitinus, ſe
ab eo, cùm anteà ſummo in honore eſſet, pro deſpicatu habi-
tum perpendens, agitare cœpit, quid aggrederetur, quo patrui
animum triſtius ureret. Cogitatio ergo incidit, ut Ferdinandi
exuvias ex eo loco in Luſitaniam tranſportaret, quod facinus
fæda quadam imbribus, & tonitruis nocte, communicato cum

duobus

duobus Christianis consilio, invasit; omnibusq; ex voto fluentibus, Arzillam primò, deinde Olysipponẽ delatus ab Alphonso Rege Eduardi filio nihil minus sperante, tanquam cœlo demitteretur, est exceptus. Feralis simul & triumphalis supplicatio, ad quam universa civitas, & finitima oppida, plenis vijs confluebant, Bethlemico templo prodijt, ubi Rex & Regni hæres Ioannes Princeps ante pheretrum in pia oscula procubuerunt. Archipræsule & multis Episcopis, atque omnibus Ordinibus stipantibus, & læta concinentibus, & succollantibus procerum electissimis, ad Divæ Catharinæ ventum est; ibi nobilis orator in ea verba Psalmi: Benedictus qui venit in nomine Domini, luculentam habuit concionem, cujus laudes sint eæ, quas Divus Hieronymus exoptabat, uberes audientium lachrymę. Majori deinde apparatu ad augustius urbis templum pompa processit, in quo exequialia solemnia pro Ferdinandi meritis, & Alphonsi Regis majestate fuerunt ritè persoluta. Postmodum curatum est, ut magnificè Bataliam ad suum Mausolæum traduceretur, ubi relictum est spiraculum, quo immissa arundo sancti Principis ossa pertingit, & ad varios animi & corporis morbos præsentissimum evehit auxilium. Pænum illum tanti thesauri & facti Ducem ad veram fidem allicere, & nobilibus in Lusitania nuptijs impedire Rex statuit, quod cùm perficere non posset, magnis honoribus & præmijs oneratum in Africam dimisit.

Pompa qua cadaver exceptum.

Ossa in Bataliæ sepulchrum invehuntur.

Quid Lazeraquio, quid Ferdinandi socijs post ipsius decessum obtigerit, lector scire concupiscet? Lazeraquius Bubuquerium Salabençalæ fratrem Arzilla pellere molitus Alarabum quorundam societatem ambijt, à quibus in conopeo epulis inhians, multis ictibus est perfossus. Principis contubernales, ipso vivente, à cæteris captivis cultu domicilioque discreti, post obitum cum ijs promiscuè, sed immaniùs ex odio & amissæ prædæ dolore exagitabantur. Cùm nemo illorum ante heri obitum ægrotasset, duodecima post illum die unus, alter deinde, & alter ad quatuor sunt extincti. Duo posteà, admitten-

Lazeraquij interitus.

Ferdinandi sociorum exitus.

mittente Petro Principe, illius ſeculi anno quadrageſimo octavo, duo quinquageſimo in libertatem vindicati. Ille, qui erat à reſponſis natione Germanus, ſancti Principis monitis ac exemplo minimè reſpondit, ſed fœda impietate Chriſtianam religionem abnegavit.

Effigies. Effigies, quam hoc loco contemplaris, ab illo exemplari extracta eſt, quod Bataliæ ipſius ſepulchro eſt impoſitum, ſed ibi vulgari habitu, hîc armorum ornatu inſignis depingitur.

AD

AD FERDINANDVM PRINCIPEM, QVI IN AFRICA CAPTIVVS OCCVBVIT.

Passus Barbarici tormenta extrema tyranni
Occumbis, pœnæ causa fuêre necis.
AEmulus heroi recipis cervice catenas,
Longam passa famem terruit ora sitis.
Es satur opprobrijs, satur est non efferus hostis,
Qui probra dedecori jungit iniqua tuo.
Quid memorem terra sub caligante tenebras,
Dum Phaethontæos sol vagus urget equos?
Publica, dum prodis, sentis convicia; cautus
Probrosos audis, dum latuisse juvat.
O quoties mortem princeps sine funere sentis,
Intentat fictis quam tibi turba dolis?
Dura fatigatur patientia, durior obstat,
Fitque adamantæo robore firma magis.
Monstravêre atavi virtutem robore dextræ;
Pectoris invictas tu patientis opes.

De miraculo à Principis corpore edito.

Nox ruit & picea mundum circumvolat umbra,
Clauditur æratis urbs adoperta seris.
Déque suburbanis clausam veniebat ad urbem
Barbarus, is gemino vulnere cæsus erat.
Sub loculis blandæ Maurus dat membra quieti,
Relliquiæ sanant vulnera, Maurus abit.
Dum ferus accusat qui plagam inflixerat, ille
Dum monstrat, judex vulnera nulla videt.
Notum est sub loculis Maurum cepisse quietem.
Vulnera vicino Numine sana vident.
Imperat ut taceant judex malesanus, at ille
Principis inclamat Numen, opemque refert.
Prodigium est unum, plagas sanasse; secundum
Non minus est, Maurum tam bene posse loqui.

In loculos ſacri Principis.

Dum ſacra de muro ſuſpenſa cadavera pendent,
Fixáque dum ſacrum pertica fulcit opes.
Nota frequentabant volucres ubi mœnia, cunctis
Cùm foret obſcuræ noctis agenda quies:
Abſceſſêre feræ volucres, ſpatiúmque dedêre,
Principis ut corpus non ſine honore foret.
Scilicet inſtinctu fecêre hoc Numinis, oſſa
Quæ ſtultus ſpernit Maurus, adorat avis.
Exclamare libet: Cur non revereris acerbe
Maure ſacros loculos, quos venerantur aves?

In tumulum Principis.

Pro Mauſoleo, tumuli pro mole ſuperba,
Pendet ad inſtabiles corpus inane Notos.
Sævitiam monſtrat, qui talia perficit hoſtis,
Et patriam lædit dira per acta ſuam.
Nam patriam, corpus dum pendet in aëre, tanti
Indignam tumulo ſat docet eſſe viri.

De eodem

Inſultare ſacris non deſinit oſſibus Afer,
Dictáque probroſis jactat acerba modis.
Sexus uterque ruit, matura, & grandior ætas,
Perfida Maurorum guttura virus habent.
Quem malè mactarat viventem, morte peremptum
Dilacerat linguis perfida turba ſuis.
Denegat exequias, auguſtáque buſta tyrannus.
Non negat exequias deſuper igne Polus.
Mira ſuper loculos rutilant incendia, Maure
Quæ non das loculis iuſta, dat ipſe Polus.
Quàm malè regales huic Maure negaveris urnas,
Prodigio cælum monſtrat, & igne ſuo.
Quanta ſit herois majeſtas indicat ignis,
Qui trahit è cælo lumina, quique faces.

De

De eodem.

Arbitrij non Maure tui fuit esse sepulchrum
Mœnia trans, Mauris quà via monstrat iter.
Ipse sibi tumulum legit trans mœnia, clausus
Inter inhumanas ne foret ille feras.



ALFONSVS PORTVGALLIÆ REX XII.
VIXIT AN. XLIX. OBIIT A°. MCCCCLXXXI.

ALPHONSVS V.

COGNOMENTO AFRICANVS,

LVSITANIAE

REX XII.

ANACEPHALEOSIS XV.

NEunte salutis anno supra millesimum, quadringentesimum, trigesimo secundo, Alphonsus hoc nomine Quintus, Ianuario mense, Cintræ in oppido nobili & amœno, magno Regni & parentum gaudio vitam hausit. Sexto ætatis anno sceptro potitus patri Eduardo sufficitur, dura & immatura morte prærepto, qui Eleonoræ uxori Regni tutelam, & filij, potestatemque gerendis rebus integram testamento reliquit. Res indignissima Regis defuncti fratribus & populo visa, commendari tantam molem externæ mulieri, in publicis negotijs sibi parum constanti, quodque ferebatur indigniùs in adversarios Petri valdè propensæ, quem Regis Eduardi germanum fratrem propter egregias virtutes, atque excellentes naturæ dotes, omnes civitates, omnia oppida, ipsumque præcipuè caput Olysippo ardentissimè diligebant. Convocato igitur ex toto Regno senatu, multis annuentibus urbibus, & proceribus Petro Principi cordatissimo in curatorem Regni, & defensorem electo, habenas imperij, liberamque administrandi singula potestatem, imò & Alphonsi ipsius tutelam, quam Rex uxori legaverat, curamque committunt.

Eleonora eripitur Regni administratio.

Quod factum Regina inprimis, & Barcellorum Comes,

Eleonora & assectatorum dolor.

ejusque filius Ferdinandus Marchio Villaviciosensis, unà cum Petro Noronia Olysipponensi præsule multisque alijs adeò indignanter tulerunt, ut se Regina Almerino, ubi morabatur id temporis doloris, & minarum plena, in quoddam Regni castellum, Cratum appellant, contulerit, expectatisque ibi à Castellæ præsidijs, se cum Priore Cratensi minitabunda, ac tremebunda munierit. Nam neque missis à Petro ipso legatis, & supplicibus litteris, oblatisque muneribus passa fuit, vel in Regiam quod exigebatur, revocari; vel saltem ab illis minis, & fœmineo vindictæ ardore removeri, neque ibi vim, si vires agi cœpisset, censuit expectandam, verita siquidem, quod facilè apparebat, ne si obsidione cingeretur, eam nec repellere posset, nec

Eleonoræ in Castellam discessus & mors.

sustinere cum omni suo mundo muli ebri, multisque alijs undique adjectis, & acervatis divitijs Toletum se in Hispaniam pravo suorum consilio recepit, ubi varios experta casus, & fortunæ ludibria, de spe sumendæ vindictæ, quam varijs pollicitationibus amici incassum alebant, tandem aliquando dejecta in duit sanam mentem, vel nimium seram; nam de suo in Lusitaniam reditu cogitantem privato quidem loco, atque humili mors intercepit; ejus cineres posteà ab Alphonso filio in hoc Regnum translati, atque exequijs de more, ac Majestate Regia persolutis, in templo Divi Dominici, ad Bataliam proprio Mousoleo collocati.

Petri in Regni administratione virtus ac fides.

Petrus igitur rem Lusitanam totos decem annos sanctè, pieq; omnibus gratus, infensus nemini administrauit, Alphonsumq; annum ætatis dicim, & sextum agentem filiæ suæ Elisabethæ, ut destinaverat Rex, & Regina annuerat, matrimonio vinxit, atque illi Regni clavum, quem feliciter rexerat, multò quam ceperat augustiorem magna sua, & populorum lætitia commisit. Cum autem callidè persentisceret inimicorum suorum conatus, apud Regem adeò invaluisse, ut ab ea auctoritate, & gratia, quę patruo, curatori, ac socero debebatur, indignè, ac citò dejiciendus esset, sponte fecit, ac liberè, quod invitum facturum se se urgente Regis imperio, verebatur; quo circa

Oly-

Olyſsippone profectus in ſuæ ditionis loca procul à Rege, & curia ſeſe recepit.

Tum demum obſiſtente nemine ejus adverſarii adulteratis litteris, vaniſque mendacijs totum, quo ardebant, odij virus adeò feſtinanter, ac vafrè in Regem evomuerunt, ut jam pro certo exiſtimaret, vivente Petro, diu ſe minimè poſſe regno potiri; Cui opinioni deceptus juvenis, adeò pertinaciter hæſit, ut multis neque Reginæ lachrymis, neque Henrici Principis ſuaſionibus, neque Comitis Arrayolenſis precibus, qui hoc unum, ut ab eo exigeret, ex Africa venerat; neque adhibitis per Comitem Abranchenſem publicis, privatiſque colloquijs, rationibuſque, qui graviter & viriliter Principis innoxij cauſam magno bonorum conſenſu defendendam ſuſceperat; neq; multis piorum hominum & Religioſorum ſupplicationibus, qui in hoc etiam Petro eſflagitante, diu & maximè inſudarunt, eam ut ab ſe abjiceret, potuerit exorari: imò verò loco munerum, quæ pro educatione, rectáque Regnorum ſuorum per decennium adminiſtratione Petro debebat, catenas illi, ac necem per maximum fidiſsimi pectoris dedecus & ignominiam parabat.

Æmuli Petrum varie criminantur.

Quam indignitatem Petrus, cùm jam amplius ferre non poſſet, maluit caput ſuum, quàm honorem & fidem tandiu periclitari; Ergò ſe Regi ſiſtere, coram affari, mentemq; illi ſuam & inſontem animũ aperire ſtatuit Scalabi per id temporis exercitum copioſum cogenti, ũt ipſum aperto Marte adoriretur. Conimbrica proficiſcitur Petrus cum paucis aliquot clientibus & amicis, præciptè Abranchenſi Comite; Ambo ante ſacram ſynaxim ritu ſolemni juraverant ſe pro ſua mutuo & Regis fide fortiter ac ſtrenuè, ſi res poſceret, appetituros. Parva item armatorum manu de ſuorum conſilio ſtipatus inceſſit, erat ſiquidem vanus rumor mortem ſibi inimicos per inſidias machinari. Verùm hũnc ipſe adventum ex ſua, Regiſque ſententia ſiniſtrè interpretati adventare Petrum denuntiant, Regem Regno ſuo, & vitam jam non per fraudem

Petrus ſuæ innocentiæ Alphonſo probare molitur.

Siniſtre Æmuli Petri facta interpretantur.

ut anteà, ſed per vim manifeſtam ſpoliaturum; Quo rumore commoti plurimi Regis averſuri periculum, quàm citiſsimè poſſunt, Scalabim ex omni parte concurrunt. Coactis igitur in eo tumultu triginta millibus equitum, peditumque Petro in occurſum ire contendit, qui, cùm appropinquantem Regem per nuncios præſciuiſſet prope fluvium Alferroberiam in editum collem receptus contra primos inimicorum impetus ſe ſe munijt, quo amicis & fratribus, ipſique Reginæ filiæ ad ſedandum Regis animum tempus ſuppeteret; Quod ſi non poſſet conſequi, dimicandumque neceſſariò ſoret, ſaltem, ut talem decebat, graviter & generosè occumberet.

Hæc ab inſonte Principe omnino fruſtra excogitata; nam de Regijs militibus quidam, incertum quo imperio (creditur nullo) adeò vehementer in ipſum irruerunt, ut nullis hinc inde auditis, neque Ducum, neque Imperatorũ nuntijs, & clamoribus tumultuarium prælium, nullis collatis ſignis, nulla ratione increbuerit, in quo Petrus cum tranquillandis ſuorum animis totus incumberet, pectus ictu ſagittæ confoſſus: animum juſto & gravi dolore, quod tantis oppreſſus calumnijs cogeretur abire, in acie occubuit; neque multò pòſt Abrachenſis Comes à ſe potius, quàm ab hoſtibus ſuperatus; Nam cùm invicto animo, & illæſo corpore, multa illo die & prœlio fortiter & generosè peregiſſet, deficientibus ad extremum viribus, multiſque irruentibus à tergo, à fronte, à lateribus, hinc inde militibus opprimitur. Triduò colligendis ſpolijs, vinciendiſque Petri clientibus, aſſumpto, privati hominis buſto Principis corpus, quod in acie eò uſque jacuerat, ſepelitur. Deinde Rex omnem curam & conatum impendit, ut à Petri familiaribus & charioribus miniſtris conjurationis ſeries, veritaſque minis, pollicitationibus, cruciatibus, ijſque ſi rem ita exigere viſum ſit, omnino exquiſitiſsimis extorqueatur; verùm neque in ijs hominibus, neque in ſecretioribus Petri ſcriniis, quidquam quod debitæ Luſitanorum in Regem fidei vel levem notam inureret, reperitur. Tempore procedente Reginæ precibus, proce-

Petrus in congreſſu indigne occiditur.

Petri innocentiam tempus Alphonſo prodidit.

procerumq́ue multorum lenitus Rex Principis ipſius oſſa in Bataliæ cœnobium magna pompa & apparatu deferre jubet, atque ibi in majori ſacello, tumulo, quem filio Rex erexerat, collocari; Quin & omnes, qui vel in acie comprehenſi, vel aliter hujus criminis opinione laborarent, in ſuam quemlibet dignitatem, ſuaſq́ue divitias, quæ fiſco jam antè ceſſerant, reſtituit, edicto publico teſtatus nullum ipſos Majeſtatis læſæ flagitium commiſiſſe.

Calixto Pontifici adverſus Turcas operam Rex pollicetur.

Pacatis jam Alphonſus rebus domeſticis, ut erat gloriæ cupidus, propagandiq́ue Regni ſui ſtudioſus, multa in hanc rem, eaq́ue præclara ſecum in animo cœpit excogitare. Ea tempeſtate Calixtus Chriſtianos Europę Principes, ut inter ſe ſe vellent adverſus Turcam communem hoſtem in Eccleſiam minaciter ſævientem conſpiratione facta inſurgere, multis & legatis, & literis ſollicitabat; Quam expeditionem ſolus Alphonſus animo forti ac Religioſo ſuſcepit, pollicitus Deo, ſe cum duodecim millibus hominũ proprijs ſtipendijs integro anno dimicaturum. Quo audito Pontifex mirificè recreatus Cruciatam illi conceſsit benevolentis animi gratiam & amorem teſtaturus. Cùm verò id tantum munus, ſuamq́ue in Turcam profectionem Rex nunquam perituræ vellet memoriæ commendare, novos aureos nummos excudi juſsit, quibus apud exteros uteretur, eoſq́ue de Bullę ipſius nomine, Cruciatos maluit appellari. Verùm quæ rerum humanarum conditio eſt, tantis conatibus obſtitit Calixti mors, qua in Europa evulgata, ut abſciſſo capite reliqua membra, ita omnes Principum animi elanguerunt. Solus Alphonſus ſtetit immobilis, totúmque hunc belli apparatum, provinciam mutans, non cauſam, in Africam cenſuit adverſus Mahometanos convertendum.

Pontificis morte belli apparatus ceſsavit.

In Africa Alcacer ab Alphonſo expugnatur

Coactam igitur ex toto Regno ducentorum viginti navigiorum munitiſsimam cladem ipſe cum viginti quinque circiter hominum millibus anno Domini 1458. conſcendit, comitante Ferdinando ejus fratre Duce Viſenſi, & Ferdinando utriuſque patruo, Chriſti militiæ Magiſtro, alijſq́ue Dynaſtis

& viris illustribus, ac prȩcipuo Regni equitatu. Appulit ad *Alcacer Ceguer* civitatem maritimã munitissimam, quindecim ferè passuum millibus Septa distantem. Multis utrinque editis facinoribus arx oppugnata, tandemque die beati Lucę sacro Octobris decimo octavo ejusdem anni fuit expugnata; Quo item die in eam Rex introductus triumphali pompa ac Religioso apparatu neque urbe egredi prius voluit, quàm denuò extructam, militibusque & commeatibus refertam Eduardo Menesio duci ob præclara gesta armorum gloria præcellenti commendavit.

Nostri obsidionem constanter tolerant apud Alcacer.

Quibus peractis Alphonsus Septam, ubi à suis expectabatur, se recepit; At verò priusquàm inde in Lusitaniam proficisceretur, Fezensis Rex triginta millibus equitum, & innumera peditum ac tormentorũ multitudine de repentè coactis adeò fortiter & generosè Alcaçer obsedit, ut neque Alphonsus præsidio esse potuerit, neque fortissima obsessorũ pectora nocturnis, diurnisque Maurorum incursionibus diu obniti posse viderentur. Cùm autem majori ingravescente ciborum, nitratique pulveris penuria arx laborare cœpisset, neque se modus aliquis aperiret, quo Eduardus id Regi significaret, epistolam Gallicè conscribi jussit, quàm volatu suo sagitta in lembum demitteret, qui nuper à Rege missus ad littus appulerat, ut suorum quoquo modo posset cognito statu, illum quàm citissimè sibi renuntiaret, verùm sagitta vento impellente, papyrum in hostium castra dejecit; Quæsitus illico, breviq; repertus, qui Gallicè nosset, litteras Mauro, obsessorumque famem, cęteraque discrimina explicavit; lætabundus ille gratissimo nuncio ad Eduardum misit, qui amicè monerent, ut oblatis vitæ conditionibus, priusquàm inedia absumerentur, de tradenda sibi arce cogitaret. Enimverò scire se aiebat, Lusitanos milites, ne fame penitus interirent, equos sibi in escas interemisse (id quod re ipsa obsessi constituerant, Regique scripserant, nequedum omnino opere compleverant.) Ad hanc legationem Præfectus, quod Lusitanum decebat, generosè respondit; se ad majora

jora discrimina, & graviora certamina diu esse paratum, neque Maurorum incursus aliud sibi, quàm pueriles ludos existimari. Posterâ igitur die triginta, aut amplius equites Eduardi jussu, ex arce egressi tantam in eos stragem, tamque præclara facinora ediderunt, ut Lusitanam fortitudinem mirati Barbari, doloreque perculsi obsidione cesserint, in qua tres & quinquaginta dies perstiterunt, amissis sociorum duobus circiter millibus, in arce verò perpaucis Lusitanis. *Præfecti arcis mira constantia.*

Fezensis autem Rex amissæ urbis dolore, recentisque victoriæ, sui pertæsus, vitam vel in discrimen projicere, vel arce omnino potiri moliebatur; quapropter conuocata multo majori ex toto Regno suo Maurorum, & tormentorum, multitudine redintegratis viribus Alcaçer, ut iterum obsideat, proficiscitur. Præcognitis Eduardus Mauri conatibus de futura obsidione Alphonsum, deque præsenti arcis statu citus admonuit, simul, & subsidiarias copias efflagitavit. Eas Rex quàm velociter potuit, validissimas misit, nobiles adolescentes plurimos, virosque præcipuos, qui & periclitantibus socijs opem ferrent nemine impellente ultrò conscenderant; quo subsidio fretus Præfecti animus, non solùm hostium vires Hocci pendebat, verùm ipsos magis ac magis ad majora sæpè certamina provocabat. Ergò arx diu noctuque recentibus semper incursibus fortiter oppugnari, fortiùs ab invictis militibus propugnari; quorum expertus virtutem malo suo Fezensis Rex, & spe recuperandæ arcis destitutus, tantam illam multitudinem domum remisit seque in suam ditionem dolore tabescens recepit, Lusitanosque vigesimo quarto Augusti anni millesimi, quadringentesimi quinquagesimi noni, dierum trium, & quinquaginta obsidione & sudore liberavit. *Nostri iterum à Rege Fezensi frustra obsidentur.*

11 At verò Alphonsus minimè quiescere, sed maiori Africæ proterendæ amore, magis indies singulos vrgeri. Ergo anno salutis millesimo, quadringentesimo sexagesimo tertio validissima classe, & nobili fortissimorum equitum comitatu illùc *Secunda Alphonsi in Africam expeditio.*

transcendit, parum quidem felici, veùrm non omnino irrito ex sua parte conatu; nam, quia Henrici Principis rei militaris peritissimi consilio, atque ope carebat, nihil aliud egit, quam ut subitis quibusdam incursionibus hostium fines aggressus obuios quosq; occiderett, agros sternere & sui, quod nimis ardebat, corporis, atque animi robur ostentaret. Longe aliter res Ferdinando euenit, qui Princeps alioqui fortissimus, & felicissimus Tingim sine jussu invectus, amissis Lusitanorum quingentis, quorum ducenti occisi, reliqui capti, ægrè euasit. Paucis deinde pòst annis Ferdinandum Principem fratrem suum Rex in Africam misit, qui non minus feliciter quam fortiter eam aggressus bellum Mahometanis intulit pernicioſum, multásque, ac maximas adeptus victorias, capta insuper Anafe maritima Vrbe, plenus spolijs, & gloria in Lusitaniam cum socijs remigravit.

Tertiò in Africam contendit.

Verùm hæc eam animi febrim, qua Maurorum sanguinem Rex ardentissimè sitiebat, non solum non extinguebant, sed etiam vehementius excitabant; quapropter apud se statuit in Africam tertiò navigare. Igitur brevi effecit, ut ex toto Regno exercitus cogeretur, omnium, quos Lusitania ad illud usque tempus in Africam obarmauerat, potentissimus. In eo siquidem expeditiorum militum triginta millia, prima nobilitas, Princeps Ferdinandus Ioannis Regis filius, unà cum Rege ipso tercentorum navigiorum classem Barbaris jure tremendam efficiebant. Illud in hac expeditione memorandum evenit; nobiles quidam ex ijs, qui Regem comitari decreverant, gravissimis inter se odijs disidebant; atque ob hæc, aliáque flagitia ab Ecclesiæ communione publico anathemate obfirmato animo separati vivebant, quod facinus cum Regi pateret, edicto jussit, ne quis eorum antè conscenderet, quàm iujuriam inimico remitteret, & veniam ab Ecclesia impetraret. Non aliter ab illis factum, quàm à Rege decretum, statim omnes antequam amicitiam, atque Ecclesiæ gratiam recuperarunt, adeò generosos animos, sed minimè pios spes adipiscendi honoris magis,

Milites omnes inter se & cum Ecclesia conciliati.

magis, quàm Dei timor à prosequendo scelere avertebat. Igitur classis in Africam brevi appulsa, relicta interim Tingi, quam damnis superioribus irritati animi avidiùs appetebant, Arzilam impetijt nobilem, & antiquam urbem in eadem ora loco munitissimo extructam; Ad cujus conspectum cùm vigesimo Augusti deveniisset, die ejusdem mensis vigesimo quarto, Divo Bartholomæo sacro eam aggressa, uno eodemque incursu, duce Alphonso, qui primus in arenam desiluit, fortiter & feliciter expugnavit. *Arzilla expugnatur.*

13 In eo discrimine equites Lusitani de præcipua nobilitate multi desiderati, quorum obitus & desiderium effecit, ut superstiti exercitui parta victoria nullo quidem pretio, aut saltem perexiguo haberetur: in ea verò Mauri bis mille occisi, quinquies mille capti, spolia octingentorum millium aureorum summam explerunt, ea à Rege militibus distributa.

14 Antequam urbem invaderet, ut cælesti præsidio obarmatus facilius victoria potiretur, sanctissimæ Deiparæ, quam impensè colebat, si urbem expugnare contingeret, equum vovit argenteũ, cui argenteus itidem insideret Rex omni armorũ apparatu ad elegantiam instructus, qualis tunc Alphonsus copias ducebat. Annuerunt Superi, ipséque beneficijs non ingratus in Virginis sanctissimæ fano, cui à Spincto nomen inditum est, prope Eboram, voti fidem absolvit, equumque mira arte elaboratum, & insidentem Regem ex optimo argento dicavit: quod donarium dum Alphonsus superstes fuit, magna intuentium voluptate in templo conservatum est: illo tamen ad superos recepto cœnobiarcha, ut angustam domum dilataret, fundi jussit, argentumque distraxit.

15 Ioannis autem robur, atque animi vigor in hoc prœlio adeò enituit, ut unanimi omnes consensu acclamaverint, meritò eum à parente in ea ætate (decimum sextum agebat annum) equitem obarmandum; quem honorem Rex filio impertijt, in maximo urbis fano propè Ioannis Coutinij Comitis Mariæ defunctum cadaver. Atque ibi ritè obarmato filio nulla

alia ferunt à patre auſpicia exoptata, quàm ut jacenti equiti (Coutinium innuebat) per omnia Deo dante ſimilis evaderet. Quibus peractis rem aſſumptæ arcis præfecturam Henrico Meneſio Valentiæ Comiti duci ſtrenuiſsimo commendavit, Aſſumptæ in cœlum Virgini fanum dicavit, quo die noſtris hominibus admodum glorioſo ex Luſitania claſsis in Africam ſolverat. Arzila igitur capta, talis habitatores Tingitanæ urbis horror invaſit, ut raptis quilibet divitijs ſuis, deſerta penitus civitate, in tutiora profugerint; cujus rei nuncium vigeſimo nono Auguſti ad Regem delatum univerſum ſanè exercitum magis, quàm credi poſſet, exhilaravit; erat enim id factum non leve auſpicium, Luſitanos Dei prœlia Arzilæ, Deum verò Tingi præliari.

Tingis à Luſitano occupatur.

Ergo Rex ſtatim præmiſit, qui vacuam defenſore urbem occuparent; præcurrunt citatiſsimis equis, atque illam apertis portis, vacuis ædibus, majoribus, minoribuſque tormentis, ac ſulphureo pulvere refectam inveniunt; Ipſe ſubinde Alphonſus ſubtriſti aliquantulum vultu, eam ingreditur; Enim verò memoria patrui Principis Ferdinandi ibi amiſsi in ipſo ingreſſu animum Regis puſſarat. Sed crediderim potius incruentam illam victoriam, urbemque hoſtibus vacuam dolori Alphonſo fuiſſe: quippe Rex Marti natus, & gloriæ avidus, ſuo, ſuorumque Luſitanorum generoſis animis præreptam belli gerendi occaſionem, ac militarium virtutum theatrum doluit à fortuna denegatum. Mox civitati Epiſcopum elegit, Roderico de Mello majori ſuo cuſtodi, Comiti poſteà Olevenciæ præfecturam tradidit; donis inſuper milites ſingulos, eos verò, quorum major extitit virtus, majoribus auxit. Atque hæc omnia, quod jure mirabere, intra tres & triginta dies cœpta, agitata, confecta, ut jam Cæſarea agilitas præ Alphonſi celeritate vileſcat, qui ſuis exinde adſcribi titulis Turdetanam utramque Provinciam atque Africam imperavit. 16

Suſcepit ex Elizabetha filios tres, Ioannem, queminfantulũ 17

cælum

cælum rapuit; Ioannã, quæ puella adhuc tenera se aula proripuit, atque à decimo octavo ætatis anno ad trigesimum octavum (neque enim amplius vitam produxit) in oppido Aveiro, inter Moniales una multis miraculis clara sanctissimè vixit; tertius Ioannes fuit hujus nominis secundus Lusitaniæ Rex; sequutus deinde Reginæ obitus secundo Novembris anni millesimi quadringentesimi, sexagesimi quinti ex sanguinis gravi profluvio, non sine veneni suspicione, ejus corpus Bataliam delatum, maximè solemnibus omnium, quas ad id usque tempus Lusitania viderat, exequijs conditur. Illam verò natura corporis, atque animi dotibus ad miraculum exornaverat, rara prudentia, & religione, ac mirabili calamitatum tolerantia; vidit occisum patrem, germanosque interemptos, neqne tamen de amore, & reverentia marito Regi debitis quidquam omisit, atque idcirco illi semper extitit gratiosa. *Alphonsi proles.*

17 Mortua Elizabetha, Rex sponsam accepit Ioannam Henrici Castellę Regis IV. & Ioannæ filiam, in cujus dotẽ ei Regnorum Castellę & Legionis Iura, magno Lusitanię malo obuenerunt; nam dum ea tueri, sibique seruare illęsa conatur Alphonsus memorabili illo prælio, apud Taurum, vinci alioqui nescius, superatur. Non ita verò Ioannes illius filius, qui dum in eodem loco cum parte hostium non mediocri strenuè dimicat, eos omnino fugat, campoque potitur, in quo victor dies aliquot commoratus, fusum parentis exercitum ad se collegit; Alphonsus autem pudorẽ magis, quàm damnum (neque enim id magni momenti fuerat) graviter sentiens, à Ludovico XI. rogaturus auxilium in Galliam proficiscitur, exceptus à Rege honorificè, cùm inanibus pollicitationibus, & tanto Principe admodũ indignis modis tẽpus paulatim distrahi intelligeret, quoniam bellum hominibus pro sua dignitate inferre nequibat, pacem à Deo constituit efflagitare. Ergo privati hominis habitu Hierosolymam tendit, quo Rex olim cum potenti exercitu ire decreverat; verùm à suis, aliquotque nobilibus

Post Elizabetham Alphonso Ioanna desponsetur.

Tauri prælium.

In Galliam quæsitum auxilia proficiscitur.

Gallis,qui ſtatim eum inſequuti diligenter queſierant, inventus,à proſequendo itinere diſſuaſus in Luſitaniam iterum corporis animíque laboribus afflictatus graviter,reuerſus eſt. Vbi Ioannem Principem invenit, Regio non minus titulo, quàm auctoritate,quod ipſe ex Gallia juſſerat imperantem.

Ioannes parenti ex Galliaredeunti imperium offert.

Nihil jucundius optimo filio,quàm integram Regiam poteſtatem, quaſi mutuò acceptam parenti optimo redonare, neque ullis, vel imperijs,vel ſupplicationibus potuit à patre impelli,ut ſaltem Luſitaniæ Regis titulum conſervaret, dum ipſe Turdetanorum atque Africæ Regno contentus vitam in ea domanda, quod maximè exoptaverat, conſumeret. Ioannes tamen in ſententia perſtitit, identidem aſſeverans, majus ſibi oblectamentum afferre parentem in Regnum & patriam reſtitutum, quàm ſi ſolido mundi imperio potiretur. Coactus igitur Alphonſus, Regni ſui adminiſtrationem, paciſque fœdera, cum Caſtella inire, tempori ceſsit, verùm indigniſsimè ferens, ſponſam Ioannam, quam propter excellentes naturæ dotes, excellentem Dominam appellabant, ſpe Regnorum Caſtellæ ac Luſitaniæ deturbatam, atque ne graviora damna inſurgerent,monialium vitam in cœnobio Divę Claræ, quod Scalabi erexerat,profiteri compulſam. Ex quibus,alijſque doloribus,procedente tempore, melancholiâ cœpit,cordiſq; alijs afflictionibus vehementer gravari; imò & paulatim eſt aſumptus. Cintrę in eadem domo, in qua vitam hauſerat, depoſuit die octava Auguſti anni 1481.poſt annos quadraginta novem, & ſeptem menſes;è quibus regnavit quadraginta tres; Ejus oſſa cum cæteris Regibus Bataliæ condita jacent.

Mors Alphonſi.

Alphonſi ſtatura procera: corpus robuſtum; perſona verè Regia:nimium grata;vultus propè rotundus;barba nigra,plurima, ſpiſſata, frons à trigeſimo anno calva; memoria valida, ingenium perſpicax; ſermo purus; ars ſcribendi perfecta; eruditio vigens; amor litterarum notiſsimus, atque ideo doctos homines & Religioſos in ſuam conſuetudinem ſæpè, & colloquia advocabat. Primus omnium Luſitanorum Regum in

Corporis forma & habitudo.

pro-

proprijs ædibus ex optimis quibuſque libris, inſignem bibliothecam juſsit inſtitui. Fuit inſuper Muſicæ deditus, victu & potu modicus, ad miraculum continens, Fidei propugnator; Dei inſignis cultor; militiæ vividus & generoſus, domi aliquantiſper tardus atque remiſſus.

In ſublevandam pauperum inopiam propenſus; liberalitate adeò inſignis, ut de Regijs præſertim bonis plura, quàm vel ipſe poſſet, vel Regni anguſtiæ ferrent, erogarit; iram tam difficile concipiebat, quàm facile injurias condonabat; in privatis colloquijs perurbanus; nobilibus, ac dynaſtis magis, quàm Regem decuit, morem gerebat; ex quo illis præbita occaſio eſt, ut ſeverius, quàm par erat, ſuis quilibet clientibus imperarent; quam licentiam poſteà cùm Ioannes coercere niteretur, magno id ſudore, vitæque diſcrimine peregit. Tot præclaris hiſce animi dotibus coronidem impoſuit, illa in redimendos captivos profuſa largitas adeò nota, ut captivorum Redemptor vulgo nominaretur. Cujus rei egregium occurrit exemplum: Magna auri argentiſque talenta pro conjugibus, & filio cum Septa olim captis Moleixequius Fezenſis Rex Regi Alphonſo offerebat, verùm ipſe ſpretis Mauri divitijs ſola Ferdinandi patrui ſui oſſa, quæ Fezi in lignea capſula ſupra urbis portam detinebantur, in pretium poſtulavit; quæ anno à partu Virginis 1472. Olyſipponem appulſa, apparatu omnino Regio in Bataliæ cœnobium delata fuerunt.

Alphonſi beneficentia & largitas.

Oſſa patruis Ferdinandi multa pecuniæ prætulit.

Nomiſmatis, quæ vidimus cum ipſius effigie in adverſa facie, incidi juſsit tympanum hydraulicum (Luſitanè dicitur *Rodizio*) quod aquam ligneis radijs, ſive aſſulis excipiens molam in piſtrinis aquarijs circumfert. Addita tertia perſona verbi ſubſtantivi *eſt*, quę à noſtris effertur per *e* ſimplex: ita ut hęc eſſet integra inſcriptio, *E Rodizio*, quæ Luſitano idiomate duplicem reddit ſenſum; alterum obvium ac trivialem, nempe id eſſe, quod numero exculptum videbatur; alterum occultiorẽ, ſcilicet, *Erro, dicito.* Hoc enim Luſitanis quoque ſonat, illa verborum complicatio, *Erro, dizeo.* Homo quippe cùm eſſet, humano-

Hydraulicum tympanum cur nummis inſculpſerit.

manorum errorum à se nihil alienum putabat, seque paratum profitebatur ad eos expungendos, non solùm si prudentiores consiliarij admonerent, sed si quilibet è populo quidvis diceret, quod è re magis futurum videretur. Historiographi aliqui contendunt cælaturæ, & inscriptioni causam dedisse varia de perpetuo ejus cælibatu judicia post amissam uxorem, cum viginti annos tunc modicum excessisset. Vt enim id se consultò egisse nosceretur, paratum se indicabat ad reddendam rationem cuilibet, qui aliquam ex aduerso attulisset. Arbitror tamen, ipsum, & ætatis flexu, & diuturna experientia edoctum quantum Regno nocuerit, dum salitaria Principis Petri avunculi, & soceri, fideliumque clientum monita, contempsit, voluisse omnibus testatum relinquere, Regibus esse inprimis necessarium, sana consulentium, & si minus dulcia, monitiones benevolis auribus excipere; seque dum eas respuit, insignem in errorem fuisse provolutum. Vel hæc, vel illa inscriptionis fuerit origo, non minor laus est summi Principis populares ad indicandum suum errorem provocare, quam erroris admissi cognitionem, & objurgationem non detrectare.

Reges aures bonis consiliarijs aperiant.

AD ALPHONSVM V. IN AFRICAM tendentem.

Cui dextram, & robur ferus inuidisset Achilles,
Alphonsus Libycam classe petebat hi.
Obvia cui Pallas Mavortia, suscipe, dixit,
Ægida, quæ vultu saxea corda facit.
Tunc ait Alphonsus tollens ad sydera dextram;
Ægida de clypeo quolibet ista facit.
Vivum hostem cupio, non saxea corda trucido,
Nam qui saxa ferit, saxeus, inquit, erit.
O utinam Æacides, vel Mars concurrat in armis,
Quos mereor titulos solus uterque dabit.

Ad eundem partâ victoriâ.

Dum Rex consilio, vincit dum viribus Afrum,
Tempora dum bellis callidus apta legit.
Mars, ait, armipotens ter Principe vincor ab uno:
Consilijs, apto tempore, deinde manu.

Vna manus vel me ter vincit, idonea pugnis
Tempora, quæ duris, consiliisque facit.

Ad eundem ob eandem causam.

Viribus Herculeis pugnaci major Achille,
In Lybicis Lybiam Rex tumulabat agris.
Pallida cum torva pendebat in aëre Mavors,
Et bellosa suis torva, feroxque minis.
In quos Alphonsus convertens lumina Princeps,
Inter Maurorum funera lætus, ait.
In pugnas agnosco animos, agnosco furores.
Non opus est armis nunc, inhibete manus:
Inspectate rogo pugnas, positis ut omnes
Discere de bellis, bella cicre meis.

Ad eundem.

Dum Rex Tingeas subvertere destinat arces,
Tempora belligeris dum notat apta dolis.
Ante tulit gressum vaga fama, & vocibus aures
Occupat, & trepido corda inimica metu.
Per caligantem fugêre examina noctem
Absque armis Maurum Martia fama fugat.
Si tantum, Rex, fama potest sine sanguine; quantum
Fulmineo poterit fortior igne manus?

Ad eundem.

Quod fuit Æacidæ fulgentibus Ilion armis,
Hoc fuit Alphonso Lybs, Libyæque duces.
Hic titulos hasta, fusoque cruore notavit,
Monstrat adhuc veteres Africa picta notas.
Maurus ait nato monstrans vestigia pugnæ,
Qui Libyam hic vicit non homo, fulmen erat.
Fulmen habent oculi, fulmenque immane lacerti,
Frons quoque fulminea est, fulmineumque latus.
Qua ruit, apparet via, fulminis; Africa talis
Apparet, qualem tam grave fulmen agit.
Desperanda salus, Rex hic ubi fulminat; armis
Hujus victa cohors talia dicta dabat.
Nec fax, nec ferrum, nec vis adamantina; Mors Rex
Sola potest Maurum surripuisse tibi.



IOANNES PORTVGALLIÆ REX XIII.
VIXIT AN. XL. OBIIT Aº. M. CCCC. VC.

IOANNES II.
LVSITANIAE
REX XIV.

ANACEPHALEOSIS XVI.

IOannes hoc nomine II. (quoniam virtutum illius, tot etiam præeuntibus Historicis, facere compendium juvat) ob incomparabilem rerum splendorem,& gloriam ingentiáque tum animi, tũ corporis ornamenta,Maximi agnomine meritissimo cõdecoratus,anno salutis humanæ 1455. genitus est Olysipone quarto Nonas Majas. A prima pueritia principalibus disciplinis,ut Regem potentissimum decebat, liberaliter instructus est; puerque animi cœpit argumenta prodere iam maturi, cum grauissimis de Republica consilijs admissus à Patre, non sine totius senatus admiratione interesset. Vnde considerato tanti Principis ingenio,atque indole,affirmare nõ vereor,eum naturam pulcherrimõ Regum omnium exemplo non secus peperisse, ac Tullius Oratorem numeris omnibus absolutum fingit, imitandumque proponit. Testes prouoco ad eos, qui Ioannis historiam animo non alieno terant.

Ioannis ortus & infantia.

Ioannes optimi Regis forma.

Annum agens decimum quintum Eleonoram duxit Principis Ferdinandi & Beatricis filiam, cognatione patruelem: ex qua unicam prolem suscepit Alphonsum, qui cùm Isabellam Catholicis natam è Regibus,in matrimonio haberet,à nuptijs paucos intra menses, Scalabi concitato ex equo prolapsus, expiravit. Patre vita functo,pridie Kalend. Septembris anno 1481. menses quatuor, annos sex & viginti natus, Regio positus est in fastigio. Fuit prudentia prope singulari; aperta mentis acie; præsentissimo,acerrimóque ingenio; memoria præstanti;cor-

Ejus uxor & filius.

Regis prudentia & alia dotes.

poris animiq; bonis omnibus apprimè cumulatus; Modeſtus in ſermone, ac non nihil cunctabundus; ponderis, veritatiſque cultor eximius; virtute præditus inſigni; animo forti & alto; cogitationibus ampliſsimis; ijſque in divino cultu & Regno propagando ſemper occupatis. Suapte natura robuſtiſsimus, & lacertoſus adeò, ut in diſco & jaculo contorquẽdo emineret; ac ſæpè uno ictu tres ſimul, quatuorvè prægrãdes cereos, cæſim diſtricto enſe medios ſecaret, unicè paratus ad omnes artes; ſaltator egregius; equitandi quolibet ephippio peritiſsimus; aucupio, venationeq; mirificè recreabatur; luctæ, & hoc genus virũ exercitationib. deditos amabat plurimũ; ſæpè ſpectator aderat. Vnde Luſitanorũ ea tẽpeſtate ad has artes mira fuit alacritas.

Vires & exercitamenta.

Robuſtos ſibi adjungebat.

Semel intempeſta nocte Ferdinando Martino Maſcarenia, Regis cuſtodiæ præfecto, iterum viro primario comite egreſſus, cùm armatum in globum incidiſſet, adeò ſtrenuè dimicavit, ut prope majorem graſſatorum partem vulneraverit. Hos, facta mox per chiurgos inquiſitione, curari Regijs impẽſis iuſſit, ac deinde reſtitutis viribus, ob exploratam fortitudinem in familiam aſcivit. Alcocheti in ludo, cùm arenam ad ſpectaculum pertranſiret, adverſus taurum è cavea fortuitò elapſum, cæteris diffugientibus, unus ipſe plicato ad ſiniſtrã pallio, gladioq; evaginato perſtitit intrepidus, & Reginã longo cum ancillarum comitatu à tergo ſitam, aliorſum bellua viſam ferri aciem declinante, propugnavit. In Arzillæ irruptione, itemque Taurenſi prælio egregiam poſuit operam, multaque fortiter ac præclarè fecit. Vnde gloriabundus dicere ſolebat: Idcircò tractandis armis ſibimet placuiſſe, quò milites deinceps tractare pro meritis ſciret. Pati non poterat, edictoque vetuit, ne quis ante robuſtam ætatem puer gladio accingeretur; eo argumento, quod cum ijs, quibus impares erant, congreſsi, ac malè mulctati, fracto ſemel animo, fierent in poſterum timidiores.

Taurum gladio ſolus avertit.

Pietas in Dei matrẽ & quinque Chriſti plagas.

Hanc fortitudinem habuit pari cum pietate fœderatam, mira quippe fuit in res divinas propenſione, & in ſuperos omnes, ac beatam præcipuè Dei Matrẽ obſervantia; utpote quam per-

ſingu-

singulos dies horis, & id genus precibus alijs pijssimè demereretur. E Christi Domini tormentis, plagas quinque singulari quadam religione prosequutus; quam nuncupato etiam voto annuendi, quicquid ijs interpositis obsecraretur, stabilivit. Rem diu secretam data propè mortem occasione, patefecit. Adstabat morienti è primaria nobilitate quidam, is extremas rei familiaris angustias professus, Regem enixè deprecatus est ob Christi vulnera, ut suam egestatem aliquo ante obitum auxilio relevaret. Tum verò Ioannes insita misericordia, præter annuos reditus non mediocres, homini, qua utebatur, argenteam supellectilem universam dono dedit. In Passionis exequialibus feriis, quo maximè totius anni tempore, anniversario ritu Christo Seruatori Orbis parentat Christianus, cùm templa de more percurreret, eum facta obviàm fœmina per illius diei Religiosam memoriam, & Christi mortem ac plagas rogavit impensè, ut marito capitis damnato, veniam, vitamque donaret; At Ioannes, Ampliora vellem, inquit, hoc à me nomine postulares: certè, quod petis, libentissimè concedo: è vestigioque hominem absolvit. Per eos continenter dies atratus coram augustissimo Eucharistiæ sacramento perseverabat.

Christi passionē quanto affectu coleret & celebraret.

Quocumque se reciperet, privatum clausumque habebat sacellum, ubi per singulas noctes, lachrymis, precibusque fusis, ultra horarium spatium, ut qui cum Deo de negotijs familiarissimè communicaret, pij commentationibus insumebat. Nullo non die divinis rebus singulari quadam cum pietate, & affectu interfuit; qua in re duo præcipuè sunt illius digna memoratu facta. Semel enim recitanti Canonicas horas socio Regij sacelli Decano (is erat Iacobus Sosa, posteà Braccarensis Archiepiscopus) crepida excidit: quam cùm Decanus arreptam de genu conaretur inducere, acriter obnixus, indignatusque Ioannes; Tu ne, inquit, qua manu sacra facis, ea pedes meos tractare, vel crepidam parabas? & abire jusso, ac domi esse, donec aliter ipse decerneret,

Rei divinæ quam frequens auditor.

Sacerdotem calceum sibi inducere tentantem graviter reprehendit.

integrum menſem diſsimulauit. Eandem ſecundò pietatẽ exhibuit in baptiſmo Magiſtri Antonij, qui Regius erat chirurgus, natione Iudæus, in quo & communis lætitiæ cauſa magnificè multa edidit, & ſponſor fuit adeo diligens, ut deſiderata, neſcio qua è lino faſcia, ipſe ſibi ſubuculæ manicam abſciderit, ne quid in parando moræ, ad rem adeò ſacram, ut acebat, interponeretur. Cætera ad Religionem, ac divinum cultum pertinentia diligentiſsimè procuravit. Auctor fuit, ut ſingulis quibuſque diebus in Regio ſacello (quod hodieque fit) res divinæ ſummo cum apparatu, & ſolenni quodam cantorum, ac ſacerdotum choragio celebrarentur. Poſt obitum in ſcrinio, cujus ipſe clavem nunquam alteri vivus permiſerat, confeſsionis inſtructio, verbera, ciliciumque inventa ſunt, omnia uſu aſsiduo detrita, odio alieniſsimus, ijs, quorum conſuetudinem moleſtè ferebat, id verò apertè ſignificabat; & procerum quilibet, quis erga ſe Regis eſſet animus, compertum habebat. Identidemque illud uſurpabat, ſimultates timidi ſpiritus eſſe ac demiſsi. Perrarò excanduit, & iracundiam, ſi quibus rumperet verbis, matura pœnitudine temperabat adeò, ut Iacobus Ortizius Antiſtes, qui à confeſsionibus illi erat, Ioannem, ſi peccator eſſet, æquè peccatorum pœnitere dictitaret.

In Iudæi baptiſmo pietas.

Poſt obitum macerationis inſtrumenta in ſcrinio reperta.

Quo in quemque eſſet animo ſtatim aperiebat.

Iracundiam quàm frænaverit.

Sed, quia pientiſsimi Regis exempla delibare inſtitui, gradum ad alia faciam, & quæ præſtantiſsima ſunt, qua potero, brevitate perſtringam. Rodericus Soſa vir erat æquè generoſus ac longævus, magnoque pro meritis apud Regem in numero. Is Eboræ, cum jure decidendum, neſcio quid, à Ioanne precaretur, eo abnuente, prælicenter iram evomuit; quod Rex iniquiſsimo animo tulit, & Roderico mox abſcedere ſubirato ac minaci vultu juſsit. Vix terga dederat, ecce tibi ad ſe rediens Ioannes cum aliquot ex aulicis, qui aderant, ad Rodericum ſe confert, & benevolè poſtulato ad meridiandum lectulo, conquieſcit. Evocat deinde Ioannem Soſam Roderici filium, eoque præſente, ad patrem converſus; Quæ nuper, inquit, Roderice, coram me jactaſti, malè iccirco non potui non multare, quia

Equitem cui iratus fuerat quam comiter eadem die tractaverit.

quia ut Regem me, non ut privatum offenderant; è contrà si forent, æquo te ac Ioannes, qui adest (Roderici filium digito monstrabat) animo tolerarem; tamen nihilominus ac Ioannis hujus loco essem apud te, precor, ut mihi ignoscas nuperam magnoperè dolenti asperitatem. Ad extremum pomeridiano tempore, cùm reliqui ad Regem proceres confluxissent, ipse propalam honoris ergò, inter Rodericum ac Ioannem ejus filium, medius in aulam rediit. Is erat Ioannes, hæc illius civilitas, quàm præcipuè in famulorum colloquijs ostendebat, cùm de familia, rebusque familiaribus unumquemque rogitaret, ac patrem potius quàm Imperatorem agere videretur. Inde factum, ut Isabella Castellę Regina suo rem hanc testimonio confirmaret. Hortabantur virilis animi fœminam proceres, ut Lusitano bellum inferret, rogantique suorum, ac Ioannis militum numerum, cùm sibi duo de viginti; Regi verò ad octo millia esse responderent; At nos, inquit, milites: Ioannes filios numerat.

A suis ut à filijs parens amabatur.

Nec ea re tamen Imperatorium fastigium demittebat, & cùm summa esset apud omnes in reverentia, solo intuitu plures ipse in turba, quàm fascibus ostiarij, vel prætores, via decedere compellebat. Neutiquam patiebatur, siquis eum privata etiam familiaritate conjunctissimus pro Regia dignitate non tractaret. Ad literis de more subscribendis intentum Crati Prior, magna auctoritate vir, & Regi charissimus, aperto semel capite, utpotè à tergo accesserat: quem cùm Ioannes conspicatus esset, Abscede, inquit, Prior, Regi aversum nihil est. Consiliarios libentissimè cùm audiret, ac de majoribus etiam negotijs consuleret, id verò summoperè cavebat, ne quis eorum Regem à se regi, aut in alienam sententiam distrahi putaret. Tolerabiliora esse dicebat privata Imperatoris peccata, vel gravissima, quàm si alterius arbitrio Rempublicam contra popularium commoda, Imperatoriamque majestatem gubernaret. Ioannis hunc stomachum Anglicæ Reginæ frater, & Scalarum dynasta sententiosè admodum prædicabat. Reversus

Omnium in Ioannem reverentia.

Ille omnibus, nemo illi imperabat.

ſus quippe in patriam ex Hiſpania, & rogatus à Leuiro, quid præſtantiſsimum vidiſſet; Virum Luſitanum ſibi ante omnia placuiſſe reſpondit, cui, ut obtemperabant omnes, & nemo imperabat, pulcherrimo elogio id uno de Ioanne affirmans, quod Pyrrhy quondam legatus de Romana civitate uniuerſa. Nec defuêre qui hanc illius in tuenda dignitate conſtantiam muſitabundi alieno vocabulo rivalitatem appellarent: perinde ac ſi, quibus præditus erat, magnitudo animi, prudentia, virtus, & rectè factorum tranquilla conſcientia, quamlibet diffidentiam, à qua longiſsimè aberat, ſuperare non poſſent.

Damnum ſuo favore illatum, etiam antequam moneretur, reſarcivit.

Peractâ ſemel confeſsione, rogare (qui mos ille erat) ſacerdotem ita cœpit: Hæc mihi, pater, meorum ſcelerum anquirenti occurrere; Siquid præteritum eſt, quod ipſe noris, per Deum obteſtor, ut indices. Tum verò ille; Literas, ait, conceſsiſti Algarbienſi homini, quarum auctoritate factum eſt, ut quidam alius quingentorum aureorum latâ ſententiâ mulctaretur. Ad hoc Ioannes; Ita planè, inquit, factum; Ego tamen id falſâ relatione deceptus commiſi: Cæterum veritate poſtmodũ compertâ, ne literas novo diplomate revocarem, homini clam accerſito damnũ reſarci & imperavi, ne diſſeminaret. Hac nempe erat animi confidentia, & in omnes æquitate; cujus etiam vulgo ſeruantiſsimus, nec immerito habebatur. Etenim juredicundo ſine litigantium reſpectu id, quod æquiſsimum erat, non tetricè, aut pro ſumma poteſtate, ſed incorruptè pronuntiabat. 8

Capite damnatos mallebat in exilium mitti, & cur.

Nec minor in clementia, quoties in capitalium cauſarum tribunali aderat, ſenatoribus identidem mandabat, ut reos ſumma cum parſimonia condemnarent: quippe quod vir quilibet difficulter, ac non niſi magnis ſumptibus educaretur; Inſulas ſibi eſſe multas, quas colere & habitare majus operæ pretium foret; ibi exulare poſſe. Vnde ſi qui capite plectendi eximijs viribus, aut quavis alia laude conſpicerentur, incolumitate ac veniâ libentiſsimè donabat. Eam humanitatem- 9

duos

duos in fratres germanos oſtendit, qui ad oppidum Portel proſcripti graſſabantur; Ad hos capiendos, ligandoſq; miſſus prætor, & ſatellitum non exigua manus; quibus impreſsione factâ graſſatores adeò ſtrenuè repugnarunt, ut capi, niſi jam defeſsi, & graviter vulnerati non potuerint: tandem in ſuſpendium adacti ſunt. Quod ubi Ioannes reſcivit, indignè prætoris ſententiam verbis aſperè punijt, illud maximè incuſans, quod magis è Repub. Deiſque obſequio videretur futurum, ſi tam ſtrenui milites non in crucem, ſed in Africæ præſidia mitterentur. Hoc genus exempla multa edidit, quæ ſi ad unum perſequerer, longiùs quàm par foret excurrerem.

10 Et verò, cùm artes alat honos, eâ tempeſtate Luſitani bellicâ virtute inſignes eſſe, videriſque affectabant, utpote quos ad id decoris tanta Regis benevolentia non mediocriter incitaret. Accipe non extrarium, aut vulgare Chriſtianæ pietatis argumentum. Aderat Eboræ in Capitalium rerum ſenatu, cùm adverſus homicidam laquei ſententia pronuntiaretur: is audito judicio, Regiſque ad genua provolutus; Quartus decimus, inquit, Domine, agitur annus, ex quo in carcerem conjectus ſum: dum mihi, quibus judices poſſem corrumpere, ſuppetebant, capitis diſcrimen evaſi; Nunc ubi res familiaris tota largiendo exhauſta eſt, ad necem non tam ipſe, quàm conjux, liberiſque mei, quibus ad vitam alendam nihil ſupereſt, rapiuntur. hoc ſi maturius fieret, quanvis ego morerer, certè viverent illi. Tum verò Ioannes, auditâ ſupplicis querimoniâ, ingemuit ex intimo ſenſu, ſenatoreſque reſpiciens, In vos, inquit, hæc pœna æquiori jure conſtitueretur, neque impunè dimiſſo, & in palatij ædificia emancipato denarium per ſingulos dies in mercedem rependi juſsit. En Ioannis integritatem, clementiamque; quarum altera, non minus in ſequentibus elucet.

Reum absolvit qui Iudicum corruptela diu in carcere fuerat.

Iudices hinc diſcant.

11 Doctus prætorem quendam ita eſſe affectum, ut litigatores ægrè ad cauſam, munera verò impudentiſsimè admitteret, e-

Prætorem munerum amatorem, ſed alias diligentem ut monuerit.

vocato

vocato ad se, cùm alioqui vix esset reipublicæ peropportunus, acriter tantùm comminatus; Heus, inquit, Prętor in posterum cave; & manus ad munera præcludito, litigantibus ostium aperito. Sed hæc nimirum in res alienas Ioanni cum alijs ferè communia non ignoro, illud fortasis peculiare, quod in proprijs, ac domesticis eandem retineret æquitatem. Adeò vt non raro liberaliter eos acceperit, qui contra ipsum pro iure, sententiam tulerant. Planum fiet uno, vel altero exemplo. In lite magni ponderis, & momenti, quæ ad Regem pertinebat, non nulli è senatoribus judices fuêre honorarij, qui & contrariæ parti rem intrepidè adjudicarunt. Id ubi Ioannes accepit, non solum boni consuluit, sed eum etiam senatorem, qui prior ita fuerat arbitratus, uberi congiario affecit. Digna profectò res hæc ingenti admiratione, sed propior miraculum est, quæ subsequitur. Etenim ac si Regi morigerarentur, ijdem senatores, cùm litem præfecto Minę (Guineæ urbs est, quam sancti Georgij vocant, à mineralibus nomen mutuata) Regni, seu Coronæ procurator intendisset, pro præfecto constantissimè deciderunt. Nec satis. Vix erat sententia declarata, cùm ex arbitrarijs unus impigrè Ioannem adit, & in morem fausta nuntiantis Euangelia postulat. quę ni retulit, certè adeò humaniter exceptus est, vt Regis aspectus ipse pro mercede supponi videretur. Cæterum, quia causa integrum annum durauerat, instrumentum accuratè inspici & exquiri jussit, an præterea actorum dispendia, vel quid aliud prefecto resarcire teneretur. Ita nempe Ioannes immoderatis etiam tum affectibus imperabat, cum integritate zeloque prætexebantur, quo multi nomine libidines effusissimas dissimulant.

Ioannes incorrupte sententiam contra se ferentes præmijs afficiebant.

Attinebatur in communi carcere Olysipponensi aduena damnatus ad necem. Is mortuum ex composito mentitus, elatusque, è feretro, nactus occasionẽ, auolauit. Nec mora, fugit & carceris præfectus, vt qui culpæ affinis esset; eo tamen diligenter inuestigato, ac deprehenso, Ioannes senatoribus de re deliberaturis adfuit; Ad cuius arbitrium cùm paribus vtrinque

Cùm paria mortis, ac vitæ essent suffragia, ad clementiorem partem inclinabat.

que ſententijs extremam judices retuliſſent, ancipiti cogitatione pauliſper defixus hæſit, moxque; Ego, inquit, hunc hominem ob ſceleris atrocitatem capitis damnare ſummopere cupiebam; cæterum cum mortis, ac uitæ paria ſuffragia ſint, regis non eſt ad inclementiam propendere. Quapropter vitam concedo, cùm mortem vehementius exoptarem. Hæc ille. Qui & exercitam in alios juſtitiam, velut unus è plebe ſeruabat inprimis; & conditis à ſe legibus, perinde ac teneretur, obtempe- *Legibus à ſe latis obe-* rabat. Id verò ſæpe, multiſque in rebus palam fecit. Edicto *diebat.* prohibuit ſericas veſtes, & aureas: quibus & inpoſterum abſtinuit. Interdicto mularum equeſtri uſu, mulam deinceps, valetudinarius alioqui, non inſcendit. Talorum, & aleæ, cæte- *Ludi hoſtis* riſque ludis à ſe vetitis deinde temperauit; quorũ ſtudioſos, & *aleatorium* vanè dejerantes crudeliter inſectatus adeò eſt, vt Olyſipponen- *incendit.* ſe aleatorium Iacobi Pirij ad forum Palearium in meridiana luce incendi juſſerit, cum publico infamiæ præconio. Quo facto jacentem ciuitatis diſciplinam non mediocriter erexit. Vitia verò ut perſequebatur hoſtiliter, ita virtute, literis, cæteriſque bonis artibus eruditos, & præcellentes omne genus opifices in pretio habebat. Matronas præſertim viduas, honorificè *Artifices & viduas in* accepit, quibus & faciles, ſed in templis, & omnium conſpectu *pretio habebat.* præbebat aures. Item equites, quorum opera in bello utebatur. Horum laudes prope quotidiano ſermone prædicabat, *Equites* quod in Taurenſi prælio à ſuo nunquam latere diſceſſiſſent, *quanti faceret.* haleculiſque (vulgò Sardinias appellamus) ſimiles eſſe dicebat; multos, iucundi ſaporis, & paratu faciles.

Super omnes tamen ijs plurimùm fauit, quos veraces eſſe *Vera dicentes, etſi ſibi* compererat. Defuncto aulæ œconomo, cùm multi è nobilio- *iniucunda,* ribus ad vacuum locum, vtpotè grauiſsimum, aſpirarent, vni *præferebat.* detulit Ioanni Meneſio, qui Principis domum, ditionemque antè rexerat, & Taroquæ poſtea comes, Cratenſiſque Prior fuit. Aulicis verò eam rem, vt malè ordinatam, & à communi opinione alienam quaſi objicientibus in colloquio; Ideò, inquit, Ioannem ad hoc muneris coopta ui, quia mihi vera po-

tius, quàm dictu ſpecioſa ſemper inculcat. In ordinando Rei-
pub ſtatu, deligendiſque ad officia miniſtris non ſolum pru-
dentia propè divina præditus erat, & omnium mores, ingenia-
que penitiſsimè diſpiciebat; ſed etiam, ut ne quid in cooptãdo
aberraret, privatos habebat codices duos, quorum in altero,
ſua ipſe manu ſubditorum merita & beneficia, quibus eoſdem
renumerari poſſet, exararat; alter optimatum, & equitum no-
mina, ingenitaſque dotes continebat; ſingulos præterea mu-
nerum titulos, ad quæ unumquemque idoneum judicabat,
aſcripſerat: alijs arcium præfecturas & legationes, alijs magi-
ſtratus, vel imperia deſignans. Vnde oriebatur, ut neque ho-
mines ad officia deſideraret, neque in deligendo, & conſtituen-
do, temporis multum inſumeret. Inde etiam multa nec peten-
tibus aut opinantibus beneficia conferebat, alijs verò petenti-
bos, multa ceu jam ijs collata, quibus animo & codice præſti-
tuerat, denegabat.

In altero codice ſuorum merita in alio beneficia ſcribebat.

Hanc verò animi ſui providentiam non minus in abſentes
propagavit. Commoranti enim Hieroſolymis Alvaro Caſtrio
Regiarum facultatum oeconoimiam deſtinavit. Moderamen
domus, quam vocant Supplicationis, Algarbiorum Epiſcopo
decrevit, cùm is eo tempore in urbe non eſſet. Equitem de ſuis
mandatis negotia procurantem in Africa delegit in Senatus
Olyſiponenſis ſcribam. Quo re confecta reverſo, & Regem
de more adeunte; Saluam, inquit Ioannes, familiam repe-
riſti, nam & mihi curæ fuit id ipſum ſæpenumerò cogno-
ſcere. Ergo abi; & officij literas confice tibi à me ideò
reſervati, quia præter dignitatem quæſtuoſum eſt. AE-
gerrimè ferebat, ſi quis è miniſtris aliquid ab eo per
alios impetrare niteretur. Vnde Ferdinando Caprali or-
natiſsimo viro demortuo, cùm ſuperſtes filius Vaſcus
Fernandius præſtantiſsimi Dynaſtæ cujuſdam auctorita-
te paterni cenſus non nihil à Rege flagitaret, ad præſens
conſtantiſsimè abnuit obviàm deinde factum in palatio
adoleſcentem cùm ſatis agnoſceret diſsimulanter, quo patre

Abſentibus & non potentibus munia deſignabat.

Aliquid à ſe per deprecatores contendi ægre ferebat.

natus

natus esset, interrogavit ; Mox audito patris nomine, quasi resipisceret ; Cur ergo, inquit, petere à Rege nescis, cui deservire nosti ? Penè immensum laborem subiissem, si hujuscemodi omnia proderem , quæ in excellentissimo Rege passim reperiebantur ; quapropter multa prudens scienſque prętereo ; Ioannes enim eo in suos erat animo, ut non solum cujusque merita æqua lance pensitaret , sed præstantes etiam viros fauendo, laudandoque alijs redderet acceptos & amabiles.

15 Fidem faciat Rodericus Sosa inter proceres non obscuri nominis. Regem hic Olysipone gravissima necessitate oppressus adijt, cui sublevandæ quinque, sexve aureorum millia sibi opus esse cùm affirmaret, à Ioanne precatus est, ut se in platea nova honorificè aliquo modo tractaret , quo ab intuentibus mercatoribus faciliori negotio mutuaretur. Annuit postulatis Ioannes , & mox inscensis equis, per eandem cum Roderico plateam familiarissimè unum vel alterum spatium fecit, subinde; Satin hoc, inquit, Roderice? Ad id Sosa, Regem ritè ad quem veneratus est, gratiasq; egit: nec frustra; postero enim die optatè cecidit, ut Roderico, quam ipse desiderabat, pecuniæ summa offerretur.

Equitem honoravit, ut is habere posset à quo mutuaretur.

16 Nec tamen fortunas, decus etiam, dignitatemque civium exhibito favore reparabat. Semel inter epulas, cùm ei à poculis esset Petrus Mellius eximiæ fortitudinis eques, urceus tremebundi pocillatoris è manu fortè cecidit : adridٍent aulici; sed vultus insita majestate Ioannes ; Quorsum risus iste? inquit. Mellio, si urceus nunc, at nunquam telum excidit è manibus; quæ non nisi potum porrigendo tremuerunt. Eo dicto conversum in melius est omen ; ad eum propè modum , quo Cæsar exscendens è naui, casuque prolapsus in terram; Teneo te, inquit, Africa.

Risum adstantium in Mellij laudem convertit.

17 Bellicæ virtutis amorem , & in equestri ordine magni æstimabat, & cæterorũ omnium pectoribus inserere cupiebat. De negotio agens cum Martino Albicastrio Regiarum facultatum

Strenuis tantum se daturum beneficia significabat.

tum præfecto, in aulam exteriorem omnium ordinum corona frequentissima plenam devenit, ibiq; sermone de repente mutato, & voce consultò intenta, quasi deliberans aliquem alium repulsa notaret; Nullum, inquit, in hoc hominis beneficium collocabo, quippe qui hastam manu, vel gladium tractare prorsus ignoret: Id quod ideò jactavit, quia circumstantibus documenta dare, & strenuus audire cupiebat. An verò esset, satis, illa Caroli Galliarum Regis præstantissimi sententia declaravit, qui cùm ferè omnes totius Christiani Orbis Principes in se conjuratos audijsset; Nihil curo, inquit, ego enim, sociusque Ioannes Lusitanorum Rex huic profligando bello, quin & orbi terrarum debellando pares sumus.

Caroli Galliarum Regis de Ioanne judicium

In egentes quàm largus

Cæterùm Ioannes pietatis ad omnes titulos munificentissimus, orbas puellas in matrimonium collocabat, vindicabat ex servitute captivos, viduarum egestati opitulabatur, & in hęc aut alia piè misericorditerque facta grandem pecuniæ summam erogabat. Eboræ rei divinæ interfuturus cùm Virginis ad Spinetum adiret, flagrantissimo in æstu in Cœnobium insigne illud, jusso abire comitatu, se recepit; postea verò cùm egressus quatuor equites pro foribus offenderet, ijque Regem ponè sequuti ventilato ad incessum pulvere conspergerent; Quare cum cæteris, inquit, non discessistis ad prandium, ut mandaui? Næ mihi nunc sparso pulvere molesti non essetis. Tum ex ijs unus; Quibus, ait, Domine, prandium domi erat, eò se proripuerunt; nos mansimus, utpote quibus deest. At ille; Rectè, inquit, ego dabo: Eodemque die hominem perpetuo Commendæ censu lucupletavit. 18

Nota Equitum urbanitatem, & Regis comitatem.

Procuratori Flandrico gratum habuit quod pecuniam mutuam suo nomine dederit.

Ejus in Flandria procurator, Maximiliano Romanorum Regi triginta aureorum millia in auxilium summæ necessitatis erogarat. Is postmodò, cùm facti pœniteret, celeriter emisso nuntio, non tam Ioannem de anteacta re certiorem reddidit, quàm veniam deprecatus est, quòd eo inconsulto fecisset. At Ioannes genuina benignitate non solum procuratorem non increpuit, sed collaudato etiam gratificatus mille aureos liberalissimè 19

raliſsimè donavit, illud ſubinde monens, ut ſi opus eſſet, totam pecuniam ſimiles expenderet in occaſiones. Exteris in Regnis, provincijſque variè multos habuit, qui ab eo munificè accepti, ſaluti ejus Reipub. monitis beneficia referebant. Multa prætermitto, quę in Mauritaniam feliciter auſus, penè omnia ſuorum ducum, & militum admirabili virtute perfecit; is enim fuit Ioannes, qui adventitijs laudibus non indigeat, & quem ob incomparabilem rerum ſplendorem ſui colere, atque amare plurimùm deberent. Sed invidia ultimus ſemper hoſtis fuit, & ſuperatu difficillimus; unde magnatum odio laboravit imprimis.

In exteros eius benignitas affluebat

Nam, cùm inter initia principatus comitijs inſtitutis, multorum impudentem licentiam reprimere conaretur, potentiorum animos exagitavit in ſtatuenda privatæ, ac liberioris cuſtodiæ diſciplina, quæ hodiéque retinetur; ad id verò temporis incerta erat, incertiſque definita liminibus. Pati præterea Dynaſtæ non poterant, ut Regis Prætores de ſuis Auditoribus quærerent, & cognoſcerent, cùm id populus ad eorum inſolentiam comprimendam, tollendoſque errores conſtantiſsimè poſtularet. Inde ergo factum non ſemel, vt Brigantinus Dux, & alii tanquam deliberabundi clanculum ea de re colloquerentur, ægrè ferente Ioanne, qui deprehenſis aliàs manifeſtæ perfidiæ veſtigijs, ratus id ſatis ad res componendas fore, Ducem officij ſui commonere conſtituit. Igitur Miſſæ peracto ſacrificio, & argumento à loci, ac temporis Religione, arctiſsimáque inter ſe neceſsitudine deſumpto, remotis arbitris cum eo benevolè; expoſtulavit. Cæterùm paucis pòſt diebus, cùm autographas ejuſdem literas accepiſſet, in quibus clandeſtina de rebus ad majeſtatem pertinentibus conſilia cum Caſtellanis conferebantur, omnia publica fide, atque authoritate comprobauit. Domo deinde ſua in cuſtodiam data, homines utriuſque juris conſultiſsimos Eboram toto è Regno conuocauit; ex quibus cùm patronos deligendi poteſtatem Duci feciſſet, reliquos de re pro Regni legibus, imperijſque deci-

Brigantinus & alij proceres conſpirant.

Occulte Brigantinum officij ſui commonefacit.

Brigantinus post auditam causam capite multatur.

denda judices constituit. Id verò non clanculum, sed palam: cùm maximè Rex ipse, Duxque singulis judicijs interessent. Et quanvis non pauci, & potentissimi Dynastæ intercederent, ad eorumque preces Ioannes inclinaret animum, statuit nihilominus, ut sententia proferretur. Quæ, cùm esset capitalis, non sine magno funeris apparatu, & Christianæ pietatis argumentis in foro maximo ritè cæsus est. Etenim priusquam securi percuteretur, invicta animi sublimitate, quin crimen fateretur, aut inficias iret, non ante exoratam à Rege veniam, jugulum ferro patefecit. Extincto Duce, mox illius opes confiscatæ, & privatæ ditionis oppida in Regiam potestatem sine vi aut armis redacta sunt.

Brigantini frater in Castella emoritur.

Ea cæde velut deterriti multæ Brigantinæ familiæ proceres ac necessarij in Castellam transfugerunt. In quibus Montis majoris Marchio extincti Ducis frater, cujus in Ioanne sugillando libertas, & linguæ intemperantia cùm huic, tum alijs, hoc genus viam fecit ærumnis, quarum ingenti dolore confectus, miserabiliter animam exhalavit. Certò enim audierat se (simulachro ad vivum effecto, sanguinis etiam imitato profluvio) ereptis per summum dedecus & ignominiam Comitis stabilis, ac Marchionis insignibus, propalam Abrantij, non sine perfidiosi elegio fuisse decollatum. Paucis deinde post annis occulta contra Regem conjuratio detecta est, cujus author & caput Iacobus Visensis Dux Ducis enecti levir ac Reginæ frater extitit. Hunc Ioannes post compertam liquidò, & ritè contestatam rei veritatem, suo ipse pugione Cetobricæ confodit; Emmanuëlique ejusdem germano omnia illius bona, quæ ad fiscum pertinebant, liberalissimè donavit. Quem testamento etiam Regni hæredem reliquit, omisso Georgio filio superstite præter matrimonium suscepto ex Anna Mendoza primariæ nobilita-

Iacobus Dux Visensis Reginæ frater à Rege ob conjurationem conficitur.

tis

tis fœmina. Hic eſt Georgius ille Dux Conimbricenſis, Turrium nouarum Marchio, Averij, & antiqui Montis majoris Dynaſta, Aviſianæ, ſanctique Iacobi militiæ Magiſter, quo ſui generis auctore Averienſium Ducum præſtantiſsima familia gloriatur. Ioannes verò in cooptando ad Imperium Emmanuële luculentiſsimum tam prudentiæ, quàm Chriſtianæ pietatis documentum perhibuit. Quæ jam tum prædivinare liceret, cum Alphonſo Principe extincto (cujus in adornandis ex more cum Iſabella nuptijs multa edidit adeò ſplendidè ac magnificè, ut fabuloſa etiam totius antiquitatis exempla ſuperarit) charisſimum filium præmaturè raptum deflevit; Amiſſum Regni ſucceſſorem non doluit, quod is, ut aiebat, delicatus admodum, ideoque ad moderandas Imperij Luſitani habenas parum idoneus videretur. Qui tamen has illius ævi calamitates prudenter æſtimaverit, divinitus accidiſſe non ambiget, quo tanti Regis ingenium, & auguſta Chriſtianæ virtutis indoles poſteris velut inter turbulentiſsimas tempeſtates fulgentiſsimum ſidus illuceſceret.

Georgius notha Ioannis proles Ducum Averienſium parens

Ioannis de Emmanuele Iacobi fratre iudicium.

Alphonſi Principis mors infauſta.

Multa præterea Ioannes memoratu digna geſsit; quippe in Congi Regno ſuis primùm armis tentato templa condidit, in quibus ſalutari aqua Rex ipſe, liberique præter aliam ethnicorum turbam, luſtrati ſunt. Minæ in oppido, quo de ſuprà dixi, arcem ſancti Georgij exædificavit, unde non parva nobiliſsimi auri vis in Luſitaniam quotannis importabatur. Inſtructiſsimis navibus iuclytum Bonæ ſpei promontorium, Conquiſitionis Indicæ januam patefecit. Orientalem deinde plagam cùm AEthiopiam uſque terreſtri quoque, ac periculoſo itinere exploraſſet: ingenti apparata claſſe, Stephanóque Gama, & Vaſco ejus filio, ducibus in expeditionem deſignatis, Indiam cogitabat. Sed fati interventu rem ſuum in tempus dilatam ſibiſe-

Congi Rex ad fidem converſus.

Indicæ navigationis ſub eo initia.

quutus

quutus Rex Emmanuel, quo cœpta erat ordine, uno desiderato Stephano, optatos ad exitus provexit. Addidit Ioannes ad veteres Regum titulos Guineæ dominationem. Regium stemma in eam, qua nunc est, formam redegit: Avisiana Cruce adempta, nummis ad singula scuta appictis quinque: septemque rubricato in margine castellis, cùm anteà incerto numero notaretur ad cuiusque arbitrium, & nummis tricenis unũquodque cælaretur scutum.

Lusitanorum in Africa gesta.

In Africam & ipse proficisci volutabat animo, sed rerum perturbationibus impeditus, eodem quinque circiter classes feliciter expediuit. Eę Maurorum ingenti edita strage aliquot oppida manuceperunt. Vrbem Tingim, & alias Mauris ex aduerso finitimas sepsit munimentis. Azamorum recepit in fidem, alosarum decem mille imperato in singulos annos stipẽdio; dumque vixit, exacto. In Diui Thomæ Iusula, colonia deducta, Iudæorum filios collocauit in seruitutem redactos, quod ad præfixum tempus non emigrauerant; ea quippe conditione ipsorum parentes in Lusitaniam ex Castella conuenerant.

Olysipponẽse nosocomium & Eboræ aquæ ductus.

Olysipponense nosocomium, ad omnes Sanctos, magnificum illud Christianæ pietatis opus, anno MCCCCXCII. Idibus Maijs, nummis aureis liberaliter in primum fundamẽti lapidem sparsis, inchoauit. In Eborensi agro multorum Fontium scaturigines coëmit, vt aquæductum ab illius morte conditum, extrueret Multa præterea toto Regno summæ pietatis, & magnificentiæ, nec non sempiternæ memoriæ reliquit monumenta.

Ioannis statura.

Fuit Ioannes statura mediocri; paulò procerior, concinni corporis æqua proportione; magnæ grauitatis, & Regem illico profitentis; ore oblongo; coloris utriusque temperamento; oculis, & barba venustè nigris; capillo deducto, & rutilo; canescere tricesimo cœpit anno. Ad extremum non sine veneni suspicione valetudinarius, Alboriumque delatus ad balnea,

Sacramentis omnibus ante mortẽ munitur.

morbo ingraescente, domesticos rogauit, vt sibi vera, & certa de suæ vitę statu renuntiarent. Et quoniam testamentum antè

tè condiderat, impendentis fati certus, peracta confessione, & Christi corpore accepto, sacra etiam delibutus vnctione, magnam intereà vim lacrymarũ effudit. Mox veniam ab vxore, Socru, Georgio à Costa Cardinali, Ecclesiastico, & equestri ordine, ac populo, infimis precibus, nec sine aliquot errorum conscientia petijt. Multos deinde officiorum, remissionis, perpetuiq́ue alimenti, aut alijs beneficijs, diplomata sua ipse manu subscribens, pro meritis cumulauit. Aderat moribundo Ioannes Camelus, qui Algarbiensis Episcopus, dignitati exemplo non faciebat satis. Hunc ergò Rex intuitus, Præsul tuis ego perperam factis, inquit, graviter obstrictus, & oneratus excedo. in posterum propter me, te quæso, vitam rectiùs institue, atque ita futurum data mihi dextera, fideq́ue pollicere. datam deinde accepit. *Episcopum arguit.*

Neque illud silentio prætereundum fuit, quod eodem temporis contigit articulo. Nam literas subscripturus perennis Annæ Mendozæ, de qua suprà memini, census: lacrymis ubertim manantibus, & calamo per neglectum remisso suspirans, Ah quam nocens, inquit, animal fui, cùm non didicerim. Vltimo jam in spiritu gustus amaritudinem querenti, Conimbricensis Episcopus suggessit, ut Christi in Cruce sitientis fel, & acetum recoleret: tum Ioannes; Quantas, inquit, Antistes possum, tibi gratias habeo. id mihi, totam Christi Domini passionem repetenti, exciderat è memoria. Episcopis deindè Psalmorum preces fundentibus, ipse verba præeuntum subsequebatur, donec euanescente anima, octavo Kalen. Novemb. anno 1495. ætatis quadragesimo, mensibus sex: principatus quarto decimo, ac duobus mensibus, Alborij in Algarbiensi Regno, sæpissimè invocatis IESV, & MARIAE nominibus, in illis tandem verbis: Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, miserere mei, feliciter expiravit. *Iuuenilem intemperantiam deplorat.* *Ioannis obitus.*

Tanti Principis in occasu supra fidem tota Lusitania miserabiliter indoluit; quippe quem singulari benevolentia prosequeretur, & suas delicias, amoremq́ue velut orbis totius Tutum Roma quondam, potiori jure posset appellare. Nec immeritò *Ioannis symbolum, Pelicanus cum inscriptione pro Lege & pro Grege.*

meritò; Ioannes enim, cùm ſuam erga cives charitatem multis conteſtatam beneficentiæ monumentis reliquiſſet, eam tunc omnino comprobavit, cùm (addito lemmate, Pro L E G E, & G R E G E) pulcherrimum illud Pelicani ſymbolum pectora laniantis, & ſanguinem in pullorum propinantis alimenta, certiſsimum pientiſsimi animi legit argumentum. Communem ergò cladem publico teſtata luctu Regni caput Olyſipo, ſequentibus mox alijs civitatibus, ſenatus conſulto vetuit, ne quis ad ſemeſtre uſque ſpatium tonſor operam locaret. Sed Luſitaniæ finibus contineri dolor immenſus haud poterat: pervaſit orbem, & remotiſsimas etiam nationes, quo Ioannis glorioſum nomen, & fama penetraverat, affecit. Sed ne faſtidio ſim, una inſtar omnium teſtis eſto Iſabella Regina, quam cùm noſter quoque dolor pupugiſſet, Obijt, inquit, Homo; Ioannem eo nomine per antonomaſiam ſignificãs. Georgius item Cardinalis, de quo ſuprà, vir omni laude cumulatiſsimus, qui, cùm patris ipſius beneficio ad ampliſsima quæquè perveniſſet, in Ioannem tamen inimico erat animo, extinctũ audiens, coram præſtantiſsimis Dynaſtis, Optimum Regem optimi hominis filium appellavit.

Dolor omnium in Ioannis obitu.

Quarto poſt obitum anno à Syluenſi templo maximo Ba- 27
taliam (oppidum eſt à commiſſo ibi prælio nomen habens) ad antiqua Luſitanorum Regum mauſoléa pompaticè tranſferendus, integro adhuc corpore, barba, & capillamento inuentus eſt in conditorio, nec ſine jucundiſsimi odoris fragrantia incorruptus, cùm tamen eodem temporis ſpatio tabulæ, tapetum, & linteum ex nimio vivæ calcis injectu ſemeſa conſpicerentur. Divinitus id miraculi ad noſtram uſque perſeveravit ætatem, cùm Sebaſtianus Rex, juſſo aperiri mauſoléo, incorruptam Ioannis dexteram deoſculatus eſt. Et ſanè ad illius virtutes, & ſanctimoniam pro meritis æſtimandam, ſatis eſſe crediderim multorum graviter laborantium teſtimonia, qui ad contactum feretri, quo deportatus eſt (tota quippe Luſitania ejus ramenta ſacras in reliquias abierant) priſtinam valetudinem cæleſti beneficio recuperarunt.

Ioannis cadaver adhuc exeſum non fuit.

Sanitas Ioannis tactu multis impertitur.

IN

IN REGEM IOANNEM Secundum.

O Amor Europæ, Libyæ tremor, optime Princeps,
Qui rate Neptuni terga subacta premis.
Spes alis ingentes ingenti in pectore, nec te
Terra capit, summo partua cura polo.
Viseris immani Regni sub mole, sed orbis
Mens superi miris transvolat astra modis.
Regem animo, Regem ingenio, Regem ordine monstras,
Quo tua Regna regis, Marte aliena domas.
In te, Rex, Mundo Regis monstratur imago.
Qui placidè pacem, fortiter arma regit.
Discet Alexander de te dare munera; Nestor
Consulere; AEacides prælia; sacra Numa.
Regnare AEneas Phrygius; dare jura Lycurgus;
Vincere barbariem Scipio; dura Cato.
Proferre Imperium Cæsar; patriamque tueri
Pompeius; Decij fortia: justa Solon.
In te omnes, Princeps, dotes Natura coegit,
Quæ Regem eximium nobilitare solent.
Invideas nulli gens Lysia Rege sub isto;
Est Rex, quem invideant omnia Regna tibi.

Ad eundem.

Spiritus hic ingens totóque capacior orbe,
Qui Mundum curis transvolat, astra petit.
Territat Europam; Libyam sibi vendicat armis;
Semper ad Eoas promptus anhelat opes.
Non ut possideat, sed donet largius aurum,
Quà patet atherei solij uterque polus.
Ignea magnanimum pectus notat ægide virtus,
Plus face fulmineâ Regia dextra potest.
Quæret amicitiam, qui se defendere tentat,
A quo securus solus amicus erit.
Quæ Regna ingrederis bello, vel classe, repentè
Occupat Imperio nobiliore fides.
Quam tibi, plus fidei dilatas Regno; recedit
Impietas; intrant Numina vera Dei.

Optat religio totum tibi ſubdere Mundum,
Vt quæ ſubdiderit Rex tibi, Regna regat.
Quam libertatem liber ſibi perdidit hoſtis,
Liberior, Princeps, te duce captus habet.
Vince inuicte heros Regna omnia; Nec mora, vinces
Victa tibi victor corpora, corda Deo.

Ad eundem.

Tu patrem armatum teneris complecteris vlnis,
Oſcula per galeam qui tibi ſumma dabat.
Ardentes clypeos, & rubra cornua criſtæ,
Et ſpolia ampla ducum tangere luſus erat.
Spicula tractabas, patrióſque interritus enſes,
Nec nitor armorum territat, atque mina.
Sanguine tinctus adhuc Martis poſt bella cruenti,
Te pater in clypei ſuſtulit orbe ſui.
Is tibi dicebat ſat læto pectore; talis
Qualis ego victo victor ab hoſte, redi.
Dicta patris fiunt; æquas, ſuperáſque parentem.
De tumulo dum te creſcere ſentit, ait;
Optima ſors noſtra eſt; rapuit mors, cuncta triumphis
Solum habet è tumulo creſcere poſſe tuis.

Ad eundem, De Pelicani ſymbolo.

Ingenium Rex magne tuum Pelicanus aperto
Pectore, & effuſo ſanguine vbique refert.
Pro grege fundendum titulus monet: Addit eundem
Pro lege, & ſacro Numine jure dari.
Quod facis exemplo, volucris ſub imagine monſtras,
Propoſitúmque animi monſtrat imago tui;
Sanguinis impenſis Princeps qui Regna tuetur,
Fidam emit impenſa nobiliore fidem.
Quique cruor ſacra pro lege effunditur, aras
Erigit, & certa tendit in aſtra via:
Iſta tui volucris, volucris tu mitis imago,
Inſtruitis Reges ipſe, vel illa pios.
Grande magiſterium volucris; plus nobile vitæ,
Quæ quod monſtrat avis, plus generoſa facit.

Ad

Ad insigne Pelicani.

AEgypti fuerat quondam quæ fabula campis,
In Lusitanis pectora scindit avis.
Scindit, ut impastos distendat sanguine pullos,
Alta vel exesi cordis in antra vocet.
Non ibi pectus avis, neque Rex hic findere parcit,
Vt parcat pullis illa, vel iste suis.
Non tibi nobilitas deerit non Lysia robur,
Quam cruor & Regis nobile pectus alit.
Cæsa minutatim cum sanguine corda feruntur;
En tibi quæ Regis fercula condit amor.
In pastum præbet sua corda, & pectora: pectus
In te ut sit præter, firmaque corda nihil.
Nec te pœniteat Regum Rex maxime, fusus
Quod secum evoluat corda soluta cruor.
Plebs licet æquales nequeat tibi reddere: grato
Saltem aliquas certat corde referre vices.
Pro grege Rex fundes cum pectora, corda, cruorem:
A grege redduntur pectora, corda, cruor.

IOAN.



IOANNA PORTVGALLIÆ PRINCEPS.
VIXIT AN. XXXVIII. OBIIT Aº. MCCCCXC.

IOANNA LVSITANIAE PRINCEPS.

ANACEPHALAEOSIS XVII.

EX tribus, quas præter Regum anacephalæoſes, veluti periucundum auctuarium, daturos ad initium promiſimus, loco poſtrema, virtutibus nulli ſecunda eſt Dominę Ioannæ ſanctiſsimę Principis. Hęc Ioanni Regum huius nominis ſecundo illius fratri adiungenda fuit iure optimo: tum ob perpetuam inter illos amicitiam verè germanam, quæ utriuſque animos arctiſsimè conglutinatos unum fecit: tum ob indiſcretam morum ac virtutum ſimilitudinem, quaſi utrum videres, eadem opera ambos grato errore videres. Qua de cauſa mirabiles hujus ſereniſsimę Principis, & ſanctiſsimæ heroinę virtutes digniſsimæ profectò ſunt, ut lucem videant, omneſque ſuo exemplo ad imitandum provocet, blandeque invitet. *Anacephaleoſeos inſtitutum exponitur.*

1 Alphonſus eo nomine Quintus diu cum Eliſabetha coniuge, omnibus & corporis, & animi dotibus egregiè ornata fęmina ſine prole vixit, quare Regina aſsiduis precibus à Numine filios efflagitabat, qui in avitum Regnum, & regiam pietatem ſuccederent; annuente precibus Deo, brevi victurum infantem, qui Ioannes dictus eſt, atque hoc amiſſo, filiam ſuſceperunt Ioannam, quæ Olyſipone lucem hauſit pridie nonas Februarij anni 1452. ubi ſacri fontis lavacro tincta fuit, Regni Princeps ab omnibus ſolenni ritu dicta, triennio tantum matris educatione potita eſt, quam totius Regni mœrore immatura mors cœlo rapuit, felicem gemina prole ſuperſtite, cui utrique *Ioannæ ortus, eximia pulchritudo & nuptiarum repulſa prima.*

utrique à Ioanne similiter Evangelista nomen indi maluit, ob singularem, in Christi Domini dilectum, pietatem. Defuncta Elisabetha nihil Alphonsus immutari in Reginæ domo passus est, sed omnia in Ioannæ Principis, quamvis tantulæ adhuc esset, obsequium vertit, illam Beatrici Menesiæ pari nobilitate & virtute fœminæ erudendam tradens. Crevit igitur Ioanna non corporis minus, quàm animi pulchritudine, adeò ut miraculi instar esset, & animus in facie quasi in speculo reluceseeret. Multi illam Christiani Orbis Principes famâ commoti, nurum, multi conjugem optabant, & quo tantâ pulchritudine aliquali ratione frui possent, eximios pictores, qui ad vivum exprimerent, in Lusitaniam certatim mittebant, qui omnes, sacramento interposito, affirmabant, nulla artis industria Ioannæ venustatem & hilaritatem posse adæquari, feruntque Ludovicum XI. Galliæ Regem, ubi iconem vidit, in genua provolutum Numini egisse grates, quod tam famosam in terris divinæ pulchritudinis imaginem sibi licuerit contueri. Eam igitur Delphino conjugem, missis in Lusitaniam legatis ab Alphonso petijt: legatione hic lætus, quam in Regni utilitatem mirè facere animadvertebat, Ioannæ rem aperit, & consensum expetit. Hæsit anceps, ubi de nuptijs agi tam seriò vidit, quæ alias sibi animo desponderat, sed qua erat prudentia, ætatis teneritudinem causata, & rerum insciti am, quæ patria domo absenti multum allatura esset nocumenti; nondum virilem Delphini ætatem, qui vix quintum supra decimum inierat annum; fratris præterea valetudinem, cujus immaturum interitum assidui penè morbi minitabantur: propterea que à Regni ipsius utilitate minimè esse eam, ad quam Regni hereditas deferenda foret, externo Principi tradere. Multa pretereà adeò scitè & prudenter in rem suam proposuit, ut admiratus Alphonsus rem in aliud tempus differendam esse decreverit.

Mirus in pueritiæ virtutis progressus.

Interim Ioanna omni pietatis ac virtutum exercitatione in dies crescere, quotidianis Curiæ oblectationibus suffurari sese, tempus majori cum voluptate orationi, quàm confabulationibus

nibus impendere, horarias preces quasi pensum quotidie decurrere, & quo majori animi voluptate psalmorum hymnos recitaret, quæ obscuriora sunt sibi Lusitano idiomate aperienda curavit, ne in Dei laudibus decantandis insscia esset. Christi Domini vitam & sanctorum vitam, assiduè pervolvebat, de ijsque cum aulicis puellis crebrò sermonem texebat, delectabaturque præcipuè in earum sanctarum facinoribus legendis, quæ illibatum Virginitatis florem martyrij sanguine illustratum cruentarunt; Sacro intererat ea compositione, ut religiosæ vitæ fœminis decennis Princeps exemplari merito posset esse. Quotidie se in privatum sacellum recipiebat, ut solitas orationum preces obiret, nulliqué unquam quandiu ibi fuit licuit eam alloqui; ita enim se Numini ociosam tradebat, ut secularibus totam subtraheret negotijs. Illis diebus, quibus anniversaria celebritate Servatoris Christi opprobria & mors recurrunt, miro se silentio mulctabat, vix circa ea, quæ maximè opus essent, verbum proferens, atque hoc etiam abstinebat sacratiori triduò, quo interdiu, noctuque à templo decedebat nunquam; cibum vix gustabat, somno nullatenus tenerum corpusculum recreabat, orationibus intenta, lachrymis ubertim manantibus interna solatia procurabat, quibus minimè avarus Deus satis labores & ærumnas compensabat. Vt Christi Domini imitaretur exemplum Majoris hebdomadæ Jovis die, duodecim mulieres externas, inopes, mendicas, sordidas, pannosas, squalidas, deformes, & quæ nauseam possent excitare, summa industria sibi comparari jubebat: harum sordidos pedes, priusquàm alibi (ut Reginarum deliciæ etiam in asperis facere consuevêre) abluerentur, depositò Regio ornatu, ancillari cultu, ne eam inopes agnoscerent, paucis arbitris, ne in summissionis exercitio populares auras captare videretur, infusa in pelvim aqua, flexis poplitibus blandè sordibus purgabat, mundabat, tergebat, siccabat, & osculabatur; novis posteà vestibus ornatas, & aliqua donatas pecunia dimittebat, inscias quidem à quanam sibi tantum beneficij, Christo tantum

tum obſequij fuerit impenſum. Inde ſe iterum in templum recipiebat, neque uſquequò ſacratiſsimo Paſchæ manè Dominicæ Reſurrectionis lætitia publica pompa celebraretur, pedem aliò efferebat. Mira fuit in egenos pietate & liberalitate; carceres, nozocomia, & cætera hujuſmodi miſerorum domicilia crebriùs inviſi jubebat; ægrotis, egentibus, peregrinis, ſi quos inopia premi ſciebat, liberaliter, erogata ſtipe, ferebat opem; neque uſquam, vel ad meridiem cibum ſumptura accubuit, vel ſub noctem in cubiculum ſe recepit, priuſquàm ab ijs, quorum induſtrię hæc commiſerat, quid actum eſſet ſedulò, & curiosè ediſceret. ſi qui è famulis, aut ijs, qui in curia verſabantur, odio inter ſe diſſidebant, concordiæ ipſa author reſciſſas amicitias omni induſtria redintegrabat, ijs aſpera, qui aut verbis, aut manu promptiores alios læſerant, interdumque paci odia præhabentibus, ſtipendia denegari juſsit.

Varie in ſe ipſam deſeuit.

Hæc in alios Ioanna. ſed in ſe ipſam qualis, quàm ſæua, & hoſtili animo ne iuventutis flore, deliciarum abundantia, regio faſtu, vitij aliquid ſubreperet, vitiorũ fomites fuit inſequuta? Mirum ſanè, ſed omnia virtutis vincit amor, omnia Chriſti Domini exemplum mortalia pectora cogit. Laneas ſibi ſubuculas aſpero è panno, quanvis nõ ita craſſo, ne aliquis ſuſpicioni locus eſſet, arctas ut corpori eſſent intimæ aſſui fecit: has ubi ſemel induebat, ſiue calore aſperiores fierẽt, ſiue frigoris rigore acriùs pungerent, neque diu, neque noctu deponebat, quouſq; ſcaturientium vermium multitudo, ne in exteriores veſtes erumperent, illam deponere, & mundiorem aliam reſumere cogeret; addebat ſæpius cilicinam veſtem, quam arctè conſtrictam laneo induſio ſupponebat, ut doloré dolori, macerationi iungeret macerationem. Quoties Alphonſus pater (crebrò id eveniebat) in Principis domum ſub noctem ibat, ut Regni curas aliquali oblectamento deliniret, hilari facie, & lætabunda procedebat Ioanna, ſed quia modò cum patre, modò cum Ferdinando Principe Regis fratre ſaltare, ex arte compellebatur, quod ipſa miro decore faciebat, quam in comenda facie

cie curam aliæ ponerent, in se crucianda collocabat, & cilicio multiplici voluptuosam saltationem, quam tamen non nisi ex patris præcepto obivit unquam, prædamnabat. Hæc in quindenni puella eò admirabiliora, quò tenerum corpusculum tanti doloris impatiens, quò ætas ludicris quàm serijs accommoda magis, quò aulæ apparatus, & lascivia, ad delicias, & molliorem vitam, quàm ad duram, & asperam conducentia majori erant impedimento, quò hæc omnia summa industria, ne in patris Regis, aut Principis fratris, quorũ utrique carissima erat, & procul dubio omni sollicitudine pijs conatibus obstarent, cognitionem devenirent, celanda essent. Aliud addidit mirandum non minus, sed fortasse rarius, quo satis indicavit, quàm ingeniosa in sui fuerit supplicia. Deliciarum fastidiosa postquam regali in lecto de more accumbebat, ut famulis & patri faceret satis, decedentibus reliquis, è strato insomne corpus corripiebat, atq; in sacellum quod propè cubiculum erat, quasi in asylum confugiens nocturnæ orationi, suspirijs & gemitibus abundè vacabat, quibus statis diebus, modò incruentam, modò sanguineam flagellationem adjungebat, ibique fatigata, & somno oppressa aliquantulum quiescens nocturnis mututinas preces continuabat, donec multo jam die, tacito gradu, ne quis persentisceret, in Regium se lectulum recipiebat, ut famulas, quę vigiliarum ignarę erant, advocaret; itaque Regiam personam, & fastus sustinere cogebatur, nuda humo inter suspiria dormitabat, & nullius sibi flagitij conscium lectum singulis noctibus lachrymarum imbribus irrigabat.

Ingeniosè sibi supplicia excogitat.

Parum hoc, sibique adhuc justo indulgentior cùm videretur, quæ crudeli in sua commoda animo satis non erat, socios advocavit, &, communicato consilio, immanius sibi bellum gerere statuit. Igitur in cubiculo inferiori suberis corticem sterni fecit, & in eo rudem culcitram avium plumis infertam, qualis indigentibus apud nostrates usui est, pro linteis & stragulis laneas vestes crassas & asperas, ijs similes, quibus in Hibernia viliori plebi mos est temporis iniurias repellere: pulvi-

nar arietina lana adeò ſuffartum, ut ad ligni duritiem propius accederet. Huc igitur mobili ſcala (prius enim in cubiculi pavimento ferratis tabulis oſtium recludi fecerat) poſtquam in ſua famulæ receſſerant, incomitata deſcendebat, & quod humanæ imbecillitati quietis indulgere cogebatur, ita invita capiebat, ut veſtium aſperitate malè acceptum regium corpuſculum vigilias iterum, & orationem mallet, quàm laborioſam & ſemiſomnem indulgentiam. Huc nemini ulla ex cauſa patebat deſcenſus, præter quàm ei fœminæ, quæ Principi à ſecretis erat. Cui aliquando ex Ioannæ facultate, re exigente, nullo tamen conſcio, eò introire permittebatur. hęc poſteà ſupellex Ioannæ delicioſa, & inter Mundi muliebris ornamenta cæteris charior Averium lignea in arca tranſducta, & parthenonis antiſtiti, ut voluptuosè Principem exciperet, commendato ſecreto, tradita fuit. Iejunijs ita vires atterebat, ut priſci eremi mores inter aulæ delicias æmularetur, & quanquam apponerentur ſemper epulæ ante ora paratæ regifico luxu adſtantibus famulis, genium & ſtomachum defraudans, vel ex ijs, quæ viliores, & ſibi injucundiores erant, paululum deguſtabat, vel omnium faſtidioſa pane, & gelida contenta, irritata potius, quàm ſedata fame, à menſa diſcedebat, perpetuò tamen hilaris, & jucunda varijs famulos illudebat artificijs, ne apud Regem, quod admodum ſemper verita eſt, tantæ adverſus ſe ipſam ſęvitiæ incuſaretur: quippe quem ſciebat, quod illi eſſet chariſsima, minimè permiſſurum, ut ſuſceptum vitæ genus amplius proferret, obſtaturumque ſciò, ne poſtmodùm in ſe ipſam tam auſterè animadverteret.

Regno præeſſe, atque à patre in parthenium recedendi copiã impetrat

Suſcepit per id tempus Alphonſus Mauritaniæ expeditionem, à qua, & rebus, bello illo præclariſsimè geſtis immortalé gloriam, & ſempiternum Africani nomen reportavit. Eo ſecum, quanquam valetudinarius eſſet, & delicijs, quàm bello aptior, Ioannem Principē quintum ſupra decimum ineuntem annum detulit, ut poſtquam memorabile aliquod facinus in armis ederet equitis inſignia acciperet, Regni plena adminiſtratione 6

ſtratione Ioannæ commiſſa, quę quanvis ætate (nam octavum ſupra decimum agebat annum) tanto oneri videretur impar, prudentia tamen, quod adoleſcētia detrahere poſſe videbatur, ſufficiebat abūdè, quod publicis Regni negotijs ſupererat tempus, orationi totum impendebat, patris incolumitatem, & felicem expeditionis eventum à Numine contendens, & partito labore, ne quandiu publicis commodis vacabat, ceſſaretur à precibus, ita aulicis puellis horas diviſit, ut modò hę, modò illæ, alię alias excipientes continuum precandi tenorem conſervarent: neque irrita vota, nam brevi Arzilla, & Tingis Mauritaniæ nobiliſsimæ urbes vi captę fuerunt: è qua victoria cùm Alphonſus triumphabundus domum ſe reciperet, occurrit obviàm Ioanna ad miraculum ornata, & pulchra; poſtquam patris manum deoſculata, & Principem fratrem amplexa eſt, Duces, & Regni primates gratulabunda ſalutavit, ita coram omnibus patrem alloquuta fertur: filię intuitu, quam bellica gloria lætiorem, ut victorias primùm gratulata, à pietate fore diceret, ſi ſe, quam præ omnibus chariſsimam haberet, Numinis obſequio gratus manciparet, liberamque parthenium eligendi copiam faceret, quando nihil ſibi optabilius poſſet accidere, quam inter Chriſti ancillas abdicato regio faſtu quod reliquum eſſet vitæ traducere: pluraque in ſuam rem adeò ſcitè & prudenter congeſsit, ut admiratus Alphonſus, manantibus ubertim prę deſiderio, & dolore lachrymis, ne Numini videretur contraire, uterat Religioſus, & in omnem pietatem propenſus, precibus annuerit. Et quanquam Ioannes frater, qui id ſemper ægerrimè tulit; & Regni primores non vultu modò, ſed verbis Regi obſtare conati fuerint, atque in Regni detrimentum hanc eſſe mutationem affirmaverint, & publicè Regni jus, cujus illa Princeps dicta, juratáque fuerat, ſalvum & integrum fore, conteſtati ſint; quę majores animi procellas devicerat, minora hæc deſpiciens tonitrua de parthenone ſedulò agere cœpit.

7 Non multos ante annos Averij, quod oppidū priſcis Lavare, inſi-

Averium sibi de parthenonis angustijs certa, in grandum statuit, interim Odivellas profiscitur.

insignis ducatus caput Oceano abluitur, & nobile est Regni emporium sub IESV nomine, & tutela sanctimonialium cœnobium extrui cœptum fuerat à primarijs fœminis, quæ delicias pertæsæ asperioris vitæ avidæ cruci suffixi, Servatoris pauperiem, & summam rerum omnium despicientiam æmulatæ mira asperitate corpora mulctabant. Percrebruit brevi, ut assolet, tantæ rei fama, & nobiliores virgines toto Regno, quasi ad delicium aduocabat. Inter has, quæ Principi Ioannæ amicitia & sanguine admodum conjuncta fuerat, Eleonoram Menesiam Viennensis Comitis filiam, quæ Brigãtini Ducis nuptias cœlesti agno posthabuerat, matre, & fratribus, duobus Comitibus, altero Eborę antistite, pænè invitis Christi amor, & cœleste desiderium omnium summa admiratione attraxerant. Hęc Principem (id enim sibi imperatum fuerat) crebris epistolis erudiebat de ijs omnibus, quæ sanctimoniales ex Regularum præscripto obibant, quibus jejunijs corpuscula macerarent, quotis vigilijs Numini laudes decantarent, qua animi submissione, esto è prima nobilitate, & summis in delicijs enutritæ, & domos verrere, & coquæ obtemperare, accumbentibus ministrare, atque ancillarum ministeria fungi solitę essent; quàm vili cultu, quàm exiguo sumptu, quanta rerum omnium penuria pristina damnarent. Quæ, cùm Principis votis miræ responderent, eò se recipere statuit, ut liberè ancillari, quæ omnium Princeps esset, omnibus posset. Sed ne Averij nomen patrem deterreret, interim in parthenonem, quem propè Olysiponem Dionysius Rex condiderat, Odivellas vulgò dicunt, ex Regis licentia se contulit occulto; & paucis, sed ijs nobilissimis, ut Principem decebat, stipata.

Deducente Rege & proceribus Averium migrat.

Miro omnes dolore Principis absentia affecit; in lachrymas palatini omnes soluti, sed maximè nobilissimæ puellæ, quæ illi ministrabant; & perinde quasi in Reginæ luctu, atram plerique vestem assumpsêre, in ijs Ioannes frater, qui dolori plus justo indulgens, esto aliquot post annos lugubrem habitum deposuit, susceptum mœrorem animo nunquam exuit, palatij

januæ clauſæ perpetuis tenebris mœrorem omnibus indicabant pariter & indicebant; populares, quaſi chariſsimum quiſque pignus amiſiſſet, publicum pro privato dolorem ducebant; ita omnium animos, vultus hilaritate, virtutis opinione, & mira in pietatem propenſione ſibi Ioanna devinxerat. Odivelias, ubi de Principis diſceſſu certior facta eſt, Philippa Eliſabethæ Reginæ germana ſoror ſe contulit ſtatim, quo etiam Rex & Princeps crebrò ititabant, ut Ioannam inviſerent, & ſuaviſsimo fruerentur colloquio: interdumque propoſitis rei difficultatibus, maximè frater, eam à ſuſcepto vitę propoſito retrahere conabantur, ſed in caſſum ſemper ceſſere conatus; imò curiæ viciniam exoſa, ut aliò abire liceret, patrem oravit, exoravitque, qui Divæ Claræ cœnobium ad Mondæ ripas, juxta Conimbricam ſitum, & ſanctiſsimæ Reginæ Eliſabethæ exuvijs, nobiliſsimis totius Regni virginibus inclytum, ædificijs amplum, mira illo tempore aëris temperie ſalubre, Principi aptiſsimum fore arbitratus, eò deducendam quam primùm curavit. Ab Odivellas proficiſcentem comitati Rex ipſe, & Princeps, Philippa matertera, & Regni proceres Conimbricam uſque atrati omnes, quaſi defunctam flerent & efferrent. Pridie ejus diei, quo Conimbricam erant perventuri, patrem ſecretò alloquuta, ſummis precibus ab eo contendit, ut Auerium in IESV parthenium ſibi recedere liceret; obſtupuit ille, ſed ne filiam mœrore impleret, conceſsit tandem, & quanquam Princeps frater præ omnibus repugnaret, Averij ſolitudinem, aëris intemperiem, domus anguſtias, & quod à Curię frequentia admodum remotus eſſet locus prętendens; Vicit Ioanna, quæ non regios faſtus, ſed Bethlemici antri inopiam, deſerti ſolitudinem, crucis anguſtias, & Servatoris ærumnas jam dudum animo cogitabat; Averium igitur eiſdem comitantibus deventum, ubi poſt aliquos dies, Rege & Principe ducentibus, cœnobium adijt pridie Auguſti Nonas in beati Dominici, cujus vivendi rationem IESV ſanctimoniales cum habitu acceperant, pervigilio. Ibi Alphonſus in lachrymas profuſus, quan-

tum

tum chariſsimum ſibi pignus in oculis haberet conteſtatus eſt; & quanquam ira magis, quàm dolor Principem Ioannem præcelleret, in diſceſſu tamen charitatis indices lachrymas retinere nequivit, quippe qui propterea Ioannæ conatibus obſtabat, quod illam mirificè diligens, à tanta ſorore abeſſe ſibi exiſtimabat graviſsimum. Philippa matertera, etiam ſi cœnobij ſepta egreſſa fuerit, in vicinis tamen ædibus, ut crebrò viſere poſſet conſobriuam, ſibi manendum ſtatuit.

Cometa Ioannæ adventum præſignat, religioſam illa vitam ineunte.

Auſpicato Averium elegit Ioanna, cœlo ipſo comprobante; nam in Martio menſe ingentis ſplendoris cometa cerni cœptus eſt, ex ijs, quos Philoſophi caudatos appellant. Rotundus ipſe, magnus, mirè lucidus, quem neque denſæ noctis tenebræ obſcurare, neq; pluuiæ uſquam nubes occultare viſæ ſint: poſt ſolis occaſum ſupra parthenonis domus ſubitò accenſus comparebat, modò in ea aëris parte, quæ domum, in qua Ioanna Princeps degit, ſuprà erat fixus, & ſtabilis; radium, qui latus erat, & oblongus, ad eam uſque, in qua ſacræ veſtes aſſervantur, protendebat; modò hanc ſuperſtans illam verſus explicabat caudam; ita tamen, ut locum, quandiu cerneretur, commutaverit nunquam. Atque in hunc modum totis ferè quinque menſibus, ſubitò quotidie comparens, & diſparens omnium oculos rapiebat, & inſolito ſplendore atque ſtabilitate faciebat admirationem; maximè tamen ſanctimonialium animos naturâ pauidos, & prodigijs inſuetos percellebat, quæ ſignificationis ignaræ, quid ſibi damni præſagiret, expedire nequibant. Solvit tamen eventus ipſe omen. Nam quo die Ioanna Averium pervenit, diſparuit prorſus quaſi novo ſyderi pulchriori quidem, & ferventioribus radijs accenſo aërius Cometa locum cederet. Triennium fermè eodem habitu permanſit, ſed famulis dimiſsis ſola inter Chriſti famulas, quibus cum ſacris in odeo frequenter intererat & nocturnas aliquando preces, quanquam non ſine valetudinis damno quod illius domus aliquantulum abeſſet, frequentabat; donec ineunte anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, ſeptuageſimo quinto

to octavo Kalend. Febr. qui dies Apoſtoli Pauli converſioni ſacer eſt, Religionis habitum magna animi voluptate induit. Neq; habitum modò, ſed animum ita commutavit, ut Principis ne veſtigia quidem in Ioanna deprehenderes: reliquis novitijs per omnia ſimillima, in nullo à communi victu, habitu, aut exercitijs, qualia qualia eſsẽt, exemptionẽ paſſa eſt ſibi præſtari. Suo ordine poſtrema in Odæo aſsidebat, alternis vicibus cum alijs, aut cereos tenebat, aut tenentibus aſsiſtebat: in refectorio alias inter accumbebat, & Principi eadem, quæ reliquis nullo delectu miniſtrabat, fictilibus vaſis, quanquam neque figulo patre, neque avo genita eſſet, legumina appoſita veſcebatur; domos verrebat; ſcutellas & catinos calida abluebat; triticum purgabat; farinam ſubcernebat; nebat, aſſuebat; ægrotantibus & accumbentibus ſumma hilaritate, atque animi ſubmiſsione, quaſi omnium famula, ancillabatur; nihilque ita abjectum & vile fuit, quod Ioanna ſumma lætitia non obiret; cilicia miræ aſperitatis attexere didicit, ut ſibi, & alijs macerationis forent inſtrumenta; flagella itidem, tam incruenta, quàm quæ ſanguinem elicerent, mira arte elaborabat; ipſaque, utpote remedia ſæpè ſæpius experta, quæ in ſe ferociùs ſæviebant, & ſanguineam flagellationem ſævius exercebant, chirurgi inſtar medicabatur. Atque, ut quam animi abjectionem corde, & medullis infixam gerebat, ante oculos haberet, ſemper, in eo corio, quo penſum colo alligabat, illam Servatoris ſententiam inſcribi fecit, Diſcite àme, quia mitis ſum, & humilis corde. Cùm admodum anguſta foret in parthenone res familiaris, ſanctimoniales ipſæ (neque enim ancillarum, & famularum uſus admittebatur) panem, ligna, aquam, & quæ quotidianis uſibus neceſſaria erant, comportabant, inter primas, ſemper Ioanna debiles conſolabatur, robuſtiores laudabat, & æmulabatur, exemploque omnibus prælucebat. Quæ ita Regios faſtus abjecerat, nomen quoque deponere ſtatuit, neque ſe Principem dici patiebatur. Obſtitit tamen antiſtes, atq;

Humillima parthenij miniſteria officioſe obit

ea jubente, ubi opus erat, priſtino more nomen ſuum ſcribebat, & in ipſis cœnobij tabulis, ubi Ioannæ nomen cum alijs affigebatur, Princeps perpetuò, quanquam ipſa reclamaret, dicta fuit. Crebrò apud confeſſarium expiabat animum, & ſacra ſynaxi reficiebat; communis omnibus, & Ioannæ erat religioſus à confeſsionibus: ſuo ordine inter novitias in genua provoluta, & ni voce agnoſceretur, cætera incognita exponebat crimina, ſuo itidem loco ſacræ menſæ accedebat: , & niſi aut vultu, aut nomine noſceres, unam è media plebe ad ſacrarum Virginum numerum aſſumptam diceres. Orationi multum temporis impendebat, & ita divinis reficiebatur ſolatijs, ut præ lachrymarum aſsiduitate genas quaſi exuſtas haberet, veſtis lanea, & brevis, crepidę humiles, lectus alijs par, domus eadem cum cæteris.

Regni conventus, frater & matertera à ſuſcepta vitæ ratione deijcere conantur.

His Averij ſanctimoniæ exemplis clarebat Ioanna, cùm 11
tantæ rei fama Regnum totum pervaſit & commovit. Eo igitur ab omnibus Luſitaniæ urbibus quaſi in publicum Regni conventum primores miſsi ſunt, qui publicè profiterentur, ſe conſenſuros nunquam, ut religioſa vota emitteret, quotieſque Regno opus eſſet, inde abducturos, ut hæredem ex ea (namque eo tempore Ioannes frater prolem nondum ſuſceperat) in matrimonium collocata habere poſſent. Venit, ubi rem ſcivit, Princeps ipſe paucis comitatus, in quibus Eborenſis aderat Epiſcopus Ioannes Meneſius, rei novitate adeò permotus, ut veſtem lugubrem aſſumpſerit, barbam diu non totonderit; & niſi Numinis timore, atque paterna reverentia cohiberetur, aliquid auſus eſſet, quod Ioannæ ſummam attuliſſet moleſtiam, cùm tamen parthenonem ingreſſus eſſet, & multa adverſus antiſtitem ſtomachatus dixiſſet, illius modeſtis reſponſionibus lenior ſororem adit, cujus ex aſpectu, ubi mutato habitu, tenui cultu, & per omnia novitiam intuitus eſt, ſibi imperare minimè potens, in amplexum pariter, & lachrymas ruit, multaque in rem ſuam cùm dixiſſet blanditijs, mōdò lenis, modò minis ſeverus, profecit nihil. Adeò Regum minas, quæ Regnum

gnum contempſerat, ne à Chriſto avelleretur, parvi ſemper fecit. Philippa verò, quæ Principem ſæpius inviſere ſolita erat, ubi mutaſſe habitum cognovit, Averio inſalutata Ioanna deceſsit Odivellas, quo etiam acciri quam primùm fecit Miciam Aluarengam notæ ſanctitatis virginem, quam inde ſecum Ioanna Averium detulerat, ut ſola, & omni humano ſubſidio denudata, aut religioſæ vitæ ſuſceptam rationem deponeret, aut ſaltem aliò, quod optabant, migrare vellet.

Ne religioſa vota emitteret morbo impeditur.

11 Quanquam verò ita ſpiritu eſſet feruido Ioanna, ut nihil ſibi arduum, nihil durum exiſtimaret, tot laboribus tenerum, & delicatum corpus ſufficere non potuit, gravibus proinde tentatur morbis, qui in ultimum vitæ diſcrimen ſæpius adduxerunt: atque communi medicorum voto iecur, & renes admodum vitiatos eſſe, maximè ex aſsiduo piſcium uſu cùm decerneretur, neque vires ultra redintegraret, prudentum hominum conſilio, patris imperio, & fratris precibus adducta tandem fuit, ut à religioſa profeſsione deſiſteret, quod eo libentior fecit, quo ſibi durius videbatur citra animi noxam, quæ ex regula promiſſura foret exactè minimè poſſe exoluere: quare antiſtite vocata ſuo in ſacello habitum ſæpius exoſculata lachrymarũ imbribus madidum deponit, ſe à novitiarum numero, & muneribus exemptam declarans, cumque aliquot horas eo depoſito domum perluſtraret, reſumpſit iterum, ut foret omnibus manifeſtum, communi eam vivendi ratione deinceps non obligari: neque propterea, aut mores aut priſtinum vitæ inſtitutum invertit. In Odæo eundem ſibi locem, quum anteà ex ordine cum novitijs habuerat, delegit modò; aliarum periculis eodem ſemper animo & ſubmiſsione adfuit; ſibi, eſto morbi neceſsitas aliquid mitius exigebat, perpetuò aſpera, & quoad vires ſufficiebant, inimica.

Averio ũa gente lue egreſſa inter religioſe inſtituit.

13 Anno à Chriſti natalitio 1479. cùm Luſitaniam dira lues invaſiſſet, paulatim ſerpens Averium, & vicina oppida vaſtabat, quare Rex & Princeps Ioannæ, ſuis verbis qui diceret, miſerunt, oppido quamprimùm excederet, quò vellet; in eamque

rem Conimbricenſem, & Portuenſem Epiſcopos, atque alios Regni Principes Averium proficiſci imperarunt, qui diſcedentem comitarentur, & ubicumque manere ſtatueret, aſsiſterent, ut decebat. Repugnare tanto Imperio non potuit, quare delectis ex ſanctimonialium numero ſex, in quibus antiſtes ipſa fuit parthenone, manentium lacrymis, & abeuntium deſiderio maximo, quinto Kalend. Octob. in viam ſe dedit. Vbi manendum erat, ſacellum exornabant, ibique ex more, quanquam non elatâ voce, ſtatutas preces quotidie alternis verſibus perſolvebant; & quotis diebus flagellationem facere moris erat, quanquam in diverſorio eam non omittebant, mira omnium admiratione, qui Principem, & primæ nobilitatis fœminas in ſe adeò inſueto ritu deſævire vix audientes credebant. Hoc in itinere Prioriſſa obijt Beatrix Leitoa omnium virtutum exercitatione laudatiſsima, quę prima Averij parthenonii auctor, & mira prudentiæ, atque religioſæ diſciplinæ opinione moderatrix fuerat, propterea quę Ioannæ inprimis chara, atque adeò illius obitum magno doloris ſenſu accepit.

Fruſtra de Regum nuptijs in Ioanna agitur.

Cum verò omnia vaſtandi nullum lues finem facerat, Averium iterum ſe recepit, tanquam in quietis aſylum, ſed hac ſibi diutius frui non licuit, eò enim Ioannes Princeps ſe contulit, ut cum ea de nuptijs cum Maximiliano Romanorum Rege Federici Imperatoris filio ſeriò ageret, illa tamen conſtanti animo ita reſpondit, ut omnem conficiendi negotij ſpem fratri præcideret: atque ut ſemel, quæ ad nuptias ſpectant, abſoluamus, quanquam temporis ordo alibi id exigeret, quod cum Ioanne, defuncto iam patre, bis accidit, interſeram. Carolus VIII. patri vita functo ſuffectus fuerat in Galliarum Regno, mirè ſemper Ioannam ob eximiam pulchritudinem, & pręclaras animi dotes, adamavit; quare legatione miſſa ſibi conjugem petijt, minas intentãs, & bellum fremens, ni in Galliam quamprimùm duceretur. Averium pergit Rex, ſororem edocet vię cauſam, publicum Regni incommodum ob oculos proponit, ne privatã publicę pręhabeat utilitatem impenſè ro- 14

gat:

gat: ſurdis illa auribus perſtat, ſe homini nupturam unquam, quanquam is univerſi ſit Monarcha, conſtanter negat. Minas frater auget, hoſtum appellat, quæ in Regni perniciem conſuret: Vſque modò, inquit, in tot, tantiſque difficultatibus, & moleſtijs, hæc mihi unica ſemper occurrit conſolatio, quod te fidam, & verè germanam arbitratus ſum: modò tamen quare conjurationis conſciam non exiſtimem, quæ alieno ferro me, regnumque objicit: an non tu Regni Princeps, ut illi conſulas; non Regno nata, ut quæ illi ſalutaria fuerint, amplectaris: non Regis ſoror, ut imperata facias: neque hoc cælo, neque ſuperis diſplicet, cùm ij non ſimus, qui cęleſtibus terrena pręferamus. Quid ageret Ioanna? in facellum ſe recipit, ut fratri, quid agendum eſſet, reſponderet: & poſtquam diu ſe, ſuaque ſuperis, & in primis virginum Reginæ commendavit, fratrem alloquitur, promittitque ſe galliæ Regi nupturam, ſi ea ipſa hora viveret. Conditione audita hæſit Ioannes, paucis tamen pòſt diebus è vivis exceſsiſſe nunciatum eſt, ut liquidum eſſet de illius obitu certam cælitus Ioannam, quas non formidabat, nuptias ſpopondiſſe. Alia iterum ab Anglia exorta tempeſtas eodem prorſus modo tranquillata eſt. Non Anglus qui Richardus fuit illo nomine tertius, bellum, ſed perpetuas pacis leges, & fraternam amicitiam promittens, adjectis alijs, quæ in Luſitaniæ commodum mirè faciebant, conditionibus, Ioannam ſibi ſanguine conjunctam, deſtinatâ legatione, ſponſam precabatur. Alcobaçam Rex cum Philippa matertera ſe contulit, & Ioannam, quæ in Portu propter peſtilentiæ metum tunc temporis degebat, ad ſe quam primùm venire jubet: rem aperit, in quantũ Reip. bonum id eveniat, declarat ſeriò, propterea q; ne toties repulſam patiatur, orat; & commendato Philippæ negotio, relicta ſorore, abijt. Omnem adhibuit matertera induſtriã, omnes accivit artes, omnia movit & tentavit: iterum atque iterum rem Ioannes urgere perrexit uſque adeò, ut iræ impatiens ſanctimonialibus, quæ Principem comitabantur, illius congreſſu, & colloquio ſeverè interdixerit.

Ad ſolitas illa recurrit preces, & dum mœrori confecta plorationi nimium indulgeret, levi correpta ſomno aſtare ſibi intuita eſt pulcherrimum adoleſcentem, qui blandè ſalutatam compellens; Noli, inquit, ultra mœrere, pone lachrymis modum; jam enim è vivis abijt. Nec plura dixit, & diſparuit. Diſcuſſo illo ſomno in ſe ſe redijt, & ex mira animi tranquillitate ſibi à Deo miſſum, quiſquis ille fuerit, cùm conjiceret, fratri reſpondit, ne iniquo eſſet animo, in Angliam proficiſci eſſe ſe paratam, ſi quem ſibi optabat ſponſum, adhuc in vivis numeraretur. Quod ſi ad mortuos tranſiſſet, hoc unum ſibi efflagitare, ne ultrà ſecum de nuptijs ageret. obſtupuit Ioannes vultus, & animi ſecuritatem, qua abſentia, quaſi præ oculis obverſarentur, ſibi ſoror prædicebat, neque dubitare de eventu licuit diu, cùm intra hebdomadam à Legatis de Regis obitu Ioannes admonitus eidem juſta ſolvi magnificè iuſſerit, & Olyſiponem proficiſci maturans in deceſſu de varijs Regni negotijs ſororem cùm conſuleret, iterum illa rogavit, ne ſe alij conjugem fore exiſtimaret, cùm ſibi illud exploratum eſſet, quando alia non pateret evadendi via, aut ſe, aut eos, qui ſponſam optarent, nuptijs commutaturos. Vtque omnem in poſterum moleſtijs occluderet aditum, ubi de Alphonſi patris obitu nuncium accepit; atque parentari fecit, quaſi ſui juris, &, ut dicere ſolebat, manumiſſa eſſet, perpetuæ ſe Virginitatis voto religioſè obſtrinxit.

Mira in morbo patientiæ exempla; teſtamentum cõficit.

Aliqua Ioannæ obitum prodigia proceſſêre, quæ lubens omittenda duxi, ne anacephalæoſeos legem præterire videar. Anno igitur 1489. ſextò Idus Decemb. tres amplius horas luna obſcurata eſt, quaſi tantę Principis interitum lucis defectu præſagiret ęquè, & lugeret: poſtero ſiquidem die gravi morbo laborare cœpit, & quãvis indies febris accreſceret, in ipſo Chriſti natalitio à lecto ſurgens ſacris unà cum ſanctimonialibus in Odęo interfuit, crimina ritè confeſſario aperuit, Chriſti Domini corpus mira animi teneritudine accepit, & quia præ virium imbecillitate ſtare ultrà non poterat, in lectum iterum ſe rece-

recepit. Eadem insequenti die fecit, corporis infirmitatem indefesso spiritus fervore superans. Medici quid mali esset definire cùm non possent, varia adhibebant medicamenta, sed irrito omnia eventu, quæ tamen illa esto aspera & amara detrectavit nunquam, imò illorum ad arbitrium ita se composuit, ut ne transversum abscederet unguem. Exemplo sit mira gelidæ, qua sibi interdixerant, abstinentia; quanvis enim præ sitis & febris ardore oris interiora in vulnera hiarent, & summum afferrent dolorem, qui lachrymas excutiebat, gemebunda Numinis implorabat opem, majora se promeritam fuisse tormenta, majoribus dignam cruciatibus ingeminans, à nulla, ut saltem vulnera aut refrigeraret, aut abluere, gelidam efflagitavit. Morbus igitur indies crescere, febris intendi, stomachus venterque extendi, dolores augeri, ciborum mira nausea laborare, quibus effectum est, vt à lecto deinceps imbecillũ corpus vix duabus adjuvantibus puellis sacro ipso Dominicæ passionidie vix attollere potuerit, quod etiam summo labore, ut resurgentis Christi Dominico die sacro se pane reficeret, iterum ultimò præstitit: Odeoque cùm jam ad lectum reciperetur valere jusso mira lachrymarum significatione deliciarum sibi locum quanto animi dolore relinqueret, contestatum voluit. Vbi Ioannæ morbus divulgatus est, Philippa matertera Averium, ut consobrinam inviseret, perrexit statim; quo etiam Bracharensis, Conimbricensis, & Portuensis antistites, & alij Regni proceres confluxerunt. Ioannes Rex itineri se accinxit, sed medicorum consilio, qui veriti sunt, ne defunctam inveniret, expectare compulsus est, an aliquantulum mali vis remitteret, quare extremo sororis amplexu, quod ipsi gravissimum fuit, fraudatus est. Sibi ipsa testamentum confecit, quo parthenonem ex asse reliquit hæredem, servos omnes & ancillas, qui ad Christi caulas ab impia Mahometis superstitione confugerant, manumisit; famulis, ut honestis viris locarentur, dotes distribuit.

15 Consobrinum Georgium Ioannis notham, à quo Averij

Duces

Consobrinum ad virtutem adhortatur, animum confessione expiat, & sacra synaxi munit.

Duces originem trahunt, quem à prima infantia educarat, ad se advocatum miris instruxit documentis, illud sæpè monens, Deum, ut omnium judicem præ oculis haberet semper, nihilque, cujus posteà pœnitendum foret, unquam ageret. Tibi ô fili, animam hanc meam (ita IESVS cœnobium appellare consueverat) impensè commendo: ne tibi excidat è memoria, qua te cura trimestrem excepi, qua diligentia vilibus induta, cantum lachrymis, & fletum musica semper miscens enutrivi. hoc tibi cœnobium patria, ut patriam tuere, & vale; jussitq; ut aliò deduceretur, quoadusq; Ioannes de suo obitu certus filio consuleret. Ingravescente morbo pridie Nonas Maij, quo die in ferventis olei dolium immissus fuerat Euangelista Ioannes, quem ipsa hæreditaria ab Elisabetha matre propensione mirè semper coluerat, ante actæ vitæ maculas, quantum memoria assequi valuit, miro doloris sensu, & lachrymarũ imbre, Confessario exposuit, eodem de sacro viatico communijt, atque unctione armavit. Et quanquam deinceps majori angeretur dolore, neque cibi aliquid, aut somni capere posset, usque ad tertium Idus Maij protraxit vitam, quam ita sanctè reliquit, ut duxerim operæ pretium pietati magis, quàm brevitati morigeratus aliqua memoratu digna, ut palàm sit, qua prudentiæ & sanctitatis laude notanda sit Ioanna, ipsa qua evenere serie, hic exponere.

Ad postremum mortis certamen religiosè se parat.

Convocatis medicis, pro industria & labore magnas habuit grates, & quanquam frustrà omnia evenerint, Numini id adscribendum esse dixit, cujus arbitrio humanæ vitæ periodus, aut protrahitur, aut præscinditur; cumque palam fassa fuerit, se à Deo longiorem cursum efflagitasse, quo plenius ante acta scelera pœnitentia posset, & eleemosynis redimere, aliter superis fuisse visum, qui licet immerentem ad meliorem vitam revocabant, sibi exploratum esse illa ipsa nocte decessuram, proprereaque nihil esse, quare ultra vigilijs fatigarentur, abirent proinde, & sui memores apud Deum essent. Ijs dimissis, antistitem, 17

&

& reliquas ſanctimoniales, ne abirēt, exoravit; propterea quod illarum ope maximè indigeret, Confeſſarioque miſit, qui ſuis verbis peteret, preſtò ut eſſet, & Epiſcopos ſui deceſſus admoneret, ut fuſis ad Deum precibus morienti auxiliarentur: integra tamen voce, & morientis nulla alia ſignificatione, crebrò quota eſſet hora aſtantibus ſciſcitabatur, quaſi non modò sciret, ſed anxiè quæ futura eſſet ultima expectaret; Vbi non multum diſtare noctis medium audivit, ſacerdotes acciri juſsit, caputque ſibi alio appoſito cervicali altius attolli, & quoniam eo motu dolores acriùs pupugêre, Chriſti & Deiparę auxilium mira teneritudine ac lachrymis imploravit ſæpius. Vbi advenit Confeſſarius protractis ſummi Pontificis literis, in quibus ipſi plenaria indulgentia conceſſa fuerat, ſublatis manibus & pectus ſæpiùs dexterâ contundens, contenta voce illud ſæpiùs iteravit: Peccavi Domine, mea culpa, indulge miſerę. Sibi pendentis à Cruce Servatoris imaginem propius admoveri rogavit, & pedes exoſculata, Domine, inquit, Deus meus, miſerationum Domine averte faciem tuam à peccatis meis. Quæ verba quoties in aliquod Chriſti, aut beatiſsimæ Virginis ſimulachrum incurrebat, mira animi & corporis ſubmiſsione repetere ſolita fuerat.

18 Doloribus aliquantulum propè exanimata, ubi in ſeſe redijt, antiſtitem rogavit, ſibi ut Redemptoris paſsionē legeret: cumq; eò ventum eſſet, ubi immane illud ſcelus, quo carnifex Servatoris vultum alapa fœdavit, à Ioanne deſcribitur, viribus ipſa deſtituta, ut ſibi dextrum brachium attolleretur, efflagitavit, genæq; colaphum quanto maximo potuit in tanta debilitate, impetu inflixit, & clara voce, O Domine, inquit, qui tam acerba pro ingratis hominibus perpeti maluiſti, mihi ignoſce, me ſalva, & in eorum, qui beata viſione potiti æternas tibi laudes decantant, numerum adſciſſe. Omnia attentè, & mira vultus tranquillitate audiebat; ubi verò inſigne aliquod Chriſti opprobrium recitabatur, Ignoſce Domine, dicebat, ignoſce, & ne intres in judicium cum ancilla tua, ne iniquitates meas recor-

Sanctiſsime moritur & de junctæ corpus componitur.

deris. Ignoſce miſerę peccatrici. Cùm ultimum animam efflantis Domini verbum accepit, junctis aliquantulum ad pectus manibus, demiſſa voce oravit, ex ijs tamen quæ interrupta percipiebantur, Catholicæ fidei profeſsionem eſſe conjectatæ ſunt, quę viciniores erant, ſacræ virgines. Ter poſteà trigeſimum pſalmum repetens: Semper, inquit, Domine mi, & Deus meus in te ſperavi, tibi ſemper animam hanc, quam ſanguine tuo tibi redemiſti, totis viribus cõmendavi: quod idem modò, quanto poſſum, animi affectu præſto: tibi Domine, & beatiſsimæ Matri tuæ Virgini MARIAE Dominæ meæ, animam meam commendo; & ulterius Virginem ipſam alloquuta: Monſtra, inquit, te eſſe matrem, &c. Maria Mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe. Tunc Apoſtolorum & Athanaſij ſymbola clara voce, alijs comitantibus, dixit: ſacerdotem rogavit, ut eas inciperet preces, quibus antiquo Eccleſiæ more morientibus contra adverſarij incurſationes opem à Deo & Sanctis poſcimus: accenſum de more cereum dextra illa apprehendit, nec amplius demiſit. Aſtabant ſanctimoniales in genua prouolutę, & lachrymas profuſæ, neque illa jam aliquem doloris ſenſum exhibebat, ſed mira vultus tranquillitate animi quietem declaravit: illudq; omnibus mirandum accidit. Vultus, qui diuturno morbo venuſtatem & colorem amiſerat, inſtante morte, non modò in priſtinam pulchritudinem, ſucci plenus, & colorum viuacitate integra apparuit, ſed formoſior multò, & cryſtallina luce circumfuſus: oculos jam media in morte ad Chriſti effigiem cùm extuliſſet, omnium admiratione ſmaragdis ſimillimi rutilare viſi ſunt, & cùm ita aliquandiu perſtitiſſet, ad illa precum verba, Omnes ſancti Innocentes orate pro ea, immaculatum Deo efflavit ſpiritum; mox in gremium decidêre manus, adventitia illa diſparuit pulchritudo, & oculi palpebris ſponte coeuntibus ſplendorem, & ſui conſpectum omnibus ademerunt. Corpus de more religioſo habitu indutum in ſanctimonialium conſpectum, vultu, manibus, plantiſque

tisque nudatis propositum fuit. Eò omnes mira lachrymarum & suspiriorum vi confluxêre, & pedes certatim exosculatæ sanctum cadaver venerabantur. Vbi verò campanarum pulsu Principis obitus divulgatus est, toto oppido eiulatus exaudiri; quasi privato domus quæque luctu planctum attolleret.

Dum cadaver effertur mira accidunt, funus procuratur.

9 Simul ac dies illuxit, in sarcophago compositum corpus, & ne multitudini pateret coram Episcopis, & religiosis viris tabulis contectum est. Porrò dum in templum efferretur, omnium in conspectu illud accidit, quo Ioannæ decessum vel ipsę arbores, & herbæ sensus expertes collacrymari visæ sunt. Intra cœnobij septa hortum sibi ipsa, ut sanctimonialibus levamini esse posset, conseri iussit; eò labore fessas evocabat, & mira verborum comitate inter paradysi delicias recreabat; curabatque, ut suo tempore aqua, vel duceretur, vel instillaretur, & lectæ arbores aliunde avulsæ sererentur; imò ipsa sua manu aliquas plantaverat aliquãdo. Cùm igitur illac defunctum cadaver in Odęum efferretur, ad sarcophagi vel aspectum, vel contactum arentibus subitò ramis, florum, & foliorum honorem excussere arbores; & emorientes herbæ, quam sibi beneficam senserant demortuam se ipsas amœnitate, & vita mulctantes deflere visæ sunt. Aruerunt cotoneæ mali, citrinæ, medicæ, & quotquot insita erant arborum, & herbarum genera, neque ex ijs ulla repullulavit. Vbi in templum peruenere inferijs quam maxima potuere pompa solutis incredibili omnium ordinum dolore, & ploratu sanctũ corpus in inferiori Odęo terręe commisere. De Ioannę virtutibus plura dicerem, ni fastidiosus fuisse formidarem, plures de illius gloria visiones accidêre, quas etiam prætermitto. Vixit Ioanna annos XXXVIII. ex ijs XVIII. Averii, summa virtutum opinione, & mira sui despicientia traduxit: pridie Idus Maii anno MCCCCXC. ad feliciorem vitam emigravit. Corpore fuit procero, & valido, ad miraculum venusta, fronte liberali, oculis viridi colore lætis, & amplis, naso modico, labro inferiore aliquantulum prominente, colore albo, & rubicundo: ex ipso aspectu Princeps.

Sanctimoniali desperatam vitam restituit, & veneno extincta creditur

Plura post Principis obitum narratu mirabilia accidêre; plures illius apud Deum interventu maxima obtinuerunt; quę Ioannæ sanctitati accepta retulere. Illud unum pro coronide memorabo. Vastãte Averium dira lue, in tutum sese proripuere medici; quare relictum vulgus passim peste correptum miseras efflabat animas: inter alios lethifer morbus sanctimonialem corripuit mira virtutum opinione celebrem, annis grandæuam, quæ Ioannæ fuerat familiaris. hæc febri accensa, cùm nullum sibi remedium supereſſe aspiceret, ad preces confugit, Ioannam apud Deum patronam suscipit, terram è Principis tumulo erutam socijs petit, datam, postquam piè exosculata est, & capiti superposuit, apostemati applicat. Mirum dictu, non remisêre modo, sed penitus dolores extincti sunt, & sopiti; febris miseram extemplò reliquit apostema ipsum, nullo adhibito medicamine pus resolutum ejecit, & in antiquam valetudinem restituta, quę vitam desperaverat, quantum apud superos Princeps Ioanna valeret, alijs grata prædicabat. Illud dictum vellem firmam medicorum esse sententiam, veneno sublatam fuisse; cùm enim in aliquos propter scelera animaduerti iussisset, & quendam pertinacia infamem urbe, & agro relegasset, de ea occidenda inter se consilia eos habuisse constat, morbique inde principium accidit, quod sibi ab ea domo frigidam, ut æstivum calorem levaret, allatam, cùm bibisset, mira totius corporis commotione exagitari cœpit, vomitu, torminibusque laborare, corde angi, plus solito mœrere; venter stomachusque tumere, & mutata valetudine in eum tandem morbum lapsa est, quo, propter sanctimoniæ zelum, miris doloribus cruciata, ad felicissimam palmam euolavit.

Inopi-

Inopinatò moriuntur Principes qui Ioannæ connubium petierunt.

BLanda nec impuris unquam temerata venenis
Principis æthereus pectora cepit amor.
Mille petita facæ succendunt; mille sagittis
Vritur & flagrat quo magè casta magis.
Mille Proci voluere sibi coniungere: mille
Post habuit thalamos Virginitatis amor.
Forma Aquilas generosa trahit; sed pectus in istud
Non vires Aquilæ fulmen & omen habent.
Gallorum petiere nurum sibi lilia. Marcent
Sceptra hæc dum cœli lilia mente colit.
Deperiit frustra divisus ab orbe Britanus,
Nec tanta immenso frigore flamma perit.
Omnibus unus amor populis & regibus: Vnus
His luctus, illis funera fecit amor.
Nam pergit fato, quicumque poposcit acerbo:
Nivalem tanti est velle habuisse Deum.
Nec mirum & superos, & qui regit astra Tonantem
Vna hæc quæ posset flectere, forma fuit.

Triumphanti parenti procedit obuiàm Ioanna petens ut sacræ alicui familiæ sibi liceat nomen dare.

Obuia victori graditur Ioanna Parenti
Mille petita viris, mille negata procis:
Armat in armatas bella altera & arma phalanges,
Arma vel in superas jus habitura domos.
Ille triumphantum mos est, ait illa, petenti
Imprimat vt nullam fœda repulsa notam.
Te mihi victorem Cælum dedit: ergo Tonanti
Me redde: inque vicem sponte repende vicem
Purpura sordescit, saccus iuvat: Aula fatigat,
Ara levat: tellus me premit, astra vocant.
Da mihi, captivis quæ sunt pro crimine, pœnas:
His meus in pœnis ritè triumphat Amor.

Ad aſpectum Ioannæ principis emortuę vernantes flores emoriuntur.

Fertur inhumano Ioanna extincta pharetro
Pallida virgineis aſſociata choris
Tranſit odoratis halantem floribus hortum,
Quem nuper tenera ſeverat illa manu;
Demiſere caput ſopita papavera: marcent
Lilia: frondis honos defluit; aret olus.
Aſtrorum ut flammis ſol aureus addit honorem,
Sole micante micant; ſole cadente cadunt:
Ioannæ aſpectu vernabat gratia florum,
Ioannæ aſpecta deficiente, cadunt.
Aſpiceret quoties clara aſtra & caſtra decoris,
Labente ex oculis fonte rigabat agrum.
Præ deſiderio mœſtis nunc æſtuat herbis
Triſte gemunt violæ, lilia triſte gemunt.
Quem lacrymæ paſcunt, lacrymarum è fonte reſurgit
Cum deſint, ponunt marcida ſigna comas.

Ioannæ in cœnobium adventum cometa; obitum luna dificiens præſagit.

Principis adventum formoſus luce cometes
Præmonet; extremum luna labore diem.
Vt monſtret ſidus, flammat nova ſidera cœlum;
Abjicit, ut ploret Cynthia mœſta jubar.
Ioannæ adventu vaneſcit ſidus in auras
Victaque majore lumine ſtella fugit;
Luna ubi ſidereas revocandam ſenſit in aulas,
Invidet, & tanto prepa decore gemit.
Namque olli interitu ſplendor non interit: auxit
Mors lucem ovaſus contulit ipſe jubar.
Et quæ præſagium vincebat luce cometem
Exanimus lunæ cauſa laboris erat.
Quid palles? maculas ſi vis perfundere luce.
Ioanna extincto à ſidere quære jubar.

Pro Christi spinea corona plures Regnorum coronas neglexit.

Contemplata suam & Christi Ioanna coronam,
Quam diversus, ait, flos utriusque viret!
Illa voluptatem mihi germinat, ista dolorem:
Hæc rosa fert spinas, illaque spina rosas.
Spinea sit quamvis illa est pretiosior auro,
At mea sit quamvis aurea spina manet.
Sentibus illa viret tamen est in sente levamen,
Non habet hæc sentes, at sine sente ferit.
Christe vices mutare velim: caput ergo coronent;
Aurea serta tuum, spinea serta meum.
Sic spina juvat plures tibi proferet aurum
Hoc spinas, auri plus tua spina mihi.

Emma-



EMMANVEL PORTVG. REX XIIII.
VIXIT AN. LII. OBIIT Aº. M. D. XXI.

EMMANVEL I.
LVSITANIAE
REX XIV.
ANACEPHALAEOSIS XVIII.

FOrtunatiſsimus Emmanuel, unicum nomen, Regni ſingulare præſidium, & ingens tam Luſitanę gloriæ incrementum, quam imperij, utpotè qui latiores, & opulentiores Regno terminos adjecit, quam à maioribus accepit; patrem habuit Ferdinandum Regis Alphonſi V. fratrem natu ſecundum; matrem verò Beatricem filiam Principis Ioannis, qui ejuſdem Regis Alpnonſi frater fuit; proavum maternum Eduardum Regem; abavum Ioannem hujus nominis primum. Ex numeroſa Ferdinandi ſobole natu minimus, & Ioannis II. patruelis, ad quem proinde Regnum, ſuperſtite nulla Ioannis legitima prole, hæreditario jure pertinebat. Natus eſt Alcochetiin oppido ripæ tranſtaganæ pridie Kalend. Iunij anno milleſimo, quandringenteſimo, ſexageſimo nono, feria quinta Corporis Chriſti, non ſine magno felicitatis argumento. Nam, cùm Beatrix mater jam pridem acerbo dolore parturiret, & ſolemnis Euchariſtæ pompa pro domicilij foribus traduceretur tandem bene ominato illo Numinis acceſſu partum edidit. Quod ego ſanè maxima Emmanuelis in gloria poſuerim, quippe cui gerendis in rebus, perindę ac natalitijs, ſe affuturum Deus ipſe polliceri videretur. Ergo à felici adventu Emmanuel appoſitè denominatus, ejuſdem nominis Numen ac majeſtatem, ut verè atque unicè divinam, toto Orientis orbe, maximo cum animarum fructu, longè, lateque divulgavit.

Alphonſi V. nepos ex Ferdinando fratre, & Ioannis II. levir.

Natus cum Euchariſtica pompæ domum præterduceretur

Vnde nomē Emmanuelis

Regnum adit.

AEtatis anno vigesimo sexto Rempublicam accessit, Christianæ pietatis, prudentiæ, mansuetudinis, cæterarumque virtutum luminibus apprimè conspicuus. Vnde filij loco semper apud Ioannem fuerat, cujus ipse amori, & voluntati per omnia grati animi officia respondebat. Rex salutatus, comitijs habitis Monte maiore nova, multa juri, Reique publicæ consentania decrevit. Accersivit Iacobum, ac Dionysium Brigantini Ducis filios, eorumque avunculum Aluarum, & Pharensis Comitis filium Sancium, qui omnes è Regio sanguine proceres extra Lusitaniæ fines vagabantur. Redeuntes perhum niter, & liberaliter accepit; duos præcipuè Ducis Brigantini filios, ut qui Emmanuelem gradu arctissimo contingebant. Horum alteri Iocobo, ejusque inperpetuum soboli confiscata paternæ ditionis oppida super quinquaginta, pristinam quę dignitatem, ac fortunas, quemadmodum Nonio familiæ auctori à primordio concessa fuerant, immensa liberalitate redonavit. Nusquam enim, vel si totius antiquitatis monumenta percurras, Regem, aut Imperatorem offendes, qui tantam patrimonij sui partem clienti adeò munificenter erogaverit.

Brigantinæ domus hæredibus omnia restituit

Sphæra meritissimum fuit insigne Emmanuelis.

Cæterum Emmanuel, cum generosos sortitus esset spiritus & arduam mentem, patrijs Europæ finibus haudquaquam contentis, duas animo suo dignas in Asiam, & Africam suscepit expeditiones, & pene confecit. Vt nempe terrarum orbi in sphæræ figura effigiato, sibique à patruele Ioanne in symbolum relicto par foret. (Nondum enim id ætatis quarta orbis terræ pars venerat in Europæ notitiam) Nec verò ea rerum mole oppressus intereà Reipub, administrationi, aut exercendæ justitię defuit, cum per eos dies animo indefesso, vel domi literas signando exhauriret; vel in capitalium rerum tribunali necessario tempore perse veraret.

Indica conquisitio Vasco Gama duce aperitur.

Primam igitur Emmanuel auspicatus Orientis conquisitionem quæ maximè ob oculos versabatur, Vascum Gamam, strenuissimum equitem, & rei naualis experientissimũ quem

Ioan-

Ioannes antè ob excellentes jngenij dotes designaverat, Expeditioni, classiqúe summa cum potestate prę fecit. Is postridie Nonas Iunij anno millsimo quadringentesimo nonagesimo nono, navibus instructis duabus, epibatis centum quadraginta octo, soluens Oylsipone, Bonæ Spei promontorio, Mosambico insula, Quiloæ regno, Mombaça, Melindeque superatis, Calecutum appulit sue navigationis terminum & jmperatoris Malabarici sedem, ac domicilium. De barbaris Regibus tribus, quatuórve post insidias, ac dolos feliciter evitatos laureatam semper, & incruentam victoriam reportavit. In regionibus à se patefactis quinque circiter monumenta constituit, & cùm illarum gentium ad fidem, Evangeliumque recipiendum opportunitatem, aromatum differentias, & pretia, commercij quęstum, cæteraq; bello inferẽdo necessaria didicisset: in patriã renavigans, saluis è supra memorato numero quinquaginta quinque militibus, Olysiponem tenuit. Consumpti in ea expeditione sex & viginti menses, enavigata leucarum supra tria millia. Maria verò tempestuosa, & incognita, morborum inaudita genera, cæli varia temperies, ac terrarum, Barbarorum fraudes, & insidiæ, inedia, sitis, procellæ, & quos omnifariam labores devorarunt, nulla possunt oratione recensseri. Deo tamen immortali, cujus in eo negotio causa agebatur, opitulante, susceptam expeditionem insana defuncti navigatione confecerunt.

singulorum annorum in Indiam apparatus.

Igirur Emmanuel multis, maximisque Gamam beneficijs ob res fortiter ac prę clarè gestas insignivit. Deinde accepta Orientalis Indiæ notitia, majorem erectus in spem, ornatissimas singulis annis classes in eam conquisitionem mittere constituit. Vt siqui Reges oblata pacis & amicitiæ fœdera, præconesque Euangelicos acciperent, cum his societatem & commercia institueret, alios infestis armis depopularetur. In secunda deinde expeditione, Petro Alvaro Caprali præfecto anno M.D. patefacta ex occursu est sanctæ Crucis terra, quæ vulgatinomine appellata Brasilia, & saccari, alijsque frequentata

Brasilia à Capraliapatefacta.

mercimonijs ad immensa quoque vectigalia succrevit. Aucta Orientis ditio multorũ obediẽtia Regum, qui se Emmanuëlis potestati cum præclaris stipendijs dediderunt. Arces ædificatæ Cocini, Cananoris, Coulani, Quiloę, Sofalæ, Mosambici, Anchedivæ, Socotoræ, Ciauli, Armuziæ, Goę; Pacena, Pedirensis, Calecutana, Zeilandia, Malacensis. Maximæ classes profligatæ tam Camorini Malabarici Imperatoris, & aliorum Regum potentissimorum, quibus Turcę, bellicosęque gentes aliæ astipulabantur; quàm Sultani, qui Memphitico Cairi Regno prępotens, cùm à Lusitanorum in Indiam accessu sua paulatim vectigalia, interversis navibus, & rubri maris commercio attenuari sensisset: inita multorum Principum societate, missisque ad eam rem classibus instrumento bellico, ac militum robore præclarè ornatis, Lusitanos toto Oriente depellere omni opere, sed irrito conatu, moliebatur. Quippe cùm Dei partes agerent, eo mirabiliter adjuvante, glorioſas sæpè victorias ab hostium innumerabili multitudine retulerũt. Ductore maximè Alphonso Albuquercio, qui cum summa Lusitanici nominis gloria, & incredibili rerum gestarum fulgore insulam, & insulæ caput Goam proregum Lusitanorum sedem ac domiciliũ non sine sudore comparatum, barbaris nequicquam reluctantibus, in potestate retinuit. Armusiam nobilissimum Persiæ, Arabiæ, Indiæq; totius emporiũ, Rege stipendiario facto, Emmanuëlis Imperio adjecit. Malacam in aurea Chersonneso veterum geographorum laudibus inclyta sitam, totius Orientis opulentissimam urbem, & frequentissimã admirabili virtute debellavit. Quippe ad id tẽporis egregijs aucta munitionibus, propugnatoribus triginta millibus, & præter enormes è ferro fistulas, tormentis supra octo mille constabilita, nullam de se spem viribus externis, aut alienæ potentiæ faciebat. Manu tamen Albuquercij capta, direptaque est. præda tricies centenis circiter aureorum millibus æstimata. Molucas insuper Insulas (ubi arcem Ternatensem extruxit) Emmanuëlis arma penetrarunt. Primus instituit AEthiopiæ commercium, annoq; 1500. proa

Arces Indicæ

Sultani classes victæ.

Ab Alphonso Albuquercio expugnata Goa, Armusia, Malaca.

AEthiopiæ commerciũ, & Moluccæ subactæ.

proavitis agnominibus, AEthiopicæ, Arabicę, Perſicæ, atque Indicę conquiſitionis, navigationis, & commercij titulos glorioſiſsimos appoſuit. In his, atque alijs ętatis illius expeditionibus, ac prælijs adeò admiranda bellicę virtutis exempla, facinoraque Luſitani tam milites, quàm Imperatores edidêre, ut Gręcorum, Romanorumq; fortitudo, aut rerum geſtarũ gloria cum illis comparari minimè poſſe videatur. Cõſulat hiſtorias lector, & Luſitanorum acta nobiliſsimorum ſcriptorum fide ac diligentia (ut par erat) memoriæ prodita ſempiternę. Nos parcimus, ut ne ab inſtituto breviario digrediamur.

6 Ergo Emmanuel cum tanta Luſitaniæ ditionis incrementa, victorias, & parta trophæa Deo referret accepta, tam grati animi oſtentandi cauſa, quàm ut nova deinde beneficia promereretur, multa pientiſsimè ac religioſiſsimè patravit. Ac primùm ædem Virginis à Bethlem (quam Henricus Princeps nobiliſsimorum Chriſti equitum domicilio ad oſtium Tagi dicaverat) magnifico auxit ejuſdem nominis templo, velut Indicæ conquiſitionis, & Orientalium victoriarum trophæo. Vnde primo ex auri ſtipendio à Regibus deditijs perſoluto ſumptuoſam pyxidem ad cuſtodiendum Euchariſtiæ ſacramentum curiosè fabrefecit, eidemque templo deſtinavit. Cujus in ſtructuram, dum opera duraverunt, hoſtilis prædæ partem, quæ ſibi pertinebat, liberaliter impendit. Nec ſumma vulgaris fuit, una enim ex Malacenſi direptione ducentorum aureorum millia recepit. Templum verò non multò pòſt cum ſuis reditibus, ac prædijs, ędificato ibidem Hieronymianæ familiæ cœnobio addicens, cum equitibus alio in loco paria fecit. E regione cœnobij propugnaculum ſancti Vincentij condidit, firmoque præſidio, & bellicis tormentis ornavit, ut fluminis oſtium ac templum ab hoſtibus undequaq; tutaretur.

Templum Virginis à Bethlem ædificatum primis ex India ſtipendijs.

Ibidem cœnobium D. Hieronymi.

7 Neque ea Chriſtianę pietatis officia ſatis habuit. Anno enim 1513. ut ſuo, & ſubacti Orientis nomine obedientiam apud Chriſti Vicarium Leonem X. profiteretur, oratorẽ miſit Triſtanum Acuniam ſummę dignitatis hominẽ cum eleganti

Legatio & munera ad Leonem X. poſt Indiam exploratam.

procerum comitatu, qui ad eam legationem ſe ſe ad oſtentationem adornarunt. Addidit & munera Regiæ digna magnificentiæ. In quibus attalicum Pontificis ornamentum, auro trifariam criſpante, ſcutulatum gemmis pulcherrimis, eoq; artificio fimbriatum, par ut nuſquam vel materię, vel manus pretio poſt hominum memoriam reperiatur; Alia inſuper minoris taxata dona, & exquiſita Indiæ munuſcula, ſed auro, gemmiſque mirum in modum cælata. Miſit prętereà rhinocerotem & elephantem, quem primùm ex Oriente Roma conſpexit. Ad ultimum, perſicum venatorem Emmanuelià Rege Armuſiano miſſum, equo inſidentem, cum venatica poſt ephippium panthera ingeniosè & affabrè inaurata. Quarum omnium rerum ſumma apud eos, qui ſingula accuratiùs ęſtimavêre, ſexcentorum mille aureorum fuit. Neque ad eam ętatem, vel noſtram deinde, Rex ullus extitit, aut Imperator, qui donis æquè opulentis ſummum Pontificem veneraretur. hæc ſcilicet Emmanuëlis pietas, hæc prima conquiſitio fuit.

Res geſtæ in Africa.

Africam ſecundo aggreſſus eſt loco, in quam ita inflammato propendebat affectu, ut ejus conquiſitionem ſæpenumerò ſuam, reliquas ſuorum clientum appellaret. Quamobrem anno milleſimo, quadringęteſimo, quinquageſimo primo, nondum ſuſcepta prole, ipſemet in Africam meditabatur, delectis in idipſum è Luſitania viginti quinque millibus, claſſęque ingenti ędificata, & curiosè admodum inſtructa. hæc tamen ad irritum cecidêre. Nam, cùm per eos dies Turcę bellum periculoſum Venetis ex inſperato indixiſſent, nec rebus ornandis ſpatium daretur, ij, ſummi Pontificis auctoritate interpoſita, opportunum Emmanuëlis auxilium imploraverunt. Triginta igitur naves eò miſſæ, triáque bellatorum millia præfecto Ioanne Meneſio, quem idcirco Emmanuël Aroquæ Comitem creaverat. Hę, cùm in altum vela feciſſent, & nonnihil ex occurſu feliciſsimè prædarentur, Venetias appulſæ, indę, quòd ab incœpto Turca deſtiterat, quam ocyſsimè remearunt. Ante hos tamen apparatus Emmanuël, adaucto ſtipendio,

Auxilia Venetis ſuppeditantur.

dio, præſidijſque commeatum, & bellica inſtrumenta continentibus Africæ Caſtellis, in eam rem abundè ſuppeditaverat, præſcripſeratque ut inſtitutis ibidem parochijs, tributorum omnium decimæ Eccleſiaſtico ritu perſolverentur; nec ſine fœnore; Deus enim qui centuplicatò noſtra ſemper obſequia remuneratur, benignè præſtituit, ut quo die Emmanuël id in Luſitania decreverat, eodem Ioannes Meneſius Arzillæ glorioſiſsimam à barbaris victoriam adipiſceretur. Pluresq; deinde Arzillę, Septę, Azamori, Tingitanæq; arcis Duces æquabili rerum, victoriarumque proſperitate continenter floruerunt. *Ob Regis pietatem Arzillæ victoria reportatur.*

9 Omitto noſtrorum audiciſsimos excurſus, & prœlia pluſquam vicies animosè profligata. Quippe Emmanuële Luſitaniam moderante, eò Luſitanorum virtus, & fortuna crevit, ut potentiſsimos Fezij, ac Marrochij Reges, & Xarifes inſuper permagnis exercitibus infenſos, ipſi numero longè impares, animo tamen ſuperiores, nunc impetentes, impetiti aliàs facili ſemper negotio debellarent. Cœlo nimirum auxiliari utebantur, eoque adjutore & auſpice, non ſemel in hominum terga pertinaciter hærentes, & Marrochianas aduſque portas inſecuti ferratis haſtarum calcibus fores, ingeminato Emmanuëlis nomine, converberarunt. Extruxit Emmanuël in Africa Caſtellum Regium, quod (expugnata ſubinde, & ſtipendiaria facta urbe Saphino opulentiſsima, & civium, inquilinorumque Iudęorum familijs quatuor mille quadringentis frequentiſsima, impoſitoque cum arce præſidio) ut minimè neceſſarium, ita ſtabile non fuit. Anno deinde M.D.XIII. nauigia circiter quadringenta fabricatus, peditibus duodeviginti mille commnnijt, duobus millibus equitum; ex his trecenti cataphracti. E tota verò ſumma, peditum tria millia, equites quadringenti quinquaginta, in quibus cataphracti centum, Iacobi Ducis Brigantini, quem totius claſsis præfectum Emmanaël ſummo cum imperio juſsit, clientes erant. Ea expeditio ſuſcepta eſt in Azamorum, quæ cum vectigalis urbs eſſet, & ſtipendia, jugumque ſæpiſsimè detrectaret, exſcendente Luſitano, *Marrochij portis noſtrorum haſtæ infiguntur.* *Saphinum capitur & omittitur.* *Iacobi Ducis Brigantini vires & geſta in Africa.*

tano, & caſtrametante pro mœnibus, primo ſtatim impetu, ſine ullo noſtrorum damno, expugnata eſt, & militibus permiſſa, ut licenter, & hoſtili more diriperetur. Ad ejus ſupplicij famam deſertæ mox à Barbaris urbes Tite, Almediuaque in Luſitanorum poteſtatem devenerunt. Sed Almediva, revocatis habitatoribus, muris magna ex parte complanatis, tributaria conſtituitur. Brevi deinde tempore interjecto oppida Benacafiz, & Tuſut capta, direpta, incenſa. Eaque tempeſtate in Africa præſidiarij milites non ſolum partas urbes, & gloriam inſuperabili virtute tuebantur: ſed etiam in Mauritaniæ fines audacter excurrendo ad leucas fermè triginta, præter abactas prædas, & ſervitia, caſtella, mapaliaque nunc vicena, tricena iterum, aliquando quadraginta, ſemel centum, partim manu capiebant, partim manu demoliebantur. Et, ut compendiariò dicam, ea tum fuêre in Africo bello Luſitanorum virtus, & præclarè facta, quæ priſcæ fortitudinis admiranda facinora longo poſt ſe relinquerent intervallo. Nec ambiget, quiſquis noſtros conſuluerit annales. Stringam breviter aliqua, ne omnia videar ſilentio premere.

Luſitanorum in Africa ditio.

Octo obſidiones in Africa tolerata.

Octies Arzilla, Azamorum, Tingi, Cafij arces à potentiſſimis Fezij, Marrochij, & Mequinezij Regibus conjuratis, coacto peditatus ad centum, equitatus ad viginti millia exercitu, obſeſſæ, obſidionis pericula incredibili virtute, Deoque palam obſecundante propulſarunt. Anno deinde 1520. cùm in agro Arzillano Fezij Rex cum maximis copijs clanculum graſſaretur prædabundus, animo recuperandi amiſſa, ſi qua fortè ſeſe daret occaſio: egreſſi è noſtris viginti ad expiſcandas in fluvio teſtudines, præſentiſsimam phtiſico militi veterano medicinam, adeò eo vel otio, vel negotio diſtinebatur, ut imminentes jam hoſtes (ij erant levis armaturæ quadringenti à Rege miſſi ad Luſitanos ex improviſo capiendos) tunc demum præſenſerint, cùm vix fugiendi, nedum adornandi ſeſe ſpatium dabatur. Ergo arreptis, qui ad tela humi defixa hærebant, equis, ſine ephippijs, ſine calcaribus, ſine habenis, ipſi prorſus inermes,

Mirabilis victoria à paucis de Rege Fezij reportata.

mes, ac nudi circumfusos in hostes intrepidi se conjiciunt, & hastis intentis, impetuque ipso horrendi per confertissimum globum viam rumpunt, & Arzillam præter omnium opinionem, incolumes, incruentique perveniunt. Hęsit incredebili admiratione defixus Rex Barbarus. Lusitani equites, publicis cum gratulationibus, ac tripudijs excepti, ab eo fluvio novam gloriæ prædam, & ornamenta retulerunt. Arzillę tum Ioannes Menesius pręerat; is cùm accepisset Fezij Regem fratre quodam suo, permagnisque comitatum copijs properare ad Tingim obsidendam; nec alio modo posset nostros impendentis periculi præmonere, scriptum ejus rei nuntio epistolium, cereoque inclusum globulo, Tingitanæ cani, quæ id temporis in arce casu quodam reperta est, ad collum appendit, eductamque deinde ad portas, post longam & asperam verberationem emisit; Avolasse crederes: ita maturè ad Tingitanos pervenit. Exceptis literis præsidiarij, rebusque compositis adventantes hostes opperiuntur.

Tingitani à cane admonentur.

11 Emmanuel itaque eò potentiæ, ac felicitatis evasit, in Africa ei provinciæ, quæ Xerquiæ, Garabiæ, ac Dabidæ fines complectitur, latè imperitaret; splendidaque è multis earum Regionum pagis, & mapalibus tributa exigeret, quorum nonnulli Fezij & Marrochij Regibus, ac Xarifibus ea tempestate vectigales erant. Sed ne de felicitate cum Timotheo Atheniense contenderet, imò fortunę variantis utramque legeret paginam, nonnihil detrimenti anno 1515. accepit. Ducentarum quippe navium adornatæ classi, & impositis ad octo millia (præter opifices & nautas) bellatoribus cùm Antonium Noroniam Linarienſem posteà Comitem pręfeciſſet, imperavit, ut atcem, pręsidiumque in Mamorini fluminis ripa collocaret (eo nempe Emmanuelis studia respiciebant, ut quam plurimis posset munimentis Africę confinia tutaretur.) Earum felices habuit exitus. Nam, cùm opus penè ad [illegible] jàm spectaret, adventantibus Fezij, Mequi[illegible] castigium cum maximo & fortissimo exercitu, post[illegible]que Regibus [illegible]arias oppugnatio-

Ad Mamoram in Africa à nostris infeliciter pugnatum.

nes,& magnam utrinque cædem de Emmanuelis consilio, & consensu Ducum, animos quorũ periclitari jusserat, non sine dedecore, damnoq; intermissum ac derelictum est. Quo enim tempore Lusitani ab eo periculo recepêre in tutum, navigia centum, quatuor hominum millia, tormenta aliquot, bellicique instrumenti nonnihil, utpote in tanta rerum trepiditatione ac tumultu amiserunt.

Emmanuelis filius ex Isabella hæres Castellani imperij

Sed jam ad Emmanuelis propria recurramus. Mox ut Principatum inijt, Isabellam Principem duxit Regum Catholicorum filiã, quæ à demortuo marito Alphonso Principe Lusitano vidua perseveraverat. ex eo matrimonio affulsit Emmanueli spes amplissimi imperij; extincto enim Castellano Principe Ioanne, cùm ad Isabellam conjugem, utpote natu majorem filiam Regnum veniret ex templo Emmanuel, uxorq; Toletũ profecti, à Legionensibus, Castellanisque dynastis, interposito solenni sacramento, legitimi Principes, ac principatus hæredes instituti sunt. Sed occulta fatorum dispensatione agebatur, ut eò Lusitania nisi bellicæ virtutis, & gloriæ terminos promoveret. Quippe, dum reverterent, Cæsaraugustæ in Aragonia puerperio enecta Isabella (Regni jure mox ad Ioannam sororem Burgundię Ducis Philippi conjugem transeunte) spes omnes, velut injecta securi jugulavit.

Isabellæ interitus.

Secundæ Emmanuelis nuptiæ & filij.

Secundas cum Maria Isabellę sorore natu tertia nuptias celebravit, anno M.D. Inde numerosa Emmanueli soboles; Imprimis Ioannes Princeps, & patris in Regno successor; Isabella Caroli eo nomine Imperatoris V. uxor; Beatrix Pedemontano Principi, Duciq; Subaudię Carolo nupta; Ludouicus Pacis Iuliæ Dux, & Lusitanicæ Comestabilis, multis & maximis animi dotibus ornatissimus, & Cratẽsis Prioris Antonij pater; Ferdinandus Franciſci Cotinij Marialbæ Comitis gener, ante susceptam prolẽ præreptus immatura morte; Alphonsus Cardinalis, Olysiponis, Eboræque Archiepiscopus, & Alcobacienſis Abbas; Henricus, præter Alphonsi titulos, Braccarensi primatu insignis; Eduardus, qui Iacobi Ducis Brigantini filiã Isabellam

bellã habuit in matrimonio; Maria infantilis ætatis in primo flore peracerbo funere occupata; Antoniuſque natu ultimus, & paucis à natali diebus extinctus. Quo ex partu Regina in poſterum ita malè habuit, ut pòſt ætatis anno 35. animam efflauerit. Emmanuel verò cùm integer adhuc,& vegetus annũ ageret 49. tertias ad nuptias animũ appulit,uxoremq; aſſumpſit Eleonoram Caroli V. Imperatoris ſororem, Philippi eo nomine primi Caſtellani Regis filiam. Ex qua Carolum ſuſtulit brevi intermortuũ,& Mariam, quæ illibato virginitatis flore,ſingulariſque virtutis exemplo ſpectatiſsima obijt Olyſipone,jacétque in Diuę Virginis à Luce ad aram maximam; quod opus cum Luſitanię magnificẽtiſsimis,abſolutiſsimiſq; jure comparandum proprijs ipſa ſumptibus exædificavit.

Tertium Emmanuelis matrimonium.

14 Statura fuit Emmanuel mediocris, corpus non ita ſucculentum,frons libera; oculi cæſij, barba, capillúſque ęnei coloris; facies candida, & apprimè liberalis; ipſe mente adaperta præditus, & in ſermone conſideratiſsimus ſumma cum modeſtia ſubtilitatem, prudentiámq; mirificè copulavit. Venationi deditus,& muſicæ amantiſsimus;cui non ſolum inter epulas,ſed in laborioſiſsimis etiam occupationibus vacabat ſine ullo negotiorum detrimento.Primam noctem ſępè ſpectandis ancillarum & aulicorum ludicris, veteri Regum conſuetudine,traducebat. Dominicis,feſtíſque diebus equorum ad curriculum ibat, ubi & puerorum equos agitantium dexteritatem laudabat, & agitabat ipſe, ut cæteros ad equeſtrem diſciplinam vehementius adhortaretur. Arundinum,tauranúmque ludos ſæpiùs fecit, útq; colludentium parceret immodicis ſumptibus, phaleras, chlamydéſque Mauricas domi in veſtiario habebat, ac mutuas dabat; Arundines interdũ & ipſe cum cæteris luſit non ſine dexteritatis ac venuſtatis applauſu. Ad cœnobia ſacris interfuturus non rarò ſe conferebat: quibus peractis, ſciſcitabatur ab ijs, qui prę erant, num aliqua opprimerentur egeſtate;cui non ſolum ſtatim ferebat opem,ſed etiam dono miſſis religioſis veſtibus, atque ornamentis altaria condecorabat.

Statura Regis & ſtudia.

Religioſos ſæpe inviſebat & ſublevabat.

Argentum, quod Alphonſus avunculus è templis ad Caſtellani belli ſumptus corrogaverat, demum reſtituit. Lateranos habuit, non communes tantùm, ſed lectiſsimos etiam equites, quorum eximio ſplendore mirum in modum gloriabatur. In cibo tantæ moderationis, ut inter exquiſitas epulas animadverti vix poſſet, quibus potiſsimum titillaretur. Lautiſsimè plerumque epulatus, vino ſemper abſtinuit, atque oleo. Vſque ad ætatis quadrageſimum totius anni ferias ſextas ſimplicis aquę, paniſque tranſegit alimento, exinde ad obitum commune jejunium tenuit.

Ipſius in omnes, & omnium in ipſum amor

Literatos viros diligebat ex animo, libriſque doctis, Regum maximè ſuperiorum monumentis impenſiſsimè delectabatur. Puerisnobilibus, & cubicularijs mandabat, ut Latinum præceptorem quotidie bis audirent. Apud clientes miro in amore & obſervantia. Vnde cum Eboræ nuntios de Arzillæ obſidione accepiſſet, cum equitibus quatuor in Algarbios properè contendit, obſeſsis opem laturus: præmonenſque, ut in eam expeditionem ſe voluntarij tantùm ſequerentur, vix iter confecerat; cùm intra dies octo ad eum bellatores viginti mille è primaria nobilitate convolarunt. Ea tamen auxilia cum re intentata ob exemptam de repentè obſidionem rediſſent: nihilominus Emmanuel officioſam totius Regni voluntatem, data occaſione pro meritis, & ſæpè ante petitionem remuneratus eſt. Variarum familiarum cœnobia, & gynæcea multis in Luſitaniæ locis condidit: ſed Hieronymianæ præcipuum & opere, & magnificentia, titulo Bethlem, de quo ſuprà mentionem feci. Tomarienſe deinde tam magnitudine, quàm architectura celebratum. Templa undeeim poſuit in Luſitania; in Africa, Indiaque multa, quibus præter ornatum, neceſſarios reditus attribuit in alimenta curionum. Eborenſe Divi Franciſci templum extruit, fornicis unius admirabili magnitudine, & artificio concameratum.

Templa & cœnobia ab eo exſtructa

Olyſipone Regium verè palatium ad Tagi ripam ædificavit, & Conimbricæ in montis dorſo aliud, quod poſteà Academia

demia à Philippo I. pecunia emptum in gymnasia convertit; itemque tertium Azambuziæ in oppido venationis, & rusticandi causa. Optimos totius Lusitaniæ pontes Conimbricæ atque Oliventiæ fecit. Domum, quam vocant Misericordiæ, Olysipone instituit, assignatis per singulos annos in pauperum & orborum subsidia aureorum duobus mille quingentis: Et annuis præterea mille cẽtenis in alia pietatis opera. Qua Africa, & Asia centesimari jussit. In duodecim Apostolorum gratiam & memoriam totidem equitibus, vel senio, vel paupertate confectis annuas mercedes ea lege destinavit, ut pro se piaculares funderent orationes. Armentaria condidit, bellicisque tormentis, & omne genus armaturis apparavit, ac per totum Regnum distribuit, imperavitque civitatibus ferè omnibus, ut armorum conficiendorum officinas, ac fabros haberent, ne ullo unquam tempore desiderarentur.

Pontes erecti, & opera misericordiæ instituit.

17 Impetravit à Pontifice Leone X. ut militares equites Christi, sancti Iacobi, & Avisij inire matrimonium possent (ijs exceptis, qui voto castimoniæ jam nuncupato erant obstricti) quoniam ita expedire comperiebatur. Item obtinuit, ut salvo curionum alimento, ex reditibus Ecclesiasticis in quæstum eorum, qui in Africæ conquisitione meruissent, aureorum viginti millia alienarentur. Ordinis Christi equites, personas Ecclesiasticas, religiosasque familias à quovis emptionum soluendo tributo reddidit immunes; nec non populos à publicis aliquot exactionibus. Veterum Maurorum reliquias exegit è Lusitania. Iudæos, qui ex Castella migraverant, ad fidem Christianam adduxit. Quorum, & magna cædes olysipone erat: glisceute levibus de causis seditione, populoque aduersus miseros arma capiente, in quibus, & alterius generis nonnulli per insaniam vel errorem trucidati. Doluit Emmanuel pro rei indignitate tam insigne maleficium, prætoresque, ac magistratus, quorum erat eavulgi turbamenta componere, severissimè punijt, utpote in servanda justitia constantissimus, atque íntegerrimus. Eodem stomacho antiquum Regni jus, legesque reformavit,

Remissionem voti castitatis Ordinibus militantibus impetravit.

Iudæos ad fidem adduxit.

Indigna illorum cædes.

formavit, ac recoxit, adjectis magni momenti nonnullis. Lusitaniam Orientali commercio usque adeò locupletavit, ut aurum præ argento vilescceret, ob unam difficultatem pecuniæ quotidianos in sumptus permutandæ.

Mors & sepulchrum.

Ad ultimum Emmanuel toto vitæ curriculo, quem non nemo ad instar Samij Polycratis fortunæ alumnum, vel partum præstantissimo, & incumparabile jure appellaret. Tanta nempe erat, & Regni, & rerum ea tempestate felicitas, tanta bonorum omnium affluentia, ut Emmanuelis principatus ætas aurea vulgò diceretur. Felicissimus denique & in morte, quæ nobis illum præmaturè invidit, ac rapuit Idib. Decemb. anno à partu Virginis MDXXI. ætatis super quinquagesimum secundo, imperij sexto & vigesimo. Tumulatus est Olysipone in celeberrimo Cænobio Bethlem, quod cùm inchoasset, ad culmen perducere non potuit, interveniente fato. Catharina verò Ioannis eo nomine III. Regis vxor aram ejusdem templi maximam, & operosa Emmanuelis, maritique mausoléa pro dignitate dedicavit.

Ad

Ad Emmanuelem Regem

NE regno imposuit plus sors, quàm sanguinis ordo
Hesperiæ Regem noluit esse potus.
Barbaricum ferro dum victum Athlanta fatigo,
Addidit imperijs magna tributa meis.
Interdicta homini perrumpo claustra frementis
Occani, domitis qui mihi cesit aquis.
Ausus ego Auroræ lustrare cubilia, Regum
Adjeci imperijs sceptra superba meis.
Vltra anni, solisque vias nova sydera vidi;
Est natura animis obstupefacta meis.
Quicquid erat Regum per Regna incognita, vittas
Fœdere, vel duro dat mihi Marte manus.
Natura, Oceanus, locupleς Aurora laborant
Addere divitias in mea sceptra suas.

Ad eundem.

Rex tua majestas totum famosa per orbem.
Vna parem toto non habet orbe locum.
Non te Europa capit, non Africa, non capit Indus;
Trans Indum pandit jam tibi Regna Thetis.
Regibus Europæ fama notescis, & Indis,
Te quoque trans Gangem Martia fama canit.
Te duce, Neptuno Regni est sors dempta secundi,
Oceanus frænos jam subit ipse tuos.
Et Neptuninæ veniunt ad jussa quadrigæ
Rex tua; ter gemini jura tridentis habes.
Te dedit exemplar Regum Rex Regibus, omnes
Vt discant Regni mitia jura tui.
Esto, ait Archetypus regnantum; legibus orbem
Iuste tuis Princeps imbue, vive meis.

Ad Sphæram, Emmanuelis Regis insigne.

Terrarum, cælique globum tua symbola Princeps
Novimus in genio jura reperta tuo.
Solum aquilæ cingunt terrarum amplexibus orbem
Cæsareæ; superos adjicis ipse globos.
Non tam quod teneas, quàm quod virtute mereris,
Significant gemini symbola clara globi.

Africa,

Africa, prodigijs terra ingenioſa ferendis,
Ad nutus Princeps ſtat ſtupefacta tuos
Suppliciter pater Oceanus ſubmittit habenis
Colla tuis, ſub te Principe grande tumet.
Ortus, & Eous per Regna immania tractus,
Arte laboratas Rex tibi pendit opes.
Auguſti ſuper imperij faſtigia tollis.
Imperij fuluo qua ſonat amne Tagus.
Qui Libyæ latos fines moderantur, & ortus
Ante tuos ſceptra ſuperba pedes.
Hæc tibi ſunt Princeps; meritis ſi Regna darentur,
Angusta eſt Regnis terra, fretumque tuis.
Sic duce juſtitiâ clementia Regna gubernat,
Ad Ethereos Princeps vt mereare globos.
Quam bene diuinas per ſymbola Regia mundum
Deberi meritis, aſtraque ſumma tuis.
Ne ſine te pereat Mundus Rex magne mereris
Quod citò, munificè Numina ſero dabunt.

Oceanus ad eundem

Quæ ſiui, cui ſceptra darem Neptunia; viſi
Europam, atque Aſiam; viſus Athlantis apex.
Romanos inter, quæ ſuimus inter Achiues,
Qui mea tunc nullus ſceprra teneret, erat.
Germanos adij; felix Germania dixit;
Cæſaribus tellus eſt ſatis vna meis.
Gallia ſubriſit; vicina Britania, dixit,
Inſula diuitijs inuidioſa mea eſt.
Protea conſului reddentem oracula certo
Prectore Carpathij quâ ſonat vnda maris.
Iſque ait, extremo inuenies ſub veſpere, Regna
Cui tua conueniant, conuenit ille tuis.
Quæ ſumma in ſummo quæruntur Principe, ſolus
Aut habet hæc Princeps, aut ea nullus habet.
Prodigium Mundi eſt: illum Natura profudit
Exuperans partus prodigioſa ſuos.

Tumulus ad eundem

Obtulit Heſperios mihi prona Hiſpania faſces,
Et conſanguineus Rex mihi ſceptra dedit.

Maurus

Maurus ſanguineis juſſus mihi cedere bellis,
Bella duces peragunt dum graviora mei.
Maurum fulminicis Athlanta ſubegimus armis,
Inde mihi raptæ vix numerantur opes.
Impoſuit ſua colla homini non antè ſubactus
Oceanus, frænis & dedit ora meis.
Ipſum cum populis Orientem excidimus armis,
Tot numero Alcides, quot mihi ſumo duces.
Sultanum ſævè minitantem, & dira frementem
Fregimus, inſanis & fera verba minis.
Caſa minutatim Turcarum millia novit.
Oceanus, tincto roſtraque merſa ſalo.
Gloria penè caret titulis, victoria palmis,
Fama etiam laudes, quo canat ore, meas.
Roma triumphales victoribus extruat arcus;
Ipſe mihi Oceanus clarior arcus erit.
Ipſe Oriens fiet victis cum Regibus arcus;
Tam graviora meis quis monumenta paret?



IOANNES PORTVGALLIÆ REX XV.
VIXIT AN. LV. OBIIT ANNO M. D. LVII.

IOANNES III.
LVSITANIAE
REX XV.
ANACEPHALAEOSIS XIX.

1 HOrribili sanè spectaculo Ioanni III. Lusitaniæ Regi nascenti, anno salutis humanæ M. D. II. elementa plausérunt; nam postridiè Nonas Iunij versa in fœdam procellam verna serenitate, micantibus inter densissimos imbres, & metuenda tonitrua, fulgetris, stratis humili pavore animis, nulla tamen edita strage cœlum ruere videbatur. Mox dum salutaribus aquis abluitur, in Regia excitatum est incendium facili negotio extinguendum. Ille quidem (ut non obscurè tam splendida signa portendebant) velut ardentissima fax exoriebatur excitandis à gravi veterno Barbarorum Nationibus, & sub mortis umbra jacẽtibus ad lætaChristi pascua viam monstratura, ut exitus probavit. Vigesimum ætatis annum vix attingens, Regni suscepit gubernacula 14. Kal. Ianuar. anni 1521. facto planè ostendens egregias animi dotes, quas puerili in ætate ingenuus promiserat.

Tempestas in eius ortu quid portenderit.

2 Quidquid in excellentissimo Principe desiderares, in illo cerneres, singularem erga Deum & Dei cultum pietatem; ardentissimum ad proferendos inter infidas, exterasque Nationes verę Fidei radios, fervorem, sapientiam, ac prudentiam non vulgarem ad continendos in officio, incorruptaque justitia subditos Lusitanæ ditioni populos; laudabilem humanitatem, mansuetudinem, & clementiam, quibus salva Imperij Majestate, suorum animos mirificè conciliabat; profusam, ac

Regiæ Ioannis dotes.

verè Regiam in ſacras ædes, levandoſque dira neceſsitate preſſos, munificentiam; vigilem in promovendis bellicis expeditionibus ſolertiam, ut illius hiſtorias evolventi manifeſtò apparebit.

Pietas in Deum.

Si de more ſacris aderat, Chriſtianam ſubmiſsionem reverenter præferebat: Deo, quem gravibus in negotijs conſulebat, ſemper quotidie ſemotis arbitris dulciter vacabat, nunc preces recitans, nunc tacitus divina animo percurrens. Non tantùm regio in ſacello, quæ ad divinum honorẽ pertinebant, ſtudiosè promovit, verùm etiam in omnibus Cathedralibus. Et, ut ſuaviori, utilioríq; gubernatione regerentur, primus in Luſitania Portalegrij, Leiriæ, ac Mirandę Pontifices à Romano poſtulavit; in Aſia, Cocini, & Malacæ; in Braſilia, Bayę in celeberrimo vaſtæ illius provinciæ emporio; In capite Arſinario, Guineæ. In AEthiopiam AEgypto ſuperiorem primum Latinæ Eccleſiæ Patriarcham Ioannem Bermudium miſit; Ioannem deinde Nonium Barretum, ac duos ſimul antiſtites, qui parte laboris Nonium levarent, eíque vita functo, per ordinem ſuccederent; alióſque Societatis IESV (cujus etiam illi antiſtites erant) eximia pietate, ac doctrina Religioſos, omnibus rebus inſtructos, vix credibilibus expenſis. Eborenſem Epiſcopatũ, Archiepiſcopatum eſſe maluit, electo in eum Cardinale Infante Henrico Regis fratre, Regníque poſteà hærede. Per omnes ſuæ ditionis ultra Oceanum provincias pulcherrima templa à primis fundamentis excitavit: quibus ad erudiendos populos præfecit ſacerdotes; ſacram aræ ſupellectilem, omnemque apparatum Religioſa munificentia providit: non quantum Regiæ opes ob id imminuerentur, ſed quantum Dei Optimi, Maximi honor augeretur, conſiderans. 3

Epiſcopos in Regno & extra multos diſpoſuit

Patriarchas miſit ad AEthiopes.

Sumptus in res divinas.

Illud enim numerosè cadit in hunc locum: In Principis Ioannis Regis filij ludis, ut riſus dolore miſceretur, veſanæ temeritatis hæreticus ſacrilego auſu auguſtiſsimam Hoſtiam, dum à ſacerdote pro vertice tolleretur, manu injurioſus arripuit coram ipſo Rege. Quem adeò gravis dolor altè penetravit, ut 4

In hæretici ſacrilegio Ioannis dolor.

mul-

multos dies tenebricoso in angulo lucem mœstissimus non viderit, ac neminem ad colloquium admiserit. Pulla deinde veste atratus prodijt lacrymis perfusus: tristemque Olysipone supplicationem ad resarciendam Christi Domini injuriã fieri jussit: in qua ipse nudis pedibus dolenter incederet. Domestico clienti varijs illum argumentis solanti respondit: Vnum misera in calamitate levamen est, ita meę constantiæ divinum Numen confidisse, ut nec tartareum illud monstrum subitò interemerit, nec temerariam manum arefecerit. Quasi ad stabiliendum Fidem, ut sanctus Galliarum Rex Ludouicus olim dixerat; miraculis non esset opus.

5 Qui verò tristi hoc in eventu, tot, tantisque mœstitiæ signis lacrymosus ingemuit (ut humana quæque divinis nullatenus conferenda indicaret) incomparabilem undecim filiorum jacturam (tot enim illi florida ætate abstulit atra dies) & fratrum numerosa funera adeò æquo animo tulit, ut undecimo die post obitum unici Lusitaniæ hæredis Principis Ioannis eodem, quo matrimonio vinctus est, anno extincti, nuptialibus tædis in funereas repentè versis, lætoque in flebilem luctum choro lętitiam prætulerit; nam festa Magorum luce in publicum cum Regina exijt, ut sacris, & concioni adessent, presso animi dolore, opulentis fictæ jucunditatis vestibus induti.

In filij & fratrum nece Ioannis aequabilitas.

6 Quanto arserit studio conservandæ pristino in splendore Fidei, palàm ostendit, sacrum Quæsitorum hæreseos tribunal in Lusitaniam induxisse: ruptis in urbe gravium difficultatum obicibus, quas ad impediendos, aut retardandos Regis conatus Dęmon fraudulenter extruxerat. Alieno enim capite expertus multorum Regnorum malo sapiebat; quibus olim florentissimis miserandum excidium, & ruinam pestifera hæreticorum monstra crudeliter intulerunt. In quo illud observatione valde dignum, quo anno in Lusitaniam ductum est contra hæreticam pravitatem sanctæ Inquisitionis tribunal, dira sterilitate, ac fame Regnum miserè

Quæsitorum fidei tribunal primus instituit.

laborabat; Conſtituto jam tribunali, ſubſequutus eſt annus ob incredibilem fertilitatem inſignis, vulgò dictus Divi Blaſij, quòd ante illius feſtum ad tertium Nonas Februarias recurrens ob pluvię defectum ſemina terrę mandari non potuerint, ſed poſteà tanta fuit annonæ vilitas, ut frumenti modius victoriato ſtaret.

Sub illius imperio Euangelium late diſſeminatum.

Iam ſi quis anguſtos Luſitaniæ fines egreſſus, quà maximè 7
patet univerſus terrarum orbis mentis oculos curioſus extenderit, in Orientalem Aſiam, in ſuperiorem AEthiopiam, novumque in orbem, ac reliquos Luſitani Imperij tractus, facili negotio intelliget latius Euangelicæ tubæ ſonum, & cœleſtium præconum voces in remotiores terrarum fines penetraſſe Ioannis ſereniſsimi induſtria, & labore; quam laureata feliciſsimi Emmanuelis vexilla, victriciaque potentiſsimarum legionum attigerint: & ultra paternos, quà mundo terminus obſtitiſſe videbatur, limites Euangelij ſigna tranſtuliſſe.

B. Franciſci Xaverij in prædicatione labor ac fructus.

Et ne quis forſitan Oratoriè dictum putet; Ioanne Rege anno 1542. ſanctiſsimæ Fidei lux varijs in Inſulis, Regniſque à noſtris ſemotis feliciter exorta eſt. Iapponenſibus præſertim ignotis anteà Inſulis, internuntio beato Xaverio Societatis IESV, illarum, ſicut multarum, gentium Apoſtolo. Molucenſes non tam garyophyllo, odoriferiſque aromatis, quàm ob diſcordiam inter Europæos olim, & nunc celebres, Ioanni acceptum referunt primum Euangelij præconium. Quibus in Inſulis, priuſquam naturæ concederet duodecim Reges, Regiaſque illorum familias, & clientes ſacro baptiſmate luſtratos in Chriſti Domini verba juraſſe vidit, incredibili perfuſus gaudio: dirutis, & ſolo æquatis inanium Deorum phanis. Legendę per otium litteræ, quas ad Indiæ Proreges exarabat, quibus nihil ſibi antiquius Chriſtianæ Religionis ſtudio omnibus perſpectum eſſe cupiebat; Atque ut ab infelicibus vepretis ad florida Eccleſię paſcua ſuperſtitionibus imbuti abducerentur, poſtulatis libenter annuebat, & munera non vulgaria impertiebatur. Tunc demum ſe illarum gentium fore Regem aſſeverans,

Præmijs & epiſtolis fidē Ioannes prorogabat.

rans, cùm illic Christi Fides abolitis pristinæ ignorantiæ erroribus gloriosè triumpharet; eoque suos conatus, & labores favente cœlo tendere. Vna sit instar omnium, quam ad calcem libri 12. histor. Indic. Almerini scriptam Mapheus florida Latinitate donavit. Nec Brasiliæ oblitus est, in quam primus Prætorem misit, & Pontificem, unaque Societatis sacerdotes, quos erudiendis illius provinciæ Barbaris elegit. In Regnum Congi, tam ex Societate, quàm ex Dominicana familia concionatores aliquoties providit.

Apostoli Thomæ corpus, quod in India sepultum fama erat, incredibili diligentia in vestigandum curavit. Inventum, Prorege Indiæ Eduardo Menesio, & lanceæ, qua transfixus est cuspis Meliapore, oræ Coromandelicæ urbe quondam celeberrima, ut domorum ruinæ, operosaque vestigia testabantur. Tempelum, ubi sacrum Thomæ cadaver jacebat, sartum, & refectum, ne ruinam, quam rimis, urgente desuper testudine, parietes minitabantur, traherent. Pretiosæ reliquiæ pulcherrima in arca Sinarum artificio, & argento fabrefacta inclusæ clanculum summa reverentia deponuntur. Non longo pòst tempore in Monte propè Meliaporem, ubi Apostolus pro Christi Fide glorioſè occubuisse non immeritò credebatur, Lusitanis novi templi fundamenta aperientibus candido in marmore Crux apparuit eminenti sculptura, sanguineis guttis interlita, antiquis peregrinæ linguæ characteribus circum circà, compendiarijs notis vitæ Apostoli seriem, concionandi laborem, illustreque martyrium continentibus; ut consulti peritiores Brachmanæ docuerunt. Lapis pro imagine in ara sacelli positus Christianis fuit non levi solatio: qua enim luce Deiparæ Virginis Exspectatio colitur, octo ante natalitiam Christi lucem diebus, ubi primùm Diaconus Missæ sacrosanctum Euangelium canere aggressus est, populo spectante lapidea Crux nativo colore abolito, fulvo auro pallescere, denigrari mox, & obscurari, cæruleo deinde colore pulcherrima splendescere, versicolor durante sacro, peracto unicolor. Eadem luce

D. Thomæ Apostolicorpus repertum & honoratum.

Crux annis singulis ante festum Apostoli sanguine purpurascit.

luce ſingulis annis anniverſarium miraculum recurrebat: quod, ſi aliquando deeſſet, experientia teſtante, portendi in ſolitum aliquid patubatur.

Religioſae diſciplinae reſtaurationem quàm curaverit.

Conatu non inferiori Religioſarum familiarum perfectiſsimè vivendi normæ invigilavit: Luſitaniæ Numam illum jure appellares. Dum enim Religioſum ſtatum, & Eccleſiaſticum ordinem ad natiuum ſplendorem omnibus viribus reducere ſtudet, publicos totius populi fontes repurgat, & ſalientes in æternam vitam ſcaturigines vitro ſplendidiores, cryſtallo pulchriores reddit. Qua propter inſignes virtute & religione viros diſsimilium familiarum ex Regnis, nationibusque exteris, ubi gentium, ac terrarum florere intelligeret, in ſuum Regnũ benevolè accerſiuit. Qui illas Deo auſpice magna exparte priſtinę morum ſanctiſsimorum integritati, legumq; obſeruantię, qua nunc temporis certatim florent, ſingulari dexteritate, ac prudentia reſtituerunt. Hæc verò, & ſimilia profuſis ultrò opibus exequi non dubitabat. Nam cùm de reformanda Religioſa familia ageretur in ſenatu, unum Regii conſiliarii objiciebant, expendenda ſcilicet fore hoc in negotio ex Regis ærario triginta aureorum millia. Quid iſta? inquit Rex; tantula vos retardant? Agite, fiat tandem; tanti enim intereſt unamquamque ex his familijs reformare, tam gratum Deo optimo Maximo, & hominibus jucundumeſt, ut non ſolum triginta aureorum millia facilè expẽdero, ſed exhauſtis opibus, meam, auguſtum capitis inſigne, coronam libentiſsimè oppignoravero. Sereniſsimi Regis auxilio, & favore duæ Capuccinorum Provinciæ Pietatis videlicet, & Arrabidæ in Luſitania creatæ ſunt, quam vitæ aſperitate, morumque ſuavitate ad Chriſtianam pietatem acriter ſtimulant.

Sumptibus in eam rem minime parcebat.

Ille Tomarenſe cœnobium nobilium Chriſti equitum caput, Regularium eſſe voluit rubram candida in veſte Crucem gerentium ſub D. Benedicti normis, & inſtituto 1522. anno. Vtque nova hęc familia ſub Religionis forma adoleſceret, Deipara à luce templum propè Olyſiponem ad novum domicilium extruen-

extruendū illi conceſsit, regia magnificentia nobilibus conferendum. Ille Societatis IESV Religioſos auſpicijs doctrinaque B. Ignatij Loyolæ tunc in urbe exorientis in Luſitaniam adduxit, impetratiſque ſociorum duóbus, B. Franciſcum Xaverium Apoſtolica auctoritate legatum in Orientem miſit: retento patre Simone Rotericio ad novam ſociorum in Regno Coloniam. Nec verbis facilè explicari poteſt quanto in amore hanc novam familiam Rex Ioannes habuerit, ſub illius enim auxilijs, & tutela adolevit, & brevi collectis viribus ad heroica per orbem facta extendit cum ſole manus. Conimbricæ numeroſum Collegium, ubi ducenti, & eo plures ſocij alerentur, Regia munificentia ædificavit: illiſque minores Academię Conimbricenſis ſcholas, Philoſophię videlicet, ac triplicis linguæ regendas tradidit. Olyſipone inſignem D. Rochi domum profeſſam, Goæ in Principe Orientis urbe S. Pauli Collegium, aliud Bayæ in Braſilia. Quæ tria Collegia trium Societatis Provinciarum tam diſsitis in Regionibus ſunt capita, & reliquorum maxima; longumque foret innumera non tam Regis, quàm parentis amantiſsimi in Societatem univerſam collata beneficia recenſere.

Societatis Ieſu nutritius fuit Ioannes.

Collegio Conimbricenſi à ſe ædificato partem Academiæ adiunxit.

Plura alia Societatis domicilia erexit.

11 Nulla in re eximia Ioannis prudentia magis eluxit, quàm in eligendis viris ad Regni munera, & Magiſtratus idoneis: & in regendis incorrupta juſtitia, ac pacifica gubernatione populis. Et quemadmodum pio in Deum affectu cum Religioſiſsimo quolibet facilè contenderet: ſic matura prudentia & ſapientia plurimis Regibus albis pręiret quadrigis. Vnde cùm ejus pater Emmanuel ob illuſtria in bello geſta fortiſsimo Regi Davidi; ſapiens, paciſq; amantiſsimus Ioannes ſapientiſsimo Salomoni ob juſtitiam in toga, paciſq; abundãtia vulgò conferebatur. Regis magni intererat, ut in pecunioſa lite ad plura judicũ ſuffragia dirimenda, 30. ſcilicet aureorum millia lucraturi, cauſa non cadere. Itaq; quod ſibi jure deberi exiſtimabat ſecurius obtineret, Regium ſenatorẽ Franciſcum Dias Amaralium, quem ob laudabilem in judicando integritatẽ & prudentiã amabat,

Maturitas in electionibus Magiſtratuum.

tenuesque viri fortunas muneribus non semel juvabat, judicem ascivit, mediúmque inter reliquos quatuor rem optimam directurum collocavit, Regi, qui aderat, duobus primis suffragantibus, surgens Amaralius, libentissimè, inquit, serenissime Rex, in horum sententiam pedibus irem, si justitia, quę nunc contra te, pro te staret: simúlque oppositas ex diametro rationes juris, ac legum sanctionibus munitas in medium protulit, ac contra Regem demisso vultu subtristem apertè suffragatus est: duobus enim alijs Amaralio subscribentibus Rex ipse causa cecidit. Postridie tamen illius diei accersitum in regiam Amaralium benevolis verbis perhumaniter excepit, & pro illa singulari incorrupti animi integritate gratias egit, retulitque statim, nec deinceps referre cessavit.

Conimbricensis Academia amplitudo & reditus.

Quantum illi debeat Fidei propugnaculum, sacra Theologia, cæteræque liberales artes, testis est Conimbria: quam altricem scientiarum, ut olim fecerat Rex Dionysius, esse voluit: accitis illuc magnis propositis stipendijs, & honoribus ex Gallia, & Hispania florentissimis præclara eruditione magistris: locupletata Academia plus triginta millibus aureorũ annuis. Illi enim Romano Pontifice annuente, extincto maximo sanctę Crucis prioratu Regum, vel Dynastarum filijs conferri solito, amplissimos reditus, ac multarum paræliarũ jura impertitus est, liberalem Regis Philadelphi in Alexandriæ Lycæum humanitatem, & magni Caroli in Parisiensia gymnasia munificentiam antecellẽs. Mulea in eadem urbe Religiosorum collegia condidit, dotavitque, ne scientiarum ijs deesset ornamentum, quos virtute cumulatissimos cupiebat. Certissimam benè regnandi methodum à Deo, quem dubijs in rebus fidenter consulebat, hauriebat, & à fidis monitoribus, quos ad indagandum quid sinistris sermonibus in Rege vulgò caperetur ac reprehenderetur, submittebat. Hisce monitoribus benevolas dabat aures maledicendi materiam exterminaturus: quod in Valentiniano Imperatore sanctissimus D. Ambrosius mirificè commendavit.

Monita libenter admittebat.

Præ

Præ cæteris dotibus excellentiſsimis mitiſsimi Regis omnibus cognita clementia maximè laudanda eſt; læta placidi oris ſerenitate populum exhilarabat; utque madefactæ rore matutino herbulæ, floreſque lectiſsimi germinante ſolo momento penè ſurgunt, & ſe ſe gratiosè explicant; ſic benefico Regis aſpectu omnes vegetabantur. In verbis comis & modeſtus, ne ullum læderet. Cùm omnes ad ſermonem coram Regina admitteret, intemperanti lingua quædam muliebri furore excanduit, uſque adeò, ut nimiam infracti Regis patientiam Regina cavillata fuerit. Cui Rex; Ecquis, ait, Regina, ſi illam ego non patiar excandentem, patietur? Accedente ad auguſtiſſimam ſynaxim Rege, vir claris ortus natalibus, cui paulò antè magna redituum pars, adjudicata Regio fiſco lite, erepta erat, dolore, ut putabat, juſtiſsimo, percitus, elata voce, rei indignitatem palam audaciter objecit, & expoſtulavit: ſibique non juſtiſsimarum rationum inopia, ſed Regis potentia adjudicatam eſſe litem: & meritam æquiſsimi Numinis vindictam precatus, ſacerdoti temeraria proteſtatione indigno Regi Euchariſtiam miniſtrare interdixit. Illum Rex eadem animi tranquillitate, & ſerenata fronte audiens (de vindicta tantum abeſt ut cogitaret) importunum expoſtulatorem ſpei recuperandarum fortunarum plenum demiſit.

Clementia Ioannis.

Patientia in audiendis opprobrijs.

Ius dicturus omnes nullo habito delectu, nullo ſtipatus ſatellitio horrorem miſeris incutiente, quin imò mira facilitate ad accedendum invitabat, eademque excipiebat. Seram aliquando Regis audientiam ſub noctem fœmina inſtanter poſtulavit, quod ubi reſcivit, inſolitum quid meritò ſuſpicatus admitti juſsit. Illa, ut coràm data fandi copia; unum, ait, à te Rex ſereniſsime ſcire aveo; ſi me ſpreta ſacri conjugij fide in ſcelere meus conjux deprehenderet, deprehenſamque lethali ferro transfigeret, hanc interfectori noxam facilè condonares? Quid ni? ait Rex. Bene eſt, inquit fœmina; Optimum mihi arbitrum elegi; ut enim meum conjugem trans Tagum in mea dotali villa cum pellice immorari cognovi, illicò iſtam

Ius frequenter & cunctanter dicebat.

Fœminam abſolvit, quæ adulterum maritum Amazonice occidit.

mihi inferri injuriam ægrè ferens, duobus meis mancipijs promisso libertatis pileo stipata cymba fluuium trajeci; Tanti dux fœmina facti! & eversis magna vi à cardine villæ foribus, juvantibus mancipijs perfidum conjugem, pellicemque pugione transfodi; clausisque iterum foribus te ipsum, quam ille impetraret veniam, petitura convenio. Cur enim me in adulterio sine judicio impunè occideret, illum ego adulterantem nec digito attingerem? Ioannes rei novitate defixus, virilemque fœminæ animum, ac prudentiam miratus, illam abire jussit liberam, & occisos sepeliri.

Liberalitas in egentes.

In distribuendis regia liberalitate muneribus insignis fuit: multas annis singulis puellas parentibus orbas dotatas maritabat: multas præbita suo ex ærario pecunia viduas, ac pupillos alebat. Pauperibus vestes innumeras: redimendis ex misera servitute captivis magnam pecuniæ vim largiebatur. Ex hoc paterno in suos amore alienarum fortunarum damna magni, suarum parvi faciebat. Nocte quadam intuitus pulcherrimam vastæ molis onerariam sub D. Antonij tutela in Indiam navigaturam parte oneris jam imposita grassantibus undique ex fortuito incendio flammis laterum compages, turritam puppim, ac proram, picata aplustria, rudentes, ac vela comburentibus, interrogavit an privatorum merces illo incendio perirēt; factusque certior Regias tantùm perire, eo perfusus est gaudio, ac si eadem oneraria pretiosis Asiæ mercibus onusta Olysiponensem portum incolumis subiret. Subit ex occasione mentē Neronis ex Mecœnatica turre nubibus propinqua exardescentem Romam per otium contemplantis, an vetus Troiæ incendium ad vivum exprimeret, & lyra crudeli cantu funus patrium prosequentis. Diebus Veneris in capitalium Iudicum senatu præerat, ut coram illo expensa maturo judicio reorum causa, si res postularet, capite damnarentur. Antiquam Regni legem abrogavit furunculis infamiæ notam inurentem, ne redditos in meliorem frugem inustum facie stigma indigno latrocinij præconio traduceret; Dei optimi

Damna popularium, non sua dolebat.

Infamiæ nota curavit, ne furunculis imponeretur.

mi clementiam, quoad posset, imitaturus longè indignum judicabat non ex præsenti laudabilium morum justitia, & egregijs meritis homines magni æstimare, sed ex præteritis erroribus illorũ famam perpetuò obscurare, meritaq; fugillare.

16 Cùm de conferendo Episcopatu in senatu coram Rege ageretur, inter idoneos designabatur quidam, nobilitate, cęteriśq; dotibus illi muneri aptissimus. Vnus tamen ex consiliarijs dubium se ostendit, illud scilicet objiciens, quod juventutem liberius traduxisset: quanvis in præsens vita integer, sapientia, prudentia, alijsque virtutibus commendabilis, alijs esset exemplo. Rex tandem omnium suffragia colligens, in viro illo nobili virtutes enumeratas elucere reperit. A quibus nec latum unguem discedens: Absit, inquit, ut quod illi in divinæ Majestatis conspectu non obest, impeditvè, coram me obsit, ac impediat: iniquum enim est, præterita juventutis delicta, & si quas habuit ignorantias, præsentia merita malignè obscurare; decrevitque, ut ad tale beneficium omnino eligeretur.

Criminaiam obliterata nulli nocere volebat.

17 E fenestra inter transeuntes conspicatus, duos è Dominicana familia, quorum alter ob canoram vocem omnibus notissimus erat, quam primùm illos in regiam accersivit; & de prospera Prælatorũ, subditorumq; valetudine quęrens perhumaniter, inter alia, quò tunc se conferrent, interrogavit. Ad interrogationem pudore aliquantulũ suffusus Religiosus vir hęsit tacitus: sed, Rege vehementiùs urgente, ingenuè fassus est, à Priore monasterij ad sanctimoniales Annunciatæ Virginis missos, ad mutuum frumentum, cujus penuria cœnobiũ laborabat, peterent. Aliò Rex sermonẽ prudens avertit, illosq; abire jussit. Vix abierant; illicò suum vocat œconomũ, cui imperat, ut ad Domínicanorum cœnobium 40. tritici coros, ac totidẽ vini cados quamprimũ mittat; dictum, factũ. Semel etiam ex fenestra quendam ex Franciscana familia ostiatim mendicantem vidẽs, intactas solum regiæ fores præterijsse, animadvertit. Accersitum monachum amantissimis querelis Rex pijssimus interro-

Religiosestipe collatæ quam iuverit.

interrogat: quid mali aulæ fores illi fecerint, ut illas tantum, cùm ad reliquas ultrò accedat emendicans, veluti crudelia limina, & avarum littus fugiat? Ad hanc paternam querelam, ex præscripto cœnobiarchæ id feciſſe, monachus respondit: Abi, inquit Rex, illiq́ue meo nomine ediſſere, hanc etiam aulam, ut reliquas in vicinia domos, Chriſtianos habitare: quibus deinceps tantam injuriam immeritò inferre caveat. ſuiſq́ue injunxit, Franciſcanis illac cum pera emendicantibus eleë. moſynam ſemper elargirentur.

Benignitas in eos qui vectigalia interciperẽt

Nobilis vir claris ortus natalibus ex India in Luſitaniam 18
pervenerat. Huic pretioſarum copia gemmarum, pretij duodecim millium aureorum plus minus, à regiis miniſtris ob malè ſervatas in eo Regni leges, intercepta eſt, ad Regemq́; adducta, qui viſas per otium gemmas ſub velo ſerico, quo menſa ornata erat, abcondit, & illarum dominum acciri iuſsit. Cum eo varios ſermones interſerens, & an proſpera eſſet valetudine poſt tot moleſtę navigationis labores; tandem an gemmarum, & margaritarum aliquid importaverit, percontatur. Importavi equidem, reſpondit ille, ſed in ipſo portu, ne dicam in urbis portis, inter tot Oceani ſyrtes, & charybdes prius illæſę, miſero naufragio perierunt. Recognoſces, ait Rex, ſi illas videris, recognoſcam, ut credo: deducto ſerico menſæ velo, iſtæ ne Rex ait? Ipſæ equidem, ſereniſsime Rex. Abi igitur bonus, & omnia tua tecum porta, quandoquidem mihi ſerviens ſtrenuam operam ſedulus, ac fidelis navaſti: & hæc qualiacumque non facili labore comparaſti: nobiliq́ue amiſſas gemmas muneficè reddidit, hic verò clementiſsimo Regi ob paternum in clientes amorem gratias immortales. Quod ſequitur non ab ſimile, ſed germanum eſt. Indicarum navium cuſtodes, unius ducem ad Regem detulerunt, quod nocte binas ſcaphas, ſublato ex oneraria cinnamomo clanculum oneraſſet, ne ſolita victigalia penderet, illaſque Sacaveni in oppido ad Tagi ripas, duabus ab Olyſipone leucis fraudulenter abſcondiſſet, Benigno Rex in delatum ducem animo, eiuſque miſeratus egeſtatem, quam optimè

Aliud exemplum ſuperioris germanum.

optimè noverat; de facto ultrà quæri, prohibuit, sed prorsus dissimularit.

19 In diras fortunarum angustias & incitas redactus clarissimus vir Franciscus Rolinus, oppidum suum Azambujam vendere statuerat. Antonium Attaidium Castanheiræ Comitem ob insignem prudentiam, & alia præclara ornamenta sibi maximè gratum, & acceptum Rex peramenter monuit, ut Azambujam omnino emeret ipsius Comitis oppidis vicinam, nec tam pulchram occasionem elabi è manibus pateretur, & ne utili emptioni obstaret nummaria difficultas, quinque aut sex aureorum millia Comiti liberaliter obtulit. Ad hæc generosissimus Comes æquitatis, honorisque unicè amans, exoscalata prius ob tantum beneficium Regis manu; Memineris, inquit, serenissime Rex, Franciscum Rolinum ab illis externæ nationis majoribus genus ducere, qui sanguine nobis hanc patriam peperere suo, nostrisque olim progenitoribus in partem operis, ac laboris acciti, ut Olysiponem Regni caput gravi Maurorum jugo liberarent, in nostramque ditionem feliciter assererent. Rolinum igitur suis, & avorum meritis dignissimum puto, ut regiam munificentiam experiatur, nunc præsertim, nec hæreditarium jus avito oppido excedens divendere cogatur. Huic verò malo promissa mihi aureorum millia præsens erunt remedium. Rex paululum subsistens eximiam magnanimi Comitis generositatem miratus: Benè est, inquit, dictum probo, pro monitis grates habeo, eademque aureorum millia meo nomine Rolino numerentur. Ampla hîc eloquentia studiosis dicendi materia, & amplissima seges offerebatur, tam in Regis liberalitate, quàm in singulari Comitis magnanimitate. Iuréque hoc in exemplo ambigeres, cuinam primas dares, Reginè an Comiti. Sed à nobis rerum gestarum capita promittentibus alienum est, vel etiam in præclaris rebus immorari: hujusque perjucundæ litis judicium penes legentes relinquimus.

Pecuniam mutuâ dat, ut Equitis indigentiâ relevet.

Thomas

Thomas Souſa Regem, cujus erat œconomus, admonuit, 20
plures in Regia eſſe aulicos, & clientes inutiles, & ſupervacuos,
Dicebat alios eſſe in aula quibus Rex, alios qui Rege egerent.
ad breviorémque numerum redigendos videri, ne regiæ opes tantis expenſis inutiliter funderentur. Regis autem iuſſu duplicem cathalogum ſcripſit, de neceſſarijs miniſtris alterum, alterum de ſuperfluis. Vtroq; perlecto, & conſiderato: horum, ait Rex, ô Souſa mihi, illis verò mei opus eſt, ne pereant: horum ego opera indigeo, illi autem meis opibus: proindéque ex utroque numero neminem excludi, æquo animo ferendum eſt.

Sorori ſuæ Eliſabethæ Imperatrici Caroli. V. uxori pro do- 21
Honeſtum nihil Rex præferebat.
te aſsignavit Ioannes Rex decies centena millia aureorum. Regijs negotiatoribus in Flandria commorantibus commiſſa eſt provincia ſolvendi hanc ex Regis opibus pecuniam. Quam illi cùm non eſſent ſolvendo, per teſſeras nummarias, illam ſub fœnore in Luſitaniam transmiſerunt; ex Luſitania deinde novis ultra ſortem lucris in Flandriam remiſſa eſt, ita ut indies nova lucra non levi detrimento immodicè excreſcerent. Actum in regio ſenatu, quo pacto tanto damno obviàm iretur. Alijs alia opinantibus, poſtremo omnibus viſum eſt, ut particulares ex reditibus regijs penſiones (quas Luſitani Tencas vocant) ſolvi ſolitæ, interim dum grandis hæc pecunia ſolueretur, penitus ſuſpenderentur. Negotium Rex Doctori Antonio Pinario in curia tunc concionanti commiſit, ut inter concionandum audientium animos tentaret, & ad hoc patienter tolerandum præmeditata oratione appoſitè leniret, ac ſuaderet Vt iuſſum eſt, Pinarius egregiè præſtitit eloquentia non vulgari. Inter alia, ducta comparatione, ſic navigantibus uſu venire, dixit, ut urgente pro cella, mariq́ue in onuſtam navim arietante ſingulorum merces in fluctus ultrò ab omnibus certatim projiciantur, communi ſcilicet malo occurrentibus. ne onere penitus fatiſcens navis pelago abſorbeatur; non aliter aliquo ſingulorum damno, & iactura Regni navem indies graviorem levandam eſſe. Non multis pòſt diebus frater

Tho-

Thomas ex Dominicana familia in concione Pinarij dicta haud obscurè reprehendit, adductam comparationem non satis miratus: nam merces in mare projicere, ne homines vitâ periclitarentur, optimo in usu positum esse; hominum verò vitam, & ad vivendum necessaria, ne perirent merces, liberaliter prodigere, inauditum esse, dixit. Concionatoris dictum ad Regis aures advolavit benignè illud, non gravatè ferentis, collaudato insuper Religioso viro, & pensionibus solvi jussis.

In exteras nationes suam beneficentiam extendebat.

Non solùm Regia hæc benignitas in Lusitaniæ nosocomia, & sacra tam virorum, quàm fœminarum cœnobia extendebatur, sed in multa etiam Castellæ, & Callecíæ; sacris ædibus thura, ægris è saccaro bellaria, sanis omnis generis aromata præbens. Hæc eadem Societatis IESV collegijs Galliæ, Belgij, Germaniæ, & Italiæ præstabat, quæ Lusitaniæ Reges huc usque laudabiliter continuant. Olysipone incœptum ab Emmanuele Bethlemicum cœnobium verè Regium, in Principum Mausolea magnificè absolvit. In Tomarensi (ut alia tacitus prętéream) pulcherrimum mirabilis architecturæ peristylium fabricatus est, à Philippo I. hujus nominis Lusitanorum Rege posteà absolutum. Bellicarum arcium tres præcipuè operis magnitudine, militum numero, & tormentorum apparatu celebres ædificavit, Mazaganicam in Africa, Dienſem in Cambayæ Regno, Armusianam extra Persici maris fauces. Eboræ (quam urbem Rex unicè amabat, & frequenter incolebat) insignem aquæductum, quem Argenteum dicunt, sumptuosè instauravit: factus olim à Quinto Sertorio Romano opulentis Celtiberorum spolijs, ut hoc monumento Romanum municipium condecoraret. Cętera Regię liberalitatis argumenta ne prosequamur; sit instar omnium Romani Pontificis testimoniũ seipsum, & reliquos illius ætatis Principes à Ioanne serenissimo munificentia dubio procul superari non semel asserentis.

Arces & aquæductus multis in locis extruxit.

Res sub eo gestae in India.

In toga præclara hæc, vel Deum coleret, mores corrige- 23
ret, leges conderet, liberales artes animaret. In sago non inferiora edidit, bella in Oriente acriter urgens, parta gloriosè conservans, novaque devictis fortiter hostibus Regna Imperio addens. Illo enim regnante classes omnium maximę robore, ac milite ornatissimæ in Indiam solverunt: comparatę summi momenti illustriores victoriæ, & celeberrimæ toto orbe obsidiones magna nominis commendatione sustinuerunt Lusitani. Non enim cum Indis, sed cum instructissimo veteranorum Turcarum exercitu, bellicosisque alijs nationibus nimia contentione animosè certabatur. Postquam Bethelem Insulam Prorex Nonius Acunia expugnavit, evertitque, captis Baçaino, & Damano urbibus in India notissimis: occiso potentissimo Cambayæ Rege Sultano Badurio, Dienssem arcem valido impositio præsidio extruxit.

Classis Turcica à Lusitanis superata.

Magnus Turcarum Imperator anno millesimo, quingen- 24
tesimo, trigesimo octavo, non levibus expensis numerosam classem ad pellendos Dio, cæterisque Orientis provincijs Lusitanos, ad Posidium, quæ vulgo Sues, dicitur, paravit: cui exercitatissimum ducem Solymanum AEgypti præsidem præfecit probatæ in Rhodiensi obsidione virtutis. Classem æneis tormentis, veterano milite, Ianizerisque Turcici exercitus robore copiosè exornavit. In illa (accesserunt enim Solymano Cãbayanæ) octoginta naves numerabantur, triremes præsertim quatuor & quinquaginta, rostratæ sex, quadriremes, quas vocant Galeatas, quatuor, præter altioris formę navigia, quę velis agebantur. Huic tanto belli apparatui, junctis unà Cambayę viribus metuendo, fortissimus Dux Antonius Sylveira animosè restitit, gravemque pertinacissimi hostis obsidionem, importunas aggressiones & stratagemata, sexcentis tantùm Lusitanis obstinatis ad vincendum, vel moriendum animis gloriosè sustinuit, magno suorum

decore

decore, & Ottomanorum dedecore: qui Lusitanorum vires magna honoris, occisorumque trium millium bellatorum jactura experti, intempesta nocte plurimis ægris, ac bombardis fœdè relictis, naves ad fugiendum conscenderunt. Quapropter Franciscus Galliarum Rex; apud quem bellicæ virtutis laus magni semper fuit ob relata in Diensi obsidione gesta (illius enim fama Asiam, & Europam pervasit) Sylveiræ ad vivum expressam imaginem delatam ex Lusitania inter alias fortissimorum Ducum tabulas in aula suspendit.

Antonij Sylueiræ contra Turcas fortitudo.

Duo, quæ in expugnatione Dij, arcisque obsidione contigerunt, non omittã; belli alterũ, alterum naturę prodigiosum miraculum. Sylverianus miles, exhaustis crebra jaculatione globulis ad opportunum ictum Martio calore furens dentẽ sibimet avulsit, avulso oneratam fistulam non irrito jactu exoneravit. Adeunte Dij possessionem Prorege Nonio, inventus illic vir genere Bengala Nestoreæ ætatis; quintum, & trigesimum supra trecentos numerabat annos certissimis conjecturis, & argumentis. Nam, cùm nec efformare sciret characteres, longam præteritorũ annorũ seriem & quo tempore gesta acciderint, memoriter repetebat, eo, quo in antiquis annalibus scripta erant ordine. Accedebat indigenarum testimonium affirmantium tradita per manus notitia multa de illo vivace Tithono à suis parentibus, avisq; accepisse. Exciderant ei quater aut quinquies dentes, toties renati; canitiẽ toties induerat, & exuerat nova barbę nigredine juvenescẽs; ad centesimum annum Ethnicus falsos deos coluit: tum temporis, ut ex calcaria in Carbonariam transiret, turpem falsissimi Mahometis sectam observabat. Nonagenarium habebat filium, alterum annorum duodecim; statura parvus, ingenio debilis, inops semper, & ostiatim mendicans. Centum jam annos in illa urbe vivebat certo à Badurio stipendio, quod à Prorege confirmari, solvique deinceps ob vitam prodigiosam petebat. Subscripsit ultrò precibus

Miles dentem in fistulam pro globo immittit.

Nestorea Bengalensis hominis ætas.

Nonius, ne crudelior fame enecaret, cui mites Parcæ tandiu pepercerant.

Secunda Dij obsidio mirabilis.

Non minus glorioſa, nec minori cum laude orbẽ pervagata 26
eſt anno milleſimo, quingẽteſimo, quadrageſimo ſeptimo, ſecunda Dij obſidio: & incredibili virtute à ſexcentis circiter Luſitanis Ioanne Maſcaregna duce benè propugnata arx adverſus Cambayanum Regem Sultanum Mamudim, Orientis viros, lectoſque ex bellicoſis Europæ, Africæ, Aſiæque nationibus milites ſecum trahentem, quos inter Turcarum ſex millia numerabantur. Sed eo animo dux, ejuſque laboribus infracti milites, ſupplente propugnatorum paucitatem audacia, clariſsimis geſtis oppugnatam à triginta hoſtium millibus arcem propugnarunt, ut dirutis ex parte muris continua tormentorum jaculatione, fortia pro muris pectora (quæ olim Spartanis Licurgus reliquerat) audaciter offerrent. Cumque in arce reliquis, vel occiſis, vel graviter ſaucijs defenſorum numerus ad centum & quadraginta redactus eſſet, unam, ad honeſtam deditionem, conditionem ſupereſſe intelligebant: in ipſis murorum ruinis egregiè dimicantes ad unum honeſta morte occumbere, madefactiſque ſuorum commilitonum ſanguine ruderibus tumulari. Quarto bſidionis menſe Caſtrius Prorex obſeſsis attulit ſuppetias mille, & quadringentos Luſitanos, Indos Goenſes trecentos: ingreſſuſque arcem penè vacuam, & collaudata Saguntina ducis, ac militum conſtantia, tam parvis copijs auſus eſt Cambayano ultrò pugnam offerre, ac duobus locis ex militari diſciplina diſtento collatis ſignis tanto impetu inferre, ut glorioſiſsimam in Oriente victoriarũ feliciter adeptus fuerit, fuſis, fugatiſque Cambayanis; quorum ea die equitum, peditumque octo millia ceciderunt. Noſtrorum deſiderati quinque & quinquaginta: non ſine ope cœleſti, ut ipſimet Barbari fatebantur. Nam medio in conflictu in arce ſuper templi pinnas clariſsimo ſplendore circundata auguſtæ Majeſtatis fœmina

Ioannis Maſcarenie virtus.

Dio pro muris erant pectora Luſitana.

fœmina apparuit, emiſsis ex ore clariſsimo radijs hoſtium oculos perſtringens, graviq́ue timore turbans. Verſi deinde milites ad opulenta ſpolia tam in caſtris, quàm in urbe, quo victoriam ante bellum canentes pretioſos divitiarum theſauros congeſſerant.

27 Nec Luſitaniæ per id temporis decus illud & gloria deſiderata ſunt, quæ Martyrum patriæ ſolent accreſcere: feliciter enim pro Chriſti nomine, & intemerata fide varijs tormentorum molitionibus diſtracti ad ſuperos evolarunt, uno die Luſitani quindecim, iterum duodeni, quos Adeni, quæ urbs ad Rubri maris fauces ſita eſt, Mahometanorum perfidia à ſyncera religione dejicere fruſtrà conata fuit; quorum tamen nomina invidit oblivio. In Ceilano inſula Prorege apud Indos Alphonſo Noronia aliqui è Franciſcana familia feliciſſimo martyrij triumpho vitę incommoda & ęrumnas commutarunt: horum ſequuti exemplũ & veſtigia aliquot Neophytorum, quos Tribuli Pandor fidei deſertor impudens, & ſęvus ſuſcepta ſacra abrogare cùm ſuaderet, non perſuaſit: ſed neque horum glorioſa nomina aſſequi potuimus.

28 In Tingitana Africa plures adverſus potentiſsimos exercitus obſidiones animosè tulit, pluresq́ue feliciſsimo eventu pugnas pugnavit. Inter obſidiones eminet Cafinenſis, obſidente ſex menſibus urbem Rege Xarifio militum centum millibus, factis crebrò validis impreſsionibus, concuſsis priùs metuendo bombardarum ſonitu, bellicarumq́ue machinarum artificio muris. Incluſi tamen etſi perpauci, & in hoſtili ſolo, ita ſeſe ad extrema ſubeunda obdurarunt, laudandaq́ue pertinacia urbem defenderunt, ut feſſum diuturna oppugnatione Xarifium, multis jam ſuorum amiſsis, pudore ſuffuſum ab irrito incœpto deſiſtere coegerint. *Obſidio Cafinenſis in Africa.*

29 Ne tamen proſperis rerum ſucceſsibus, vanæ ſuperbiæ criſtas attolleret Ioannes, reflante in eadem Africa fortuna, gaudium Cafinenſe gravis triſtitia diluit. Nam Xariphius *Infelici ſuccęſſu Luſitani in Africa caſtello atteruntur.*

Rex Suensis anno millesimo, quingentesimo, trigesimo sexto, sub signis militum quinquaginta millia ducens, bellicæ disciplinæ peritissimus, Lusitanæ ditionis oppidum in Guerensi Africæ promontorio, divisis opportunè stationibus arctissimè circumdedit: post longam obsidionem, multasque Maurorum summa vi irruentium impressiones, inclusi reddita non segniter jaculatione oppidum egregiè defendebant, de victoria adeò certi, ut propugnationis dux ad Regem scripserit, ne plures in auxilium milites, sed bellica tantùm aliquot instrumenta, tormentarium pulverem, globos, aliaque id genus illi mitteret. Non juvit tunc audaces fortuna, quin potius malignè invidit. Casu bombardarius explosor, accensum funem manu gerens, sulphurei pulveris cadum incautè volvebat, in quem labente scintilla, accensus repentè pulvis horribili fragore, subitisque flammarum globis, obvia quæque dissipat & evertit. Quo infortunio per divisos vasta ruina muros barbara vociferatione irrumpit hostis. Lusitani dubijs subito in casu consilijs ancipites, irrumpentem innumerabilem hostium multitudinem frustrà repellere, & sustinere conati cadunt alij, è muris alij demissos lapsi per funes ad naves enatant, quæ jactis in portu anchoris stabant: cum duce alij ad prætoriam turrem confugiunt: cujus in vestibulo ducis gener strenuissimus, fractis jam tibijs utroque nixus poplite aditum Mauris generosè impediebat, rotans ambabus manibus rompheam quousque eminus crebris missilibus confossus occubuit. Dux, & qui in turrem evaserant, acceptis, quas adversa fortuna obtulit, conditionibus Xariphio se dederunt.

De Africæ expeditione deserenda consultationes.

Hoc infilici casu, & immodicis tot præsidiorum in Africa sumptibus cõmotus Rex, simulq; exigua, ut longa experientia docuerat, vel nulla spe adducendi ad veram fidem perfidos Mauritanos, quod præcipuè Ioannes intendebat: triplicemque

cemque Lusitanorum in locis remotissimis bellicam expeditionem, Indicam videlicet, Guineam, ac Brasilicam, ubi terrarum spreta deorum superstitione ad sanctæ Crucis vexillum ethnicorũ examina evolabant: unde etiam pretiosissimæ merces indies copiosiores in Lusitaniam importabantur, prudente ac maturo consilio expendens. Veritus tandem est, ne dum multos lepores sectatur, nullum caperet. Quanvis enim ingentes Lusitanorum animi, in Regno licet angusto, majorum expeditionum capaces viderentur: tam exiguus erat, si hostes considerares, eorum numerus, ut solum ad manifestandum Dei auxilium, quo protecti non tam militabant, quàm triumphabant, abundè sufficerent. Ad hæc Africanum bellum difficilius reddebatur; quòd Africani multitudine innumerabiles, ac bellicosi (namque fore bello egregios fata Libyæ canebant) equestribus certaminibus exercitatis, in dies peritiores evadebant. Illorũ verò regio non erat adeò opulenta, etsi Libycæ messes à Poetis commendentur; & unius Regis Xariphii imperio subdita, quod initio hujus belli non contigerat. Nam quæ olim multis divisa Regibus, ac regulis parebat, unum Xariphium tota, junctis viribus observabat, ad nutum obediens. Semper equidem æqui rerum æstimatores judicarunt prudentissimè, parua aliqua ultrò hostibus relinquenda, ne illorum causa magna periclitentur. Politica enim administratio, & scientia militaris pro comperto habet, in hostili solo ferocis, ac belli potentis nationis, non licere Regi bellum gerenti, imò nocere maximè vires dividere, pluresque arces, ac minora præsidia conservare, quæ vix sine periculosa honoris jactura defenduntur; sed operę pretium esse paucas valido præsidio arces idoneis in locis munire; quibus partus tot laboribus honor, tutò conservetur, & feliciter augeatur; ut nunc, olimque apud militiæ peritissimos Imperatores in more positum est.

Rationes ad Africam deserendam.

Ob

Caetera praeter urbes maritimas Mauritanis relinquuntur

Ob hæc, firmaque alia rationum momenta, lento habito 31
consilio, auditis expertorum virorum sententijs, consulto Pontifice Maxim. & Imperatore Carolo V. Regis leviro, omnium suffragijs tandem decrevit Saphinum, Azamoriumq; in Africa vrbes, & oppida Alcasarum Ceguerium, Arsillamque vacua Mauris deserere. Adductisque illinc tormentis, ac bellicis instrumentis, Septam, Tingim, ac Mazaganum munivit præcipuas urbes maritimas, & navium idoneis portibus capaces ad prosequendum Africanum bellum, si ita succesforibus arrideret, accommodatas, omniumque aptissimas. Non defuerunt tamen qui factum penitus damnarent, & velut indignum tanto Rege, consiliariisque liberè carperent. Sed Ioannis sententiam adeò probavit postea nomine Philippus Rex prudentissimus, ut Arsillam Lusitaniæ ditioni iterum subditam, iterum deserendam judicaverit, & re ipsa deseruerit.

Ioannis uxor & liberi miniime vitales.

Ex Serenissima Catharina Philippi, ac Ioannę Castellę Prin 32
cipum filia Caroli Imperatoris sorore prolem suscepit numerosam, sed non vitalę, primo floridę ætatis limine perituram; Principem Alphonsum; deinde Mariam, quæ Philippo Hispaniarum Principi nupta, & septemdecim annos nata, post editum Carolum primo puerperio, ultimam brevis, vitæ diem clausit Vallisoleti anno Domini 1445. præterea Elisabetham, Beatricem; nec non Emmanuelem, Philippum, Dionysium, & Antonium in tenera infantia extinctos; Ioannem etiam, qui Ioannam Caroli Imperatoris filiam duxit, eodemque anno viduam reliquit, Sebastianum Regem posthumam prolem mox enixuram; nam decimo sexto ætatis anno præmaturo obitu desolatam Regiam funestavit. Ioanni ante legitimas nuptias natus est Eduardus, qui Braccarensis Archipræsul Hispaniarum Primas, animi verè Regij pietate insignis, animarum studio fervens, humanioribus litteris, Philosophiæ, ac Theologiæ luminibus exornatus flo-

Eduardi nothi virtutes.

rida

rida in ætate defloruit, acri parentis dolore, totiusque Regni non levi triſtitia.

33 Modica fuit Ioannes ſtatura, duplici ſolidoq; corpore, ſucci pleno, liberali facie imperio digna, nigra ac dēſa barba; cęruleis oculis venuſtate, ac Regia Majeſtate venerandis; totoque oris aſpectu venerabili adeuntes aliqu. do turbabat. Cùm illius vita Regno foret maximopere neceſſaria, tum ob prudentiſsimum regimen, moderatumque Regis imperium: tum ob Sebaſtiani trimuli nepotis, Regnique hæredis imbecillitatem. Quem ſub tutela, & diſciplina Reginæ aviæ Catharinæ Luſitaniam interim pro nepote moderaturæ moriens ſereniſsimus Rex Ioannes reliquit, lethali apoplexiâ correptus, Imperii 35. ętatis quinto & quinquageſimo, anno humanæ ſalutis 1557. Olyſipone in eadem urbe, & eodem, quo ortus eſt menſe Iunio, prope urbem in maximo Bethlemici templi ſacello, Regio Mauſoléo conditus Luſitaniam acerrimo æterni doloris morſu perculſam reliquit.

Statura & præſentia vera Regia.

Mors & tumulus.

Ad Regem Ioannem III. hujus nominis

In Natalem ejuſdem.

NAſceris; inſequitur tempeſtas horrida, Nimbi
Inſueti, pluvia præcipitante, cadunt.
Deſuper incipiunt tonitrus mugire, coruſcant
Fulgura fulminibus miſta, flagrante polo.
Certatim venti voluunt mare, ſaxea laxat
Æolus amoto pondere clauſtra notis.
Nullaque Naturæ pars non tremefacta fatiſcit.
Dum nouus Heſperio naſceris orbe puer
Natura immanes partus pariendo laborans,
Significat quantum ſic pariendo ferat.

Ad eundem.

Non ſine juſtitia Regni moderaris habenas,
Non ſine juſtitia Regia ſceptra geris.
Aſsidet illa tibi, majeſtatemque tuetur
Imperii, & factis eſt comes una tuis.
Illa tibi dictat, quas vis imponere leges,
Illa tuo monitus fundit ab ore ſuos.
Diſtringitque tuas in noxia corda ſecures,
Præmia dat gazis largius uſa tuis.
Ambiguum eſt Princeps an tu te affinxeris illi,
Induerit mores an magis ipſa tuos.
Fingitur illa tuis, tu moribus illius, unde
Tu vera effigies illius, illa tui.

Ad eundem.

Pergama lunatis parent Byzantia ſignis.
Deſeruit Latiam, Græcia vana fidem.
Flaua prophanatas Germania ſubruit aras,
Gallia ſacrilegas ducit in arma manus.
Iuſtitia ex Aſia facinus mortale fugavit,
Parturiunt Libycæ barbara monſtra plagæ.
Per tua Regna fides, pietas, virtuſque triumphat,
Et pudor, & priſcæ Relligionis honor.
Diffugiunt trepidæ ſub Averna nigrantia Diræ;
Perfida Luſiadum ſub pede monſtra jacent

Hoc tua vita facit non jura minantia legum;
Pro lege est populis, Rex, tua vita tuis.
Si renovare Deo placet omnia maxime Princeps,
Subjiciat sceptris omnia Regna tuis.

Tumulus ejusdem.

Regia quem tumulo moles operosa recondit,
Cui clypeum insigni facta decore notant:
Nil est, in nihilum recidunt quando omnia, quanvis
Quisquis is est potuit maxiama; summa tulit.
Rex fuit, officium Regis bene præstitit; ingens
Pacis amor, Martis non leve fulmen erat.
Quàm gravis incubuit Maurum super ille duello.
Sub tumulo tellus tam levis ossa tegat.
Estne hic Alexander? Non est; proh quam bene servat,
Quæ bene quæsivit Regna superba parens?
Estne ferox Cæsar? patriam plus diligit? Ingens
Est Cato? consilijs hic minus aptus erat.
Non Cato, non Cæsar; Ioannes tertius hic est,
Ob sua qui nulli facta secundus erat.



SEBASTIANVS PORTVGALLIÆ REX XVI.
VIXIT AN. XXIIII. OBIIT A°. M. D. LXXVIII.

SEBASTIANVS I. LVSITANIAE REX XVI.

ANACEPHALAEOSIS XX.

1 HVc ades ô Sebastiane tuæ gentis æternus dolor, æternum desiderium; unicum, & fatale nomen: cujus memoria perpetuò erit acerbissima. Quas enim nobis lachrymas in lucem editus abstersisti, easdem, adhuc etiam cum fœnore, & multo insuper tinctas sanguine, nescio quo ereptus fato, reddidisti: Tecum & Lusitanorum invicta usque gloria, & Regnum ipsum uno velut ictu corruerunt. Satis jam pridem (at vereor ne unquam satis) juvenilem istam luimus temeritatem, cui largiùs deplorandæ non est otium, nec si esset, aut calamo, aut oculis humor suppeteret.

2 Hic est ille Sebastianus, Ioannis III. nepos, & Ioannis Principis proles posthuma, quem ad hereditariam Lusitaniæ coronam, quarto decimo post obitum patris die, 13. Kalend. Febr. in natalitijs Divi Sebastiani, à quo nomen est mutuatus, Ioanna Princeps enixa fuit; applaudentibus adeò Lusitanis, ut à mœrore & lachrymis ad lætitiam conversi, elegantiorem vestium culturam in recenti Principis occasu depositam, quasi iam eluxissent, novi hæredis exortum celebraturi resumpserint. Puer in aviæ Catharinæ tutelam concessit. Avo deinde terrestre Regnum cum cœlesti commutante, trimulus ipse consalutari Rex cœpit: cúmque per ætatem Imperio maturus non esset, tantisper sub tutela muliebri avitum Regnum puero mansit incolume. Sexennis pædagogum habuit Alexium Menesium, & moribus, & sanguine perillustrem; præceptorem verò Ludouicum Consalvum Cameram, è Soc. IESV, virum nobi-

Lusitanorum in eius ortu lætitia.

Pædagogus & præceptor viri insignes.

nobilitate, doctrina, & religione cum paucis comparandum. Iis nepotem imbuendum Ioannes tertius ante obitum commendarat, & uxori Catharinæ hoc ipsum reliquerat in legatis, subactum puero ita brevi ingenium fuit, ut, mollissimæ instar ceræ, divini Numinis timore pariter, & amore sigillatus, eximijs virtutum dotibus magis, ac magis deinceps per ætatis gradus efflorverit. Hujus floris fructum suavissimum legeremus, nisi cælestem à nobis clementiam nostra scelera avertissent: ob quæ superis nimium potens Lusitania propago visa est, si hæc dona manerent propria. Hunc unum, audacter dico, Regũ omnium, quos unquam sol vidit, optimum, pientissimum, justissimum, dilectissimum, animo, & viribus præstantissimum terris fata ostenderunt: Sed heu facinus! ostenderunt, ac protinus inviderunt.

Cerea in pueritia Sebastiani indoles.

Octauum ætatis annum jam impleverat, cum forte preceptori sermo incidit ad mortale crimen exagitandum; rem turpissimam, indignissimamque aiebat esse, nec minori, quam æterno flammarum supplicio puniendam. Ad hæc verba obstupescere Sebastianus, & cogitabundo similis uno in obtutu defixus hærere aliquantulum: donec illam altissimis ex præcordijs vocem traxit: Ecquis tam insigni erit audacia, qui se lethali crimine audeat deformare? Nemo sanè; si sanæ prius mentis trutina rem expenderit. Ad honestatem, ac pudicitiam institutus à natura videbatur; Cavit semper nudi corporis vel pedem alienis oculis exponere: ipse sibi remotis cubicularijs subuculam, perizoma, & thoracem induebat. Quo die majoris hebdomadæ Eucharistiæ mensa est in propatulo, cùm templa, & urbis sacella, religionis ergò, pedes inviseret, obviàm habuit mulierculam, quæ supplicem libellum, ut conjux triremibus detentus absolveretur, offerebat; Absolutionis responsum in tempus aliud trahente Rege; Opus est, inquit, maturè facto; videat, obsecro, Rex prudentissimus quantum periculi, absente conjuge, puellę soli, & inopi impendeat. Quibus auditis paulisper constitit, dum atramenti, calamique foret copia: mussante inte-

Lethale crimen quam detestaretur

Pudoris custos integerrimus.

te interim comitatu, nihil videri cauſæ, ob quam Rex media hæreret in platea; differri illud commodiùs in aulam poſſe; Ab incœpto tamen non deſtitit, ſed fœminę poſtulatis ſubſcribens, pudicitiæ cauſa, inquit, haud ea eſt, quę differri patiatur. Omnes ritualis libri preces, quarum longitudinem multi faſtidiunt ſacerdotes, ipſe, velut ſibi impoſitas, diebus ſingulis, quanquam negotiorum fluctibus æſtuaret, moroſus, & attentus pervolvebat. Ante decimum ætatis annum eſuriales quadraginta dierum ferias peragendas arripuit: quibus ut interdictum ſibi à præceptoribus cognovit, de jeiunio ſaltem paciſcendum exoravit; aſſignatiſque diebus, pręter meridianas epulas, nihilo prorſus ad noctem reficiebatur.

Pudicitiæ vindex egregius.

Ieiunij in pueritia ſtudium.

4 Solemne habuit è Chriſti Servatoris exemplo, ſanctiori in hebdomada, pauperes duodecim lotum in Regiam adſciſcere; quorum pedes tepido aquarum injectu, blandeque admoto linteo, flexis ipſe genibus perpurgabat: nec à ſe abire patiebatur, niſi recenti amictu conveſtitos, ſtipe onuſtos, & lautiſsimo exceptos convivio, ad cujus miniſterium ſedulus, & officioſus ſuccingebatur. Nullus unquam dies è ſolennioribus prętierijt, quin ſua propalam crimina expiaverit cœleſti papulo recreandus: quam conſuetudinem Dominicis quibuſque diebus obſervabat, ſed privatim: ne procacioris vulgi fabula fieret. Menſę, ſacro nõ audito, haud accubuit. Singulis Sabbatis rei divinæ bis aderat: neque enim ſacrum unum audiſſe contentus, alteri ob Deiparæ Virginis amorem miniſtrabat, cujus iconem pectori appenſam incomparabili affectu ſuſpiciebat, globiſque piacularibus cotidie venerabatur. Quoties in ſacroſanctam ſynaxim per plateas incurrit, toties equo deſiliens flexis genibus adoravit, pedes inſuper, & aperto, vel per æſtum, vel per pluviam, capite, ad ægrotantis domicilium, indeque ad templum uſque conſtipabat. Hinc eſt, ut palatium, inter cætera Olyſiponenſia minus amplum, & minus jucundum non alia de cauſa habitatum à ſe dictitarit, quàm quòd frequens illac Euchariſtiæ pompa tranſmitteret. Auribus excepit aliquando nobi-

Pauperum pedes elustrat.

Confeſſionis & rei divinæ audiendæ ſtudium.

nobilissimum dynastam cælesti huic pompæ, sublato famuli manibus lacinioſæ vestis tractu pompoſum nimis accedere: indigna res visa, & castigationis forfice coërcenda; Numquid te, ait, inurbanum non crederes, si, me præsente, conchatam illam pavonis caudam extulisses? cave, ne Regem Regum fastosior deinceps comiteris.

Dynastam reprehendit Eucharistiæ pompaticè stipantem.

Christianę Fidei vel asserendæ, vel augendæ studiosissimus incubuit. Quando cumque Iudaica superstitio, & pravitas Hęreticorum publico in theatro ab Inquisitoribus damnabantur, aderat libenti animo extremum perfidis supplicium additurus. Ethnicos lustrali fonte ablutos impertitis honoribus, & immunitatibus, ut ea quasi esca plures alliceret, condecorabat. Certè jam inde à puero Maurorum omnium, & Turcarum perniciem meditabatur, ne alijs Fides, quàm totius Orbis terrarum terminis clauderetur. Summum Christi Vicarium, summo animi verborumque, & operum studio coluit. Dere quapiam, cui mirandum in modum adversabatur, sermonem apud aulicos intexens; Dispeream, inquit, si fecero, nisi Antistes Maximus imperarit. Quæsitus per literas à Pontifice Pio V. quo agnomine, pro meritis in Christianam Rempub. vellet insigniri (quando Hispanorum Reges Catholici, Gallorum Christianissimi κατ' ἐξοχὴν dicerentur) non nisi Obedientissimus dici voluit. Cùm per id temporis Alexandrinus Cardinalis Olysiponem attingeret, honorificè admodum à Rege Sebastiano est excęptus, testante propalam, se legato penè eadem præstiturum, quæ Pontifici præstaret, si adesset: itaque prętor sexcenta alia, in quibus Cardinali primas detulit, ad lęvam semper ipse concedebat, & domorum limina secundus intrabat: nec alibi, quàm in altioribus palatij cænaculis hospitari passus est, Regio interim lecto in inferioribus collocato.

In fidei causis integerrimus.

Obsequium in summum Pontificem.

Cardinalę quam reverenter excęperit.

Neminem Theonino dente carpere aut sibi aut alijs permisit: imò potiùs quidquid egregium, aliquid rectum de singulis noverat, prædicabat. Inter varios aulicorum sermones, cùm vir quidam absens, perinde ac Lusitanæ poëseos ignarus, & equo-

Carpi neminem coram se patiebatur.

& equorum ſeſſor invenuſtus allatraretur; parciùs iſta, inquit Rex, virum eum ſtrenuiſsimum pugnatorem, equitemque peritiſsimum juxtà, & fortiſsimum agnoſco. Vbi primùm ætas in Sebaſtiano mentis aciem diſtinxit, voluptates illicò pertæſus, quidquid luxum ſaperet deliciarum, ablegavit. Chirothecas ambari, & unguentorum ſuavitatibus delibutas viris nobilibus improbravit, & exprobravit: nec ſibi conditas ad hunc uſum pelliculas præparari unquam ſiuit. Catharinæ avię ſuadenti, ut Hiſpanica indueret ſubligaria, quæ Philippo Regi, ob elegantis famæ concinnitatem, erant in pretio, reſpondit, nolle ſe virilibus patrię moribus peregrinum ſuo exemplo luxū immitere, & ad Luſitanam virtutem labefactandam lautitiarum arietes admovere. Longinquum facerem, ſi, quæ plurima rectę indolis adhibuit argumenta, decimarem. Quanta verò in viduas ac pupillos fuit benignitate, non involvam. Vnum è Reip. muneribus, quod opportunè vacabat, neceſſario cuidam ſuo deferendum à Rege vir nobilis obtinuit, teſtatus, illius muneris miniſtrum vita functum nullam in terris prolem reliquiſſe. Non defuit tamen poſteà, qui rem aliter ſe habere nunciaret: ad quem Rex: Proh dolor! inquit, niſi à te mihi veritas illuceſceret, pupillos, atque viduam victu & opę deſtituiſſem; nec mora, novo alio ſubſcripto diplomate, & priori abrogato, majorem natu è pupillis in munus patrium ſuffecit.

Exoticarum deliciarum eſor maximus.

Viduarum ac pupillorum indulgentiſsimus curator.

Anno ſalutis 1562. impubere adhuc Sebaſtiano, Regnique habenas, uti ſuprà demonſtratum eſt, quia Catharina moderante, arcem Mazaganicam Xarifes Abdala obſeſſurus, Mahometum filium, quem nuper ejus Mauritaniæ, quam Cuſa amnis interfluit, Regem nuncupaverat, omnibus ſuarum virium copijs, centum videlicet, & quinque virorum millibus præfecit: in his Turcæ fiſtulatores mille; peditum vario armorum genere pugnantium ſeptuaginta, equitum quindecim, calonum, & lixarum duodecim millia numerabantur. Arci prę-erat Rodericus Soſa, cui frater Alvarus Carvallius, tunc temporis abſens, eam provinciam demandarat. Is literas ad Reginam

Mazagani nobilis obſidio Catharina Regnum moderante.

de obsidione actutum dedit, in quibus militum inopiam præ-
Catharina vigilantia & Lusitanorum ardor. fatus, querebatur septingentos non amplius pedites, equites omnino centum sibi esse. Vigilantissimus Reginę animus tanta in trepidatione non elanguit; arcis Præfectum Alvarum Carvallium cum navibus aliquot auxiliarijs, quanta maxima potuit celeritate, remisit. Alia atque alia identidem auxilia submittebat, donec Lusitanæ pubis florentissimi, ultra duos mille, propugnatores Mazagonũ confluxêre. Tantus illuc animorum impetus erumpebat, ut, quo in dies magis ac magis urgeri obsidionem audiebatur, eo flammæ ardentioris in Lusitanorum pectoribus excitarentur. Filij parentum injussu, viri uxoribus in salutatis, in Africam trajecturi, navia conscendebant: quippe quibus persuasum esset, majorem se honoris jacturam, periculorum exortes domi facere, quàm gloriæ lucrum, qui belli difficvltates exanthlabant.

Hostium cuniculi à nostris prævertuntur. Premebãtur interim obsessi: bellica omnis generis, nec anteà visa machinamenta labefactandis mœnibus hostis admovebat. Paratos latenter in ultimam arcis ruinam cuniculos transversis itidem cuniculis felici eventu, magna Barbarorum edita strage Lusitani exceperunt. Complanatis fossarum voraginibus, in tantam altitudinem ab hostibus aggesti sunt cespites, ut murorum pinnas æquaverint: pertinacibus utrinque animis dimicatum: sed fortiora Lusitanorum pectora crebras diu, noctuque impressiones constantiæ clypeo obarmata sustinuerunt: prospera adeò fortuna, ut plures nec abrogandę fidei auctores asserant, nullam unquam extitisse obsidionem, in qua
Ex obsidionalibus victorijs nulla superior. majoribus argumentis propugnatorum virtus enituerit. Itaque despondens animum Xarifes, amisso exercitus flore, dedecoris, & pudoris plenus, palamque expertus immensas Mauritanię vires contra exiguam, sed validam Lusitanorum manum nihil omnino profuisse, elapso jam tertio, postquam Mazagani arcem obsederat, mense filium revocavit. Ille solutæ obsidionis dies fuit, qui Servatorem Christum patrias sedes repetentem celebrat.

Felicem

Felicem hunc rerum exitum Reginæ Catharinę induſtria,& vigilantia promeruit, quæ obſidionis ipſo tempore nihil non opportunum,& ſalutare providebat; ſuamque interim,& aulicarum in licijs retexendis, concinnandiſque è lino faſciolis, quibus milltum vulnera foverentur,operam collocabat. Ergò ut Regni curis,ac laboribus fatigatum levaret animum,in privatam ſe recipere ſtationem cogitavit; ubi cœlesti alloquio tranquillius & ſuavius indulgeret, & ſalutem propriam diligentius accuraret. Ejus confeſſarium, patrem Michaëlem de Torres è Societate IESV, dicere ſolitum memini,Reginæ animum,in multis quos ipſe optimos exploraverat, puriſsimum, Deoque gratiſsimum haberi. Quamobrem anno 1562. habitis Olyſipone comitijs, Regni clavum Leviro Cardinali moderandum tradidit, qui ſummam deinceps poteſtatem vigilantiſsimè exercuit.

Catharina & aliarum fœminarum erga obſeſſos milites ſollicitudo.

Moderationeſe abdicat Catharina.

Vbi ad quartumdecimum ętatis annum adolevit Sebaſtianus, convocato Olyſipone Concilio, Regni habenas ſuis manibus tractandas in poſterum accepit, maxima omnium cum voluptate, ac lætitia Regem Regno idoneum contemplantiũ. Quod felix, fauſtumque, ut foret, in libellum memoriæ cauſa retulit,& manu propria deſcripſit quidquid optimum factu; ea gubernatio poſtularet. Triplex in libello erat rerum ſeries, earum imprimis, quę Chriſtianum, benemoratum, & maximè juvenem decerent Principem. Deinde quo prudentiæ conſilio, qua benignitatis indulgentia,quo legum fræno qua juſtitię ſeveritate populus eſſet continendus. Tandẽ quibus præcipuè artibus,quovè ſtudio, & ſolertia divinæ fidei terminos, unà cum Imperio promovere Rex poſſet. Ita omnia maturè,ac recto digeſta ordine legebantur, ut peritiſsimus quiſque populorum nauclerus eum libellum, quaſi tabulam hydrographicam obſervare non dubitaſſet.

Sebaſtiano Regnum committitur.

Triplex Sebaſtiani libellus.

Ante alia,confirmandæ juſtitiæ zelo accenſus,prętores non ſolùm in urbes & oppida Luſitaniæ, ſed in Oceani quoque Inſulas, in Braſiliam, in Indiam, & in omndm ſui nominis ditio-

nem expedivit maximè, ut Ius eorum, qui Regem, ob tenuitatem adire non poterant, tutarentur, & miſerrimis quibuſque pro virili conſulerent; nec minùs, ut acriter in maleficos, & conſceleratos animadverterent, fæceſque, ac ſentinas vitiorum exhaurirent. Prætereà, latis legibus, mores aliquot jam præcipites reſtituit. Holoſericis, & ſericis quoquo modo in totum abdicatis, lanea mediocris pretij veſtimenta primus induit; ad cujus exemplum ſeſe omnes illico compoſuêre. Ciuitates, & conuentus ſeriò per literas admonuit, & enixè poſtulauit, ſi quid è communi bono futurum crederent, ad ſe quamprimùm referretur. Putreſcentes populi conſuetudines Euangelico ſale ut condiret, religioſorum hominum familias, & diuini verbi præcones mirificè coluit, & amplificavit. Quam ob cauſam duo è ſocietatis IESV in Inſulis collegia, alterum in Vrbe Funchalenſi, alterum in Angrenſi excitavit: tria quoque apud Braſilos, quatuor apud Indos: quæ tandem alia intra imperij ſui fines ab alijs erant dedicata, reditibus auxit. Enim vero Societatis alumnos, Eborenſes imprimis, ubi diutius ſedem fixit, non dilectioni tantum, ſed amore proſequebatur, cujus familiæ nuperrimum inſtitutum ſui maxime ſtomachi eſſe adſtantibus ſæpe aulicis prædicabat: aiebatque impudentiæ mancipia videri eos, qui optimum iſtud genus hominum, conſutis mendaciis cavillarent, & caninis dentibus admorderent.

Iuſtitiæ promovendæ deditus.

Communi veſte utebatur.

Societatis Ieſu Collegia plurima erexit.

Sub idem tẽpus res Indica, partis de vario hoſte victorijs multis, & opportunis arcibus ædificatis, non parum promovebat. Hanc felicitatem Orientis dynaſtæ propriam inter pretantes calamitatem, maximè tunc Narſingani hoſtis debellatione faſto, captaq; inde præda bene nmumati, unà omnes ad Luſitanum nomen abolendum conjurarunt, & proſe quiſque, proq; viribus facturos pepegerunt. Quo ex pacto (annus agebatur à partu Virginis 1572.) eodemmet tempore Idalcan Goam, Niſamaluchus Ciaulum, Zamorinus Chale, potiſsima Luſitanorum oppida obſederunt. Tantam belli vim Attaidius prætor à ſe,

Res Indicæ ſub eodem. 12

Goanæ & Ciauli obſidio.

se, & à suis ut propulsaret, classes instruxit, quas lectissimis ornatas ducibus in hostes alios dimisit: Goam ipse tutari malvit, & cum paucis militum centurijs, sed quæ promultis tanto sub Imperatore sufficerent, Idalcanis impetum sustinere. Adfuit hostis quinque supra triginta equitum millibus, peditum sexaginta constipatus: neque imbelles Indi, sed Turcæ, & pugnacissimæ aliæ nationes exercitum explebant: turriti etiam elephantes bis mille, tormentorum monstrosæ magnitudines ducentæ numerabantur. Penè semestris fuit hæc obsidio, victore semper Lusitano; quanvis multiplici, & quotidiana dimicatione, à fronte, à tergo, à lateribus premeretur. Vbi verò, edomitis alibi Barbarorum minis, Goam classes redierunt, tantus in obsessis revixit animus, tantus in obsidentibus timor inhorruit, ut ventosa Idalcanis superbia spe citiùs deferbuerit, & vel iniquas sibi fœderis conditiones abscessurus poposcerit.

Attaidij Goæ virtus.

Idalcan victus abscedit

13 Ciaulum, nec loci natura, nec ullis murorum substructionibus obvallatum, nongenti plus minùs Lusitani, robore tamen, & nobilitate florentissimi, sub egregio duce Francisco Mascarenia, oppositis animosè pectoribus (quæ vetus fuit Laconum gloria) propugnarunt: impugnonte Nizamaluco; cujus signa pedites centum mille, equites quinque supra quadraginta, lectissimę Orientis vires, amplissimo stipendiorum præmio, sequebantur. Bellici apparatus copia nunquam, & nusquam copiosior: tormenta varij generis innumerabilia, in eis aliquot longitudine quinos ultrà, & vicenos palmos extendebantur. Vnde immani ambitu globi, fragore prorsus horrendo evolabant. Per nouem ipsos menses obsidio detonuit: continua, non tam dierum, quàm horarum omnium erat dimicatio: pugnam enim hostes alij alijs subinde succedentes integrabant; nostris, ob paucitatem, eisdem ferè semper repugnantibus. Crebra, & vix noctu intermissa bombardarum dispositio nudas mœnibus domos fœda laceratione quatefecit. Ad fraudes etiam, & technas ventum est; dolus, an virtus quis

Ciaulum Dux Mascarenias tutatur.

Novem menses duravit obsidio Lusitanis ad paucissimos redactis.

in hoſte requirat? nova indies ſtratagemata, & inuſitata præliandi artificia erumpebant. At Luſitanorum animus inter tot minas erectus, inter tot pericula promptus, inter tot objectos undique terrores imperterritus, præſens ſemper, & conſtans immortalia edidit facinora, quæ quidem res alibi fortiter geſtas non æquant modò, ſed exuperant. Enimverò glorioſum cum primis habendum eſt non gentes aliquos propugnatores ab oppido munitionibus deſtituto tam infeſtas, tamque copioſas Barbarorum acies ita propulſaſſe, ut Nizamalucus exercitum ſenſim minui cùm animadverteret, deſideratis duodecim ferè millibus, ad vaſa conclamare, & obſidione abſiſtere compulſus fuerit. Certè quò atrocior extitit oppugnatio, eò clariori ſpectaculo Luſitanam fortitudinem expoſuit: quò majora pericula, eò manifeſtius apparuit, quantùm cœleſti fulta præſidio, & ſuopte ingenio ad laborum tolerantiam durata paucitas poſsit. Nec mirum ita ſuo ſemper, & ſecundo Numine dimicaſſe eos, qui propagandæ apud Ethnicos Fidei armis iter aperiebant.

Nizamalucus deſperãs obſidione abſiſtit.

14 Chale oppidum, in quod Zamorinus intenderet, pari felicitate retentum eſt. Hoc eodem tempore (ut convenerat) Acenus Samatræ tyrannus celeberrimum illud Orientis emporium Malacam obſidere conſtituerat; ſed nauali excidio à Luſitana claſſe præoccupatus obſidionem in annum ſubſequentem diſtulit. Collectis ergo viribus arcem Malacenſem ita vehemens oppugnavit, ut expugnare tandem poſſet, niſi eam tunc præfecturam Triſtanus Vaſæns Vega, tertium belli fulmen, duxque rerum geſtarum, & militaris peritiæ gloria nulli ſecundus obtineret; cujus induſtria factum, ut hoſtiles impreſsiones terra, marique ſæpiùs incuſſæ nec Luſitanorum animos à pectore, nec pedes à loco, & ſtatione dimoverint.

Zamorini & Aceni inanes cauatus,

Triſtani Vaſci à Vega Malacenſis præfecti encomium.

15 Hæc fama victoriarum, & avita Caroli V. memoria, cujus præclara facinora in libello nuper edito lectitabat, bellicoſos Sebaſtiani ſpiritus, & Martium illum calorem excitarũt. Quare in Indiam trajicere deſtinavit: nec deerant qui hanc flammam

mam admoto palpationis fomite confoverent : parem Regis animo eam esse trajectionem: indignum videri non tam generosum Principem angustis Lusitaniæ finibus, veluti nido circumscribi. Cæterùm ejus patruus Cardinalis suas cum præceptore copias junxit, ut Rex ab insanissimæ cogitationis barathro extraheretur. Meditatos rationum ictus declinanti, vel retorquenti Sebastiano, cùm nihil suadendo persuaderent, jusiurandum interponere Cardinalis non dubitavit. Testor, inquit, sacrosancta quatuor IESV Christi Euangelia, Vestram Altitudinem hac in re præcipitem ferri, & ab adulatoribus planissimè deludi; quibus, si assentiatur, neque è re propria, neque è re suorum faciet. Hic verborum ardor: & utriusque suasoris existimatio Regem ad saniora consilia revocarunt.

Sebastianus Indiam meditatur.

Henricus patruus, & Societatis Religiosi Regem avertunt.

Verùm suimet ingenij calcaribus ad bellicas expeditiones
16 stimulatus, Indiam obliviscens, Africę subjugandę adjecit animum, de qua jam abusque puero cogitaverat, nihil aliud noctu, diúque meditari, nihil loqui, totus in hoc unum incumbere. Ex ijs, quæ crebrò dictitabat, ansam opportunè arripiens præceptor, ita fermè orsus est: Quoniam te, ô Rex, & alumne amantissimè, de Africana expeditione, veluti seriò, loquentem audio, mihi & officio meo deesse judicarer, ni seriò te etiam rei tantæ commonerem. Animadverte, obsecro, tria bellum istud molienti opus esse. Quatuor imprimis, at quinque meres filios, qui patriam hæreditatem adire possint, relinquas necesse est. Videndũ etiam, ne tuo ipse periculo aleam de Regni summa, deque tuorum salute jacias. Tantum denique pecuniarum, militum, commeatuum, reliquorumque ad bellicos apparatus spectantium habeas, & tua, & nostra omnium interest, quantum immensa belli suscipiendi moles, ut dextrè ac feliciter conficiatur, efflagitat. AEgrè hanc monendi libertatem ferre visus est Sebastianus; At præceptor nihilo seciùs, pro ut se ferebat occasio, instare iterum, ac sæpiùs, & quà precibus, quà rationibus, quà propositis difficultatibus dehortari; utque surdo narrare fabulam intellexit, Olysipone, ubi Rex morabatur, Conimbri-

Africæ adeundæ aviditas Magistro enixe dissuadente.

Magister Sebastianæ pervicaciam intuens, aliò secedit.

Conimbricam faceſsivit, ne piaculares ejus confeſsiones dein- 17
ceps accipere cogeretur.

Prior Sebaſtiani in Africam expeditio & reditus.

Ergò Sebaſtianus prudentiſsimis monitoribus refractarius in Africam primùm ſolvit, Sextili menſe, anno 1574. ætatis ſuæ 20. Præceptor interim curis, nec non & jejunijs, alijſque macerationibus pro alumni ſalute afflictatus morbo graviſsimo corripitur. E lectulo tamen epiſtolium, manu, ut erat, tremula exaratum, charitate quidem, & prudentia plenum, in Africam ad Regem dedit; ſummis in eo precibus contendebat, ut factus jam voti compos, viſa Africa, & ſibi, & ſuis proſpiceret, ac in Luſitaniam primo quoque vento renavigaret. Ex Africa revertens Sebaſtianus præceptorem cùm inviſeret (decumbebat ille tunc temporis Olyſipone, ſolum vertere, ex opinione Medicorum, ad recuperandam valetudinem, coactus) his verbis dicitur allocutus: Vt ſcias, inquit, quanta apud me tuarum literarum fuerit auctoritas, en illas, in ſinu hactenus cordi proximas aſſeruaui, tibiſque velut obſequij pignus reſtitutas volo. Ne in poſterum Africam repetendi daretur occaſio, quidquid poterat illicium belli eſſe, præceptor amovendum ſedulò curavit: cujus etiam rogatu trecentorum mille aureorum ſubſidium à Pontifice Max. contributum Sebaſtianus libentiſsimè remiſit.

Rex in gratiam cum Magiſtro redit.

Sebaſtiano nuptiæ curantur, ſed fruſtrà ipſo renitente.

Dedit præterea operam non mediocrem (niſi luculentis, 18
oculatiſque teſtibus fides ſit abroganda) ut Rex nuptiali ſacramento addiceretur. Primam nominavit Eliſabetham Philippi II. filiam, de qua legationes ultrò, citroque miſsitare fruſtrà ceciderunt. Ventum deinde eſt ad Margaritam Henrici II. Gallorum Regis jam demortui filiam, cui Sebaſtianus propenſior videbatur; nihil enim aliud dotis nomine poſtulabat, quàm ut Rex Gallicus unà cum cæteris adverſus Turcã conſpirantibus (ejus tunc belli curam Chriſtiani Principes nutriebant) conjuraret: ſe ſuis ea tempeſtate laureatis claſsibus, & à rubro, & à Perſico ſinu, in teterrimum illum hoſtem incurſurum promittebat, dum hæc agebantur, Carolus Galliæ Rex Margaritæ germa-

germanus frater è vivis abiens, germanæ nuptias dissipavit. Viduam Maximiliani Imperatoris filiam primævo adhuc in ætatis flore reliquit Carolus : hanc Sebastiano ducendam præceptor suadebat; sed potior tandem visa est quædam Bavariæ Ducis filia, cujus dotes eximias Orbis terrarum ea tempestate prædicabat. Quominus aptę adeò nuptiarum tædæ ignem arriperent, ipse in causa fuit Sebastianus, qui & præceptori, & gravissimis alijs Patribus è Societate IESV acriter hanc rem urgentibus, respondit, ne se fatigatum vellent, ducendi uxorem tempus adhuc non adfuisse, maturiorem conjugio ætatem postulari. Hæc omnia à juratissimis hominibus, & quibus secretiora de hac re consilia patefiebant, ita se prorsus haberi, scripturi accepimus: ideoque latiùs enarravimus, ut satis constet, agi transversos, & temerè eos facere, qui, peregrini cùm sint, ab intemeratæ veritatis limine peregrinantur, & certos extra fines per summam audaciam erumpunt, dum qualiacumque apud caliginosas mercatorum tabernas somniarunt, in publico lucis theatro perfrictæ frontis homines exponunt : quasi vel præceptor, vel Societatis Patres Regem à nuptijs revocarint, & in Africam impulerint : quod mendacium portentosum liquidò ex suprà demonstratis coarguitur.

Libertas & temeritas ingens aliquot externorum de his aliter scribentium.

19 Aliquot jam elapsis annis, præceptore vita functo, Moleimus Abdemelechus, ut erat fidens animi, & Turcarum fultus adminiculo, Moleimum Mahometum ex sorore nepotem Marrochiensi Regno, & fortunis pepulit. Mahometus, ut aliquam rebus in arctis aram prehenderet, ad Sebastianum, veluti ad asylum se recepit, spopondítque futurum deinceps vectigalem, si ad pristinum Regni statum Lusitanorum ope reveheretur. Nihil gratius visum Sebastiano; Ad Africanam expeditionem repetendam inflammatur: Prę sulum, Dynastarũ, virorumq; illustriũ coacto concilio, suffragia init, quos in contrariam sententiã, voce, ac pedibus abeuntes ut vidit, palàm admonet, nõ de bello, sed de optimo bellãdi modo cõsultos eos velle;

Sebastianus Moleimum Mauo bien. si regno restituere paratur.

Totum regnum inconsultæ Regis appetitioni obstitit.

certum ſe nemini, quam ſibi, ſuos milites in re tam difficili facilius parituros. Nihilò tamen ſegnius Regni proceres diſſentiebant; maximè Cardinalis patruus, Tentugalenſis Comes, Martinus Conſalvus Camera, & de Societate IESV, prę omnibus, confeſſarius, urgere rationibus, pericula recenſere, miſeram belli ſortem quaſi prædivinantes lamentari, leges divinas, humanaſque objicere.

Pro comperto etiam habeo, Ioannem ab Albicaſtro Regis Sebaſtiani à conſilijs ſtatus, coacto ut de hac re ageretur concilio, eidem Regi gravium rationum momentis inſigniter reſtitiſſe. Ioannis enim Borgię epiſtolam ad Philippum ſecundum, cujus tunc in Luſitania orator erat, vidimus ac perlegimus. Summa hæc eſt. Coactum hodie à Rege fuit ſtatus concilijs de Africana expeditione, & quanvis multi eas partes, in quas Rex haud dubiè inclinabat, ſequuti fuerint, inſignem tamen operam præſtitit Ioannes ab Albicaſtro efficacibus in contrariam partem argumentis: & illamet die hunc animi valorem Deus Opt. Maxim. remuneratus eſt: vaſtæ enim ac ponderoſæ atrij valvę ſuper ejus filium teneræ ætatis Emmanuëlem ruentes, divina ope medio in lapſu ferreo vecte hęrentes ſteterunt, ſalvo & illęſo puero. Illud notatu dignum eſt; Deo ita res diſponente, ad hunc poſteà Emmanuëlem Villæ novæ domum ac Comitatum delatum eſſe, cùm ejus pater Ioannes Comitis Villæ novæ eſſet filius ſecundò genitus. Tanti apud Deum eſt ſyncera conſiliariorum integritas, qui commune bonum, ac Dei honorem ducem ſequuntur, quibus cœlum non ſolùm præſentia confert beneficia, ſed eadem, ut in poſterum augeantur, continuat.

Obſtinatus Sebaſtiani in ſuam & Regni cladem animus

Porrò Sebaſtianus, qui ædes aurium adulatoribus locave- 21
rat, ſaniora conſilia non admiſit: altè enim à propinantibus imbiberat, piam admodum, ac ſanctam eam eſſe expeditionę, Catholico dignam Principe; ſed Luſitano digniorem apparere, cui hæreditaria ſemper jam inde à majoribus cura fuerit, divinæ Fidei vexilla Barbarorum perfidiæ inferre. Hunc etiam

bellige-

belligerandi animum Philippus II. Regum prudentiſsimus, datis non ſemel literis, fauſtrà tamen, improbavit. Tantum Sebaſtiani mentem cætera docilem, adulatio perverterat, ſibiq́ue propria æſtimatio emanciparat. Ita profectò ſuperiùs viſum eſt, ut Luſitanorum gentem (immeritam non appellaverim) vix unquam abolendo ſupplicij dedecore multata dolere mus.

Philippus II. Caſtella Rex in caſſum laborat cum Sebaſtiano.

Ergò delectum fieri, cenſeriq́ue exercitum Rex jubet; duodeviginti mille hominum ſumma fuit: in quibus diverſæ nationes ſex millia, duodena fermè implebant Luſitani. His copijs ornata navium claſsis, qua Oceanus pulchriorem non viderat, ſublatis anchoris vela fecit, ſeptimo Kalend. Sextiles, anno 1578. Africę oram ut attigit Sebaſtianus, vix habere militem in armis cœpit, cùm ſerò tandem proprio edoctus periculo errorem agnovit, in quem ab adulatoribus per ſummam animi gratiam detruſus fuerat. Commeatum difficultate paulatim urgeri; ſtipendia militibus numeranda parcè admodum ſuppetere; calonum, ac lixarum copia laborare; miles omnia, etiam infima, obire miniſteria: fatigari, langueſcere. Quid agat inter ſacrum & ſaxum Rex poſitus? hęrere, ambigere, curarum æſtibus fluctuare, huc illuc impelli, & in varias cogitationes diſtorqueri. Pedem referat? Turpe. Conferat? Durum ac periculoſum. Itaq́ue aleam jacit: dato ſigno ad hoſtem in interioribus Africæ campis expectantem celeberrimè contendit. Iter per vaſtas illas ſolitudines vix tolerabile aggrediendum fuit, quas ubi ſolis vapor obtorruit, fervido ſabulo exurente veſtigia, mortales tanti caloris impatientes contabeſcunt. Eapropter luctari imprimis cœptum, non cum ardoribus regionis tantùm, ſed cum arenis etiam, quas ęgrè peditatus moliebatur: aquarum, ciborumq́ue erat penuria, tellure circumcirca ſterili, ac emoriente. Vnde fame, ac ſiti enectus miles, aſperrimiq́ue itineris laſsitudine debilitatus, numero inſuper exiguus, cum integris, & benè curatis hoſtibus, cum Barbarorum copijs propemodum infinitis, ubi non virum vir, ſed plus decem Mauri ſingu-

Copiæ & claſsis in Africam.

Sebaſtiani & militum in Africa difficultates.

los legerent Christianos, collatis signis è vestigio dimicavit; quin solitis prius munitionibus, castra posita vallarentur. Ancipiti Marte pugnatum est tandiu, donec veteranorum robora, ingenti edita strage, fusis hostium principijs, gloriosè occubuerunt: reliqua tyronum agmina, vt erant prœliando inexperta, turbatis ordinibus perrumpi facilè, & circumveniri potuerunt: quamobrem ad Barbaros victoria tandem inclinavit, pridie Nonas Sextiles, anno 1578.

Barbarorum multitudine nostri opprimuntur.

Hunc diem fatalem sensit Lusitania, in quo violenta malè 23
ominati belli tempestas nobilitatis florem decussit, animos attrivit, opum ac divitiarum thesauros compilavit; in quo adversus Fortunę gladius tot anteà rebus præclarè gestis, tot partis feliciter victorijs, turpissimam imposuit cicatricem: &, quod omnium caput est, Regem abstulit, ætate juvenem, virtute eximium, moribus egregium, hærede adhuc filio destitutum. Ille enim perniciem Mauris illaturus, sibimet, ac suis priùs intulit, propriumque amisit Regnum, alieni plus nimio sollicitus. Dolorem auxit Lusitanis, ab eo se hoste attritos, & spoliatos circumspicere, quem nulla majorum ætas victorem viderat, sed victum, sed vectigalem. Memorabile hoc prœlium maximè fecit trium Regum infelix exitus. Moleimum Abdemelechum (ut funesta Barbaris esset victoria) pila ferrea deturbavit. Mahometum fluminis in trajectu vortex rapidus abripuit. Sebastiani cadaver multis confossum vulneribus inter occisorum cumulos inventum (sic perhibent) à juratis aliquot hominibus recognitum, & pro vero susceptum, cultumque in Bethlemico (ut vocant) D. Hieronymi cœnobio, proximè Olysiponem Regium occupat mausoleum.

Summa hac Lusitani nominis clades fuit.

Tres Reges eo prœlio cæsi.

Statura fuit quadrata, compactis, firmisque membris, vultu 24
candicante, dispersis ad venustatem lentiginibus, capillo subflavo, oculis cæsijs, angusta fronte, labris roseis, sed crassioribus aliquanto. Quæ omnia sub uno aspectu Regiam majestatem in teneris etiam annis præferebant. Nativa symmetria de sanguine, ac bili plus traxerat. Corde ita audaci, & imperterrito, ut

Sebastiani statura.

difficilia quæque facillima putaret. Quantis fuerit viribus, vel ex eo conjicies, duos prægrandes cereos, singulos ellychnijs quatuor compositos, uno cujuslibet gladij ictu abscindebat. Discum ferreum nemo longiùs, aut expeditiùs jaculabatur Eques tres exercitationes, ut erat venustus equorum sessor, sive arundinibus Troianum in morem, sive æquis hastis dexterrimè obibat. Hæc obeuntem nos ipsi quanto majore cum voluptate spectavimus, tantò acerbiore nunc tristitia recordamur. Fas mihi tandem sit juniores orbis Principes admonere, ne temerè quidquam moliantur, sed periculum è Sebastiano faciant, sibi quod ex visu esse possit. *Eius vires & dexteritas.*

Ad Regem Sebastianem.

CAmpi infelices; Regna infelicia; noster
Rex ubi tam lacero corpore planxit humum.
Patria tam tenero non te nutrivit amore,
Vt Rex tam duro desererere solo.
Barbara barbaries, gens moribus ænea, Mauri
Cur tenerum florem carpitas ense truces?
Non bene flos Mauri violento avellitur ense,
Dextera quem blande carpere blanda solet.
Debuerat revocare manus, revocare secures
Regia Majestas principis, oris honor.
Quod si præda placet, raptatur ut integra ferro
Parcite, nil ferro dilacerata valet.
Nil Mauri contra; properant discindere; corpus
Rumpitur ut dura victima cæsa manu.
Relliquias laceras, Rex, suscipe patria, dixit,
Integer in lacero pectore durat amor.
Cuncta mihi desunt, fateor, solatia, solum
Quod pro te morior dulce levamen adest.

Ad eundem.

FOrma tibi fuerat, Rex regia, frontis honores
Summa sequebatur gloria, stemma patrum.
Plus tibi subjectos vita, quàm lege regebas;
Quam tua jura, tuus plus faciebat amor.
Hectoreas duro vincebas pectore vires,
Si quando Herculeis viribus esset opus.
Alter eras Mavors, cum prælia dura vocabant;
Castor eras celeri cum vehereris equo.
Spiritus heroas vincebat in ardua natos,
Par prope syderibus, deside major humo.
Prima hominum spes unus eras, te maxima tellus
Instauratorem credidit esse suum.
Qua Rex cumque ibas, Mundum exhilarare solebas,
Delitias veluti cerneret ipse suas.
Ocyus occumbis primævo in flore juventæ.
Dum properas patriæ Regna parare tuæ.
Vt patrij accrescant Regni confinia, vitæ
Tempora decrescunt tam pretiosa tuæ.
Dent alij senium patriæ, Rex dixeris; Illi
Ætatis florem Rex ego libo meæ.

AD

Ad eundem.

Cernere si posset te nunc longæva vetustas,
In te uno heroas cerneret illa suos.
Si niveum inspiciat juvenili in flore puderem,
Crederet Hippolytum; si genus, Ascanium;
Si vires, Martem; si mentis lumina, Phœbum;
Si te albo videat Castora credet, equo.
Non tamen Hippolytus, non Mars, non Teucer Iulus,
Non Sol, non Castor, laus tua maius opus.
Vnus enim heroum laudem complecteris omnem;
Horum juncta simul lumina solus habes.
Candore Hippolytus, tibi sanguine cedet Iulus,
Mars armis, Phœbus Numine, castor equo.

Ad eundem.

Dum numerant dotes in te tua Regna, dolores
Tristia dinumerant, Rex animose, suos.
Infelici ebitu Libycis extinxit in oris.
Quot Natura tibi præstitit ante bona.
Naturam querimur violentæ more novercæ,
Tam subito fœtus præsecuisse suos.
Ostendit potius, quàm præstitit invida Regis
Tot bona, plus Regno mors ut acerba foret.

Ad Regem Sebastianum, quod vespertino tempore & literarijs exercitationibus inter fuerit, & bellicas exercuerit.

Pallada Rex, Martemque uno sub vespere gessit,
Ne Mars invideat, neve Minerva Deo.
Non Martem Pallas, non vincit Pallada Mauors;
Nunc lyra docta canit, mox tuba rauca sonat.
Mars atavo, sed Pallas avo dilecta Sebasto
Et Mars, & Pallas sunt in amore pares.

Ad eundem, quòd in eodem certamine totus sudore manarit.

Rex, ubi Palladio spectavit pulvere ludos,
Arma capit, pariter Pallas in arma ruit.
Versat equum impatiens, totusque in vulnera surgit,
Miratur Regis pectus & arma Dea.
Quam postquam medijs sudantem vidit in armis
Gorgoneam ponens ægida, tergit aquas.
Arridensque illi, plus te sudasset Achilles,
Plus Mars si tecum congrederentur, ait.

HENRI.



HENRICVS PORTVGALLIÆ REX XVII.
VIXIT ANN. LXVIII. OBIIT Aº. M. D. LXXX.

HENRICVS I.
LVSITANIAE
REX XVII.

ANACEPHALAEOSIS XXI.

HAc effigie claruit Rex ille hominum, Deique Sacerdos Henricus, felicissimi Regis Emmanuelis ex Maria Regina optimarum virtutum laude inclyta filius. Olysippone in lucem ultimo Ianuarij die, ante ipsum Virginis Deiparę purificatę pervigilium; post octo verò, & sexaginta annos eodē die obijt: indeclinabili videlicet per totam Vitam, magnarum virtutum exemplo, quasi circulum describens perfectissimum, in quo ipsius, tum privatæ, tum publicæ gloriæ splendor, longè, lateque enituit. Puer Latinis, Græcis, Hebraicis litteris est imbutus; Adolescens Mathematicæ, Philosophiæ, ac Theologiæ operam dedit; Ad maturiorem verò progressus ætatem sanctorum Patrum lectioni impensiùs vacavit; qua in re non parum versatus libellum quoque homiliarum in proprium usum commentus est, in quo Euangelia per annum occurrentia ad formam meditationum exprimens, vivum suæ pietatis specimen posteris dereliquit. Hæ sunt illæ homiliæ, quas primùm vir egregiè pius Ludouicus Granatensis in gratiam tanti Principis Lusitano sermone excudi curavit, posteà Academici Eborenses, latinas reddiderunt, ac ampliorem fecêre usum tam singulatis spiritus, quem Mundus in Principe tot titulis claro jure miraretur.

Ortus & obitus circularis Henrici.

Pueritia & profectus in literis.

Libellus ab eo scriptus.

Annos agens quatuordecim assumpto clericali habitu Ecclesię castra Deo militaturus adijt. Primùm sanctę Crucis Co-

nimbricenſis maximus Priorꝰ creatus, fratre Alphonſo Cardi-
Eccleſiaſticæ illius dignitates. nali, qui Prioratum gerebat, ultrò cedente: moxque graue illud Monaſterium, Henrico ineunte Prioratum, quaſi nouo ſibi exoriente ſole colluſtratum, prolapſam decurſu temporis diſciplinam inſtauravit, exacteq; deterſam hodie ſervat in illis ſuis receſsibus. In templo, & in communi domo magnis expenſis, vel diruta reſtituit, vel nova erexit opera, quibus ad veterem magnificentiam plurimum acceſsit decoris, ac ornamenti Regij; Quin & ab ipſo Prioratu ſuo magna liberalitatis ſignificatione non levem redituum partem detrahi juſsit, quam cænobio addidit, de ſuo potius gregē quàm de gregis vellere ſe communiens. Abbas deinde fit plurium cænobiorum Ordinis S. Benedicti, maximè verò Alcobaciæ, ac totius B. Bernardi familiæ, quam ad genuini ſpiritus vigorē, magno & ipſo vigens ſpiritu reuocavit. Sed & militaribus ordinibus Chriſti opt. Max. D. Iacobi, & Auiſiano pręficitur, magnoq; eorumdem Ordinū profectu. ſuam optimus Princeps commendavit pręfecturam.

Ita quaſi proludens altiora dignitatum decora, primum Brac-
Primas Hiſpaniarum conſtituitur. charę Auguſtę Archipręſul, ac Primas Hiſpaniarum conſtituitur; ubi prima cura fuit prædeceſſoris ſui Didaci de Souſa famulos quaſi proprios fovere, ac beneficijs congruenter afficere; deinde omnem animi conatum in munus paſtorale intendere, quod ſumma Vigilantiæ, ac prudentiæ laude obijt: totam ipſe per ſe provinciam luſtrando, ac in ſubditorūm maximè Eccleſiaſticorum errata diligenter inquirendo, quibus vel ſupplicio ſcopus erat, vel lenitate, ſi erat ſatis, medebatur. Paſtoris optimi nullum detrectavit munus, propria manu cæleſte papulum in
Epiſcopi munia exercebat per ſe ipſum. templo dividebat, ac deferebat vicatim ad ægrotos; luſtralibus aquis fideliū ritè expiabat infantes, & quorumlibet undequaq; venientuim confeſsionibus audiendis ſemetipſum publicè exponebat. Coacta Synodo Eccleſiaſticę diſciplinę reformationi ſeriò incubuit, eiq; novis conſtitutionibus in poſterum cavit. Synodalem verò pecuniam tum ad puellas parentibus orbatas honeſtis viris collocādas, tum ad Scholas publicas extruendas

contulit,

contulit, quibus probatos Magiſtros ad humaniores litteras pueris tradendas conſultò prę fecit. In electione viſitatorum, ac cęterorum miniſtrorum, quorum opera in adminiſtratione ſui muneris utebatur, virtutem pręcipuè, doctrinam, dotes ſpectabat animi atque ut hęc de ſingulis certò conſtarent, parvi faciebat, ſi magno id ſibi, vel ſumptuum, vel beneficiorum pondere ſtaret. Nobile illud Auguſtæ ſedis templum pretioſis, tum veſtium, tum vaſorum ornamentis nobilius reddidit, ac cæteram urbem varijs operum ſubſtructionibus illuſtravit. *In miniſtris eligendis prudentia.*

4 Poſteà generalis Fidei Inquiſitor fit, fratre Ioanne III. Luſitaniæ Rege coram ſummo Pontifice procurante: quo in munere ita ſe vigilantem, ac ſtrenuum præſtitit, ut integram, ſyncerámque Fidem, qua potimur hodie, illi uni, poſt Deum, acceptam omnino referre debeamus. Eo namq; ſatagente peſtilens malum hæreſis, quod vicina Regna, vel oppugnaverat, vel infecerat, neſcio qua vi Numinis pulſum Luſitanię fines horuit. In eo verò præcipua ipſius deſudabat induſtria, ut noxijs tũ libris, tum hominibus aditũ in hæc Regna, terra mariq; præcluderet; actumq; ſępius, ut per ſtrenuos miniſtros ſuſpectarum navium etiam prę veniret appulſus; totq; in eas quæſtionibus agebatur, tam exacta de libris, de perſonis pericula fiebãt, ut apud Nationes hęreſum labe notatas prę conis voce ad tubarum clangores vetaretur, ne quis in Luſitaniã libros, aut res quaſlibet ad hęreſim ſpectantes importaret. Sacrũ Inquiſitionis munus auctoritate præcipua fulciebat, ejuſq; miniſtros (quos non niſi maturo conſilio, ac tuta probabat experientia) non modò honorificè tractabat, ſed beneficijs, ac favoribus à ſummis etiam Pontificibus impetratis ſtudioſè proſequebatur. Hos præcipuè, qui Eboræ ſacro muneri vacabant, ſuis alebat expenſis, & priuata in eoſdem cura, ad honorum dignitates, ac præfecturas ſedulò promovebat. *Fidei Inquiſitor generalis.* *Hæreticorum libros acriter intum ſequebatur.* *Inquiſitionis miniſtros quales vellet.*

5 Cùm Eboræ Epiſcopalis tantùmmodo vigeret Sedes, placuit Ioanni Regi ob honeſtas rationes, ut in Archiepiſcopalem Apoſtolica auctoritate mutaretu, eiq; primum Henricũ fratrem *Transfertur ad Eborę ſẽ Archiepiſcopatum.*

pręponi curavit. Primus ergo Eborensis Archiepiscopus factus Henricus, ut plus temporis ad residendum, opum etiam plus ad benefaciendum nactus est, ita plus animi, ac facultatum ad officia pastoralia conferēs excellentissimi Prelati vivum mundo exhibuit specimen. Inprimis lectissimos undequaque coëgit ministros, quorum & litteris, & virtute Ecclesiam Eborensem condecoravit; In eoque enituit optimi Præsulis opera, ut splendor divini cultus augeretur amplius, & celebriori, quàm unquam anteà ritu divina quæque munia peragerentur. Communis Xenodochij curam ultrò assumpsit; domum, quam vocant Misericordiæ, statis deinde remporibus largis fovebat eleëmosynis, idque non modò Eboræ, sed & alijs per totam diœcesim oppidis: medicamenta jubebat ex communi apotheca sua in ęgrotos pauperes distribui. Majoribus solemnijs, Nativitatis, Paschę, Pentecostes, ac Virginis assumptæ in viduas urbis largas effundebat pecunias; Adversus hyemis inclementiam commodis vestibus operiebat pauperes; zelo fervens spiritualis boni literis, ac virtute prestantes distinavit viros, qui per totam diœcesim concionabundi discurrerent, eisque modum animarum tractandarum præscribebat: jusque dabat periclitandi communes parochos, essentne litteris sufficienter instructi ad rationem sui muneris obeundā; ac si opus esset substituendi alios in eorum locū. Iacebat enim tunc Transtagana Regio in summa rerum inscitia, paucique erant, qui quæstionum moralium fulcientem haberent peritiam.

Opera misericordiæ exhibita Eborę.

A sapientibus, & pijs hominibus diœcesim lustrari curabat.

Cœperat per id temporis in hoc Regno primas sedes ponere Societas IESV, quorum homines audierat optimus Præsul, ex propria instituti sui ratione ad juvandos proximos esse formatos; Nihil ergò moratus accersitos ad se spargit illicò per oppida suæ ditionis, ac illa eâdem, quæ diximus, erga proximos commendat officia. Qua in re ita fructuosè desuaderent luce doctrinæ, & exemplo vitæ, ut intra paucos menses alia rerum jam apparuerit facies, morumque depravatorum expulsis tenebris nova lux exoriri cœperit Transtaganis. Qua re permo-

Societatem Iesu Eboram accersit.

tus

tus Henricus, ulteriusque institutum Societatis altiùs perpendens, ac modum procedendi, tum domi erga Deum, tum foris erga proximos, ratum habens, cogitata sua (quæ nuper quasi augurans Eboræ perfecerat, erecto Collegio ad alendos clericos, qui postquàm moribus ac literis profeciissent, diœcesim juvare possent) huc tendere Numine impellente statuit, hosque quasi fatis signatos clericos planè agnoscens, ijs actutum collegium tradidit, exiguis quidem adhuc numero, sed ministerio, quod agitabat, vividam virtutem præferentibus. *Societati dedit collegium antea clericis destinatum.*

7 Crevit ergo opus Dei, nam anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo nono collegium ampliavit ad sumptuosam usque molem, junctumque Collegio Lycæum Academicum extruxit, in quo cum majestate operis pulchritudo certat. Atque, ut communia hominum invitaret studia, Magistros inprimis è Societate esse voluit; nam primus ardor dicendi (ut rectè Divus Ambrosius) auctoritas est magistri, deinde annuos reditus, & ex illis annuas portiones tum Theologis, tum Philosophis assignavit. Itaque eò brevi ventum, Deo bene juvante, ut Collegium centum viginti Religiosos homines congruis reditibus aleret; & Academia divinæ inprimis, ac moralis Theologiæ, deinde Philosophiæ, ac humaniorum facultatum vocibus magno cum bonorum applausu personaret. Prodiêre hinc tanquam è Troiano equo Doctores quamplurimi litteris, ac virtute præstantes, quos hodie fama toto orbe celebrat: prodiêre & quamplurimi spectatæ virtutis, ac scientiæ Præsules & parochi, qui magno cum animarum fructu varias Ecclesias administrarunt. Vidit optimus Antistes proventus felicissimos, & ingenti gaudio perfusus ad alia progressus est opera, quę Academiam suam novis splendoribus illustrant. *Collegij Eborensis amplitudo.* *Eborensis Academiæ Theologicæ dignitas.*

8 Nobile collegium exædificavit, Purificatę Virgini (cujus propè diem festum natus fuerat) ritè dedicatum, ut in ea quinquaginta Theologi ad justam examinis trutinam probati alerentur, qui tamen post ejus mortem, quod nec reditus sufficerent, nec facilè tot numeris, ut par erat, absoluti, reperiri pos- *Collegium Purificationis instituit & Societati submittit.*

ſent, ad minorem dimidio numerum, ſummi Pontificis authoritate redacti ſunt. E quibus viginti ſtadio Theologico decurrendo vacant, quinque annis in Collegio vivere permiſsi, eâ tamen lege, ut ad finem ſtatuti temporis ad gradum Baccalaureatus promoveantur: quinque reliqui Theologi jam emenſi curricula quatuor annis agendi in Collegio copia fit, ut reliquos Theologiæ gradus uſque ad Doctoratum conſcendere liceat. Clavum ejus Collegij juxta leges ab Henrico conditas, Societas tenet cum obligatione numerandi in annua ſubſidia collegarum, aureorum duo millia, & quingentos, datis quaternis per annum portionibus in ſingula capita centum aureis. Præterea domum extruxit amplam excipiendis, curandiſque pauperibus ſcholaſticis, Chriſtianę pietatis inſigne opus, & Regiâ liberalitate in vectigal annuum conſtituit aureos 750. plenamque adminiſtrationem Societati commiſit.

Scholaſticorum Xenodochium.

Attexam & hic ſimilia beneficentiæ monumenta in pręclaro Principe. Nullum enim de Soc. IESV benemerendi finem facienti placuit non multo ante obitum tempore collegia ferè omnia, ampliſsimis augere beneficijs, ac donis. Nam collegij D. Antonij Olyſiponenſis fundatorem ſe pręſtitit, aſsignatis 40. aureorum millibus, & ſua penſione annua in Olyſiponenſi Eccleſia per aliquot annos ſolvendis, ut inde res familiaris, quæ tenuior erat anteà, coëmptis prædijs augeretur; quin & illud non leve ſubſidium collegio addidit, peculiare videlicet in pia opera vectigal ex Indiæ mercibus ſolitum exigi. Sed & Braccarenſi Collegio monaſterium Roriſium annuente Summo Pontifice dono dedit: ad illudque, ac ſimul ad Portuenſe collegium ejuſdem Summi Pontificis cõſenſu tranſtulit per annos viginti penſionem annuam duorum millium, ac quingentorũ aureorum, quam illi ſolvebat Braccarenſis Eccleſia, ut indè ſtabiles ſibi reditus coëmerent. Quod tamen renuentibus Prælatis Eccleſiæ Braccarenſis ex parte tantum exequutioni datum. Simili beneficio, ſed meliori eventu Conimbricenſe Collegium proſequutus eſt: nam æqualem ſuperiori penſionem ſuam in ea

Omnia fere Luſitanica Societatis collegia reditibus amplificavit.

Eccleſia

Ecclesia per totidem annos assignavit, quo justæ dotis pondus ab Ioanne Rege decretum, & è Regijs anteà vectigalibus non sine difficultate exigi solitum omnino absolvit.

10 Nec verò in Societatem tantummodo beneficus fuit Henricus Prę-sul, sed in alios se latè effudit Religiosorũ Ordines. Alcobacię inprimis largo munere ædificia amplificavit, novis ad commorandum extructis dormitorijs, clausterisque magnifico sumptu perfectis; alijs denique monasterij usibus additis operibus, quæ omnia, ut ferè communia, & largè adornabantur, ita totos ferè Abbatiæ proventus absorbebant. Cœnobium Cozense Monialium D. Bernardi ferè denuò erexit. Collegij S. Bernardi Conimbricensis auctor fuit. Egit acriter, ut plura eidem Ordini sublata monasteria restituerentur. Eborę à primis fundamentis erexit monasterium D. Antonij, nec procul ab eadem urbe aliud priùs condiderat, quod vocant Vallis Viridis, utrumque pertinens ad eam Ordinis Franciscani partem quam A Pietate vocant. At verò prope Alcobaciam Franciscanum aliud ædificavit monasterium ad Arrabidam spectans, quod D. Marię Magdalenæ dicatum voluit. Ejusmodi quidem Ordines præcipuè, sed plerosque etiam Religiosorum hominum benignè complexus est, quod eorum maximè colloquijs, & consuetudine delectabatur.

In Patres D. Bernardi beneficentia.

Patruus Franciscanorum stricioris disciplinæ fautor, & trium domuum ædificator.

11 Dum Henricus Eboræ optimi Prę-sulis officio fungitur, moritur Olysipone Ferdinandus Vasconcellius qui sedi illi præfuerat Metropolitanæ. Oportebat verò Olysipone illum ad gubernacula Regni (cui adhuc Sebastianus Rex immaturus erat) assidere, idcircò Summi Pontificis auctoritate ad Ecclesiam Olysiponensem transijt, relicto in Eborensi sede Ioanne Mellio notæ probitatis, ac prudentiæ viro. Evocaverat eum Regina Catharina, quę pro demortuo Ioanne Rege marito suo Regnum administrabat; tædio namque rerum humanarum, ac pondere annorũ Religiosissima Princeps pressa, statuerat seipsam colligere, ac nuntium prophanis mandare negotijs. Igitur in publico Regni conventu rerum ultrò

Fit Archipræsul Olysiponensis, ut adsit Sebastiano.

reliquis

Regni gubernator impubere Sebastiano constituitur

reliquit habenas. Porrò non fuit perplexa, aut difficilis Regni proceribus de successore deliberatio; cùm haberent prę oculis Henricum Principem, in quem ob id, communibus suffragijs tota Regni gubernatio, dum puer Sebastianus adolebat, collata est; gratulatus est orbis terrarum per publicos legatos tanto gubernatori: isque suo muneri magna cum populorum gratia plenissimè satisfecit. Nam semetipsum exponebat publicè ad communia expedienda negotia, Magistratusque ut idem facerent, suo cogebat exemplo, actumque per id tempus, ut nullius etiam tenuissimi de plebe causa periret. Quin & illud memoria

Iuris dicendi æquitas.

æterna dignum statuit (quod sanctissimus Franciæ Rex Ludouicus præstare consueverat) ut signa de Regis, ac privati hominis bonis æqua juris controversia incideret, potiùs de jure Regio, quàm de privato detraheretur. Egit nihilominus ita prudenter ac naviter rem ipsam publicam, ut cùm magno anteà ære alieno premeretur, ipse sex annorum spatio, quibus ad clavum stetit, omninò liberam à communi illo onere, ac adeò florentem constituerit.

Regias opes omni ære absolvit.

Igitur ut fuit Regno habilis Sebastianus, Regnum illi felici pacì gaudens, opulentumque solenni ritu tradidit, ac se ad Ecclesiastica munia liberiùs curanda convertit Henricus. Iam tunc successor ejus Mellius fatis cesserat, isque ad Sedem iterum redijt Eborensem: certa quippe divini Numinis providentia plura obibat munera, plures lustrabat diœceses, ut eas (quod de Basilio Magno memoriæ proditur) sua præsentia, exemploque vitæ sanctificaret, reformaret, condecoraret. Verùm in hoc suo ad Eborensem Ecclesiam reditu id unum pręcipuè avebat animo, se ut impensiùs Deo traderet. Idcirco exceptus ritè, ac iterum evectus à clero in Sedem Eborensis Ecclesiæ, collegium Societatis elegit indomicilium, ac parva cella contentus cum Religiosis hominibus colloqui, ac familiariter agere in delicijs habebat. Itaque sacrum quotidie peragebat publico in templa, ubi non semel Eucharisticum, populo divisit epulum, secedensque ad agendas Deo gratias in sublimi odeo, non di-

Regnum Sebastiano tradit, & Eboram revertitur.

Societatis domum in suam eligit.

scedebat

ſcedebat inde, dum ſacra continuo decurſu perdurabãt: videlicet reputabat indecens, ſi relicta in aliquo altari conſecrata hoſtia, abiret in cubiculum; itaque neceſſarium duxêre patres poſt unum finitum ſacrum aliquid moræ interponere, quo bonus Princeps liberè diſcederet. Exercebat ſpiritum ſtatis horis per commentationes pias; bis diebus ſingulis examen ſubibat conſcientiæ; lectioni ſanctorum Patrum, maximè eorum, qui ſpiritum fovent, ſtudebat ſedulò. Non ſemel illum cubicularij famuli ante ſacram Crucifixi imaginem provolutum in genua, ac flagris ſe inter ſuſpiria, & lacrymas durè verberantem deprehenderunt. Quo verò tempore Religioſi homines ad cõmunes flagellationes in templum conveniebant, is erat è ſuperiori loco ſocius tam piæ exercitationis. Nihil æquè ſibi gratum, quàm noſſe, quo fructu concionatores à ſe miſsi per vineam Domini excurrerent, ad ſalutem animarum, eademque ſignificatione voluptatis excipiebat redeuntes, ac manipulis collectis inter plurimas à Deo effuſas gratias applaudebat.

Religioſa in Collegio Henrici exercitationes.

13 Eſt illud in tam præclaro Principe Chriſtianę pietatis inſigne monumentũ, quod, cùm domum aliquando ſuam repentinus ignis corriperet, jamq; cubiculum ipſum in quo dormiebat, importuna flamma depaſceret, recordatus tantummodò ejus intra cubiculum receſſus, in quo Deum ante crucifixi imaginem precabatur, nihil omnino curans cæteram domus, licet pretioſiſsimam ſupellectilem ad tollendam ſolam Chriſti imaginem per medios ignes intrepidus penetravit, nec ſine magno miraculo remeavit illæſus; eo nimirum theſauro locupletior, quàm reliquis omnibus, quos igni libens reliquerat devorandos. Extat hodie mira hæc effigies pendentis Chriſti in Collegio Eborenſi, ubi præcipua religione colitur rarum pietatis exemplum, vivetque diu celebre in memoria poſterorum.

Incenſo palatio ſolam Chriſti cruce pendentis imaginem ſervare ſatagit.

14 Id verò in Henrico Principe omnem ſuperat admirabilitatem, quod in ijs quoque virtutibus ſe illuſtrem præbuit, quæ ſtatus Religioſi naturam per ſe conſtituunt, à Regioque magis abhorrere videbuntur. Amabat ergò paupertatem, ac pro divitijs

Paupertatem in ſe & alijs amabat.

vitijs habebat ſuis: itaque veſtibus gaudebat attritis, ac ſi opus erat, etiam ſarciri curabat, ſed neque in Regni faſtigio poſitus meliores aſſumpſit; aiebat enim Religione ſe teneri, ſumptus etiam leves in ſe ornando facere, cùm tot Luſitanorum pauperum greges in captivitate jacerent. Igitur ſola ſua frugalitate contentus amplos reditus, & Regales opes, quibus affluebat, eò tantum curabat, ut & publicis, & privatis neceſsitatibus pauperum eſſent frugiferæ. Idcirco tum in Henrico Principe mirabatur Luſitania, quod in ſanctæ memoriæ Pio Pontifice ejus nominis quinto Roma ſuſpiciebat, accumbenti enim ſecum oratori Scotiæ, quem ad petendas anguſtis rebus ſuppetias legaverat, ac miranti frugalitatem menſę Pontificiæ, dixiſſe fertur Ne mirere; Reginæ referes, ideò me frugi menſa uti, ut ejus præſenti difficultati, ac ſimilibus alijs faciam ſatis. Non ſecus ſereniſſimus Princeps Henricus ſe potiùs, domumque ſuam quàm publicas calamitates neceſſarijs fraudabat ſubſidijs. Quid plura? E reditibus annuis, qui ad octoginta millia aureorum pertingebant, ſolum triginta ſibi, ac domeſticis reſervabat; quæ ſupererant quinquaginta, in pauperum uſus effundebat. Documentum non imprimendum leviter, ſed altè figendum animis Eccleſiaſticorum Principum.

Suum fraudabat genium ut in alios largus eſſet.

Pij V. Pontificis illuſtre dictum.

Quid de amore caſtitatis memorem, qua Mundo Henricus exhibuit Angelum? Sanè non illum minori jure celebraverit fama Angelicum Principem, quàm Doctorem Angelicum celebrat Thomam Aquinatem. Nam cùm decumberet aliquando gravi morbo detentus, repulit, non ſecus ac ille incredibili vigore animi, introductam à pravis amicis petulantem fœminam, quæ pulchrum pudicitiæ florem aut decuteret, aut inficeret. Iam de obedientia illud afferam in Henrico valde laudabile. Erat is, præter quàm quod Archiepiſcopus, & Generalis Fidei Inquiſitor, etiam Cardinalis titulo ſanctorum quatuor Coronatorum, ac perpetuus in Regnis Luſitaniæ à Latere legatus. His omnibus titulis Apoſtolicæ Sedi ſe debitorem agnoſcens, ejus inprimis ſupremo capiti Pontifici Maximo perfectam

Virginitatis perpetuus & attentus cultor.

Cardinalis ſummum Pontificem quanto coleret obſequio.

perfectam obedientiam exhibebat, obſervanſque ſedulò, quò propenderet voluntas eius(quę magni ponderis eſt ad obediendum cogitatio) curavit ſemper, ne latum unguem ab ea diſcederet; Ad ea verò, quæ illi quoquo modo parum grata ſuſpicabatur, ne litteras quidē commandatitias impetrare quis poterat. Significavit ultimò piiſsimus Princeps animum hunc ſuum ad obediendum proclivem legatione illa, quam moriens in mandatis reliquit, ut duo è Societ. Religioſi homines peregrè Romam abirent oſculatum pedes S. Patris, ut qui per ſe non poterat, per alios Religioſum hoc præſtaret obſequium.

16 Nota res eſt quanta mole inſudaverit Cardinalis Henricus, ut Sebaſtiani Regis, nepotis ſui, juveniles impetus, ac indolem, excelſam illam quidem, ſed aliquanto præcipitem temperaret, præcipueque fatalem illum in Africam tranſitum impediret. Vadunt nihilominus humanæ res, in quibus libido impotens dominatur, curſu ad perniciem, Deo ſic permittente, irrevocabili. Tenuit Africam Sebaſtianus, bellum, quod ardebat, aggreſſus eſt; ſed quæ prima dies bello dedit, eadem Regno abſtulit æternis lacrymis proſequendum. Igitur infelicis exitus mala fama, mox ut Henrici implevit aures gravi dolore ſauciatum per ſuſpiria, & gemitus effudit cor, jaceretque in luctu & ſqualore diu, niſi coactus fuiſſet, ætate ingraveſcente quales quales humeros Reipublicæ collabenti ſupponere. Quare Alcobacia, in quam per id tempus diverterat, relicta, Olyſiponem illicò ſe contulit, quam ſolo aſpectu ſuo mœrentem exhilaravit. Curavit is primò, ut accitis è toto Regno juris peritiſsimis hominibus fieret aſtutum de ſucceſsione matura conſultatio; Eorum autem omnium hæc una fuit vox, Henricum Cardinalem legitimo jure Sebaſtiano Regi ſuccedere, quod unicus eſſet ſuperſtes Regis Emmanuelis filius, ac frater Ioannis Regis avi Sebaſtiani.

Sebaſtiani expeditionē ſæpe conatus eſt impedire

Sebaſtiano extincto Olyſiponem evocatur.

17 Hoc ſapientum hominum conſtanti decreto præmiſſo tulit Henricus, ſolenni ſe ritu evehi ad faſtigium Regni Luſitanici. Apparuit tamen in ea publica actione renuentis animi

Henricus Cardinalis Rex inauguratur.

ſpecimen inclytum, quale nec geſtientis præferret, qui ſumma vi ambijſſet imperium. Inauguratus vix fuerat Henricus, cùm illicò intendit animum in miſerrimum Regni ſtatum, iamque viduæ hinc inde accurrebant, quarum maritos vel fatalis clades abſtulerat, vel barbara tellus captivos detinebat; pupillos audiebat eiulantes, quòd patrijs æquè bonis carebant, atque patribus; captiuorum ex Africanis ergaſtulis ingeminatos clamores penè uſurpabat auribus. Verùm qua erat amplitudine animi, nec ſtupore detentus eſt, nec hæſit in anguſtijs, ſed ſingulis neceſsitatibus affuit, aut conſolator, aut reſtitutor idoneus. Quod verò omnium caput eſt, extemplò legationem expedivit ad Regem Barbarum tam magna opum vi celebrem, ut ducentis fuerit aureorum millibus æſtimata. Eò factum, ut illicò Maurus octoginta illos præcipuè nobilitatis viros dimiſerit liberos. Sed eo non contentus Henricus, modis omnibus egit, ut cæteram captivorum turbam patrio ſolo reſtitueret, qua in re uſque adeò nec laboribus, neque ſumptibus pepercit, ut crediderit Africa, Regnum Luſitaniæ, nec viribus eſſe, nec opibus attritum, & jure adhuc ita bene valens, atque proſperum timuerit.

Totus in captivos redimendos & viduas ſublevandas incumbit.

Angebat nihilominus Henricum maior illa cura, quod ſe gravem, Regnum verò intueretur plurium petitum ſtudijs, jamque hinc graviores miſerabili Luſitaniæ augurabatur clades. Competitorum primus Philippus ejus nominis ſecundus Hiſpaniarum Rex; ſecundus Catharina Brigantiæ dux; tertius dux Sabaudiæ, quartus Princeps Parmenſis; quintus Antonius Prior Cratenſis Principis Ludovici, ſed non ex thoro legitimo filius. Hos omnes bonus Rex ſingillatim admoneri curavit, ut per ſe, aut per legitimos procuratores ſui juris momenta coram ſe proponerent. Verum illi ſtudia in contraria rupti, Regis quoque facile ruperunt quietem; nec fuit interim aliud conſilium potius, quam ut Regni comitia indicerentur in oppidum Almerinum, cauſaque ibi coram omnibus Regni ſtatibus agitaretur; fore enim ut communibus ſuffragijs ſtabilita ſententia firmius,

Quinque petitorum de iure Luſitaniæ concertatio.

Comitia Almerini tumultus in ijs.

firmius, & ſacratius ſtaret in poſterum. Verùm quæ eſt humanorum ſenſuum varietas, ac fluctuantis multitudinis in conſtantia, tanto res agi tumultu cœpit, tamq; diſcrepantibus hinc inde voluntatibus, ut nihil de illo jure potuerit definiri certò, aut Rex certum auſus fuerit deſignare ſucceſſorem; hinc videlicet aliquorum comitialium procuratorum, qui Antonianis partibus favebant, inde tumultuantis populi, qui Caſtellæ omnino refugiebat imperium, ſeditiones timens.

19 Igitur totam rei ſummam ad paucos judices quando plurium non conſtabat judicium, revocare placuit, ac ut populi deliniret, placaretque animos in publicum euulgavit, velle ſe, quantumuis privtęa vitę rationibus cõtrairet, boni tamẽ communis, & pacis ſtudio ſacrum etiam adire matrimonium, quo legitimam prolem, ſi Deo placeret, Regno daret. Dum verò propriæ quietis ſub divinis per tot annos actæ ſacrificium parat, ac pro bono communi, quod divinius eſt, ſe totum immolat, deque mittendis ad ſummum Pontificem ea de re legatis agit: Deus, ſiue optimi Regis occulta vota reſpiciens, ſiue Regni extrema fata urgens, Henricum morbo primum implicuit, ac tandem, poſtquam unum regnaverat annum, quinque menſes ac totidem dies, gravi tabe confectum ad ſe vocat immortali gloria coronandum: magno quidem bonorum omnium luctu, ac certa impendentium malorum jam pulſante clade. Quanvis autem paratam in Eborenſi Collegio ſuo habebat ſepulturam è polito marmore ſpectabilem, viſum tamen inter Reges cæteros Bethlemico in templo ſepeliendum unde poſtea magno beneficio è cadavere detractus pes Eborenſi illatus eſt tumulo: monumentum ſtabile ſui in Societatem amoris, ac primæ plantæ, quam Eborenſi Collegio dederat.

Ad Iudices lis defertur.

De Henrici nuptijs agitur.

Mors & ſepulturæ locus.

20 Fuit Henricus Rex ſtatura corporis mediocri, vultu candido, oculis glaucis, paululum prominentibus, flava olim cęſarie, venerabili in ſenectute canitie, tota facie referens, pluſquam cęteri fratres, Emmanuelem patrem, ſuopte ingenio gravis, loquendi diſperſior, veritatis ſummè amator, ſecreti apprimè tenax;

Statura, & aliquot eius virtutes.

nax, ęquè delatorum ac adulatorum adverſator, appetitionum Dominus, laborum patiens, abhorrens à delicijs, acerrimus juſtitiæ cultor, nulli clientum addictus, ſuorum bonis moribus, non obſequijs gaudens, ſpectans nihil amplius, quàm Dei cultum, commune bonum, morum reformationem. Denique exemplar fuit virtutum omnium, ut gravi teſtimonio declaravit Pontifex Pius V. Nam Sebaſtiani Regis virtutes commemorans in quodam diplomate; Id, inquit, nos tum vi naturæ, generiſque tribuimus, tum verò exemplis, quæ in Cardinali Henrico ſibi propoſita habet ad imitandum. His, ac pluribus alijs virtutum ornamentis condecoratus, pręſtitit Henricus Mundo ęterna memoria dignum Principem, quem homines venerabantur, angeli ſuſpiciebant, Deus ipſe gratum ſemper habuit, hodieque ſuavi amplexu ſuo in ſempiternum fovet.

Pij V. de Henrico teſtimonium.

AD

Ad Regem Henricum.

Ad lacrymas Princeps, mœsta ad lamenta vocaris,
Dum capis infirmâ sceptra gerenda manu,
Excepere alij felicia tempora, restat,
Deploranda oculis vasta ruina tuis.
Collige relliquias, & sparsa cadavera Regni,
Collige naufragii squalida membra pater.
Lethales plagas, & hiantia vulnera sana:
Balsama de lacrymis da pretiosa tuis.
Prome unguenta tuo de corde salubria Princeps,
Vulnera fortè tuâ cruda levabis ope.
Post tantum exitium siquis super halitus errat,
Exanimæ patriæ pectoris igne fove.
Quod si nulla salus patriæ, spes nulla salutis,
Illacrymans patriæ ritè parentet amor.
Patria tunc dicet, Dum Rex mihi ritè parentat
Fletibus, exequijs par mihi nullus erit.

Ad eundem.

Nobile dissidium video, nova surgere bella:
De te sollicitat lis generosa polum.
Prome dura tulit, prome oppugnavit Avernum
Rex, ait, ille: Fides cedite noster erit.
Virginitas, meus, inquit, erit: mea signa ferebat,
Et jus arbitrij tradidit omne mihi.
Thure Deum, patriam studijs, & honore parentes
Qui coluit; Pietas, hic meus, inquit, erit.
Noster erit, dixit mitis Clementia; quando
Transcripsit mores in sua Regna meos.
Qui tegit innocuis, plectit qui cæde nocentes,
Hic Astræa meus, si placet, inquit, erit.
Quæ miseros Matrona sinu complectitur aureo;
Qui se donat, ait: qui sua noster erit.
Ignea sydereâ Virgo face dixit, Ab igne
Qui flagrat æthereo, jure sit ille meus.

Aureæ

Aurea Pax inquit Noſtrum eſt componere lites;
Dicere quæ vincat, non licet, ite pares.
Nulla erit hic victrix, nec victa; Eſt gloria maior
vincere, vel vinci non potuiſſe Deas?

Ad eundem.
Ob ereptam ab incendio Regiæ Crucifixi imaginem.

Suſtulit Æneas flammæ ex ardente parentem,
Iliacas flammæ dum populantur opes.
Suſtulit Henricus pietate inſignis IESVM,
Corripit auguſtas dum vaga flamma domos.
Hujus, & illius magnum diſcrimen; Ab igne
Suſtulit his hominem, ſuſtulit ille Deum.

Ad eundem.

In te conveniunt majeſtas Regia, Princeps,
Atque Sacerdotis jure ſupremus honor.
Qua Rex, jmperij Princeps torque bis habenas
Et dabis jmperijs Regia jura tuis.
Placabis populis pia Numina quaque ſacerdos;
Vtilis officio bis pietatis eris.

De Sepulchro ejuſdem.
Ad Eboram, ubi reliquiæ tantum illius clauduntur.

Videris Aonijs cum facta palatia muſis,
Ebora grata tui Principis eſto memor.
Videris auguſtis cum templa inſignia formis,
Principis ante oculos aſtet imago tuos.
Saxa ſepulchralis cum videris aurea molis:
Suſcitet extincta pars tibi clauſa faces.
A te, diviſus, ne Princeps mortuus eſſet,
Partiri exuvias maluit ille ſuas.
Quæ vitam extinxit, non mors extinxit amorem,
Spirat in extincto corpore vivus amor.
Pectoris, atque animi, ſi flamma refrixerit: ignes
Frigidus accendet, quitegit oſſa, lapis.

AD

Ad eundem.

Te liquidi flevere lacus, te pallidus auro
Rex Tagus, & mœstus te pater Oceanus,
Te juga, te montes, te fata draconibus antra,
Quæque colunt vitreas squammea monstra domos.
Quin etiam summos testata in nocte dolores,
Lucida pallentes Cynthia traxit equos.
Omnia dant lacrymas mundi loca, credite gentes,
Maxima tot lacrymas non nisi damna petunt.
Quantum perdiderit generoso in Principe Mundus,
Dat mare, dat tellus, astraque mœsta fidem.



PHILIPPVS PORTVGALLIÆ REX XVIII.
VIXIT AN. LXXI. OBIIT A°. M. D. XCVIII.

PHILIPPVS I.
LVSITANIAE
REX XVIII.
ANACEPHALAEOSIS XXII.

PHilippus Carolo Imperatore ex Eliſabetha Regis Emmanuelis majori filia prognatus patruo ſuo Henrico in Luſitanię Regnum ſucceſsit, cujus egregia facta in alijs imperij ſui locis, & inſignes virtutes, quoniam neque brevi poſſumus, neque expedit huc inſerere, ea ſolum paucis attingemus, quę ab illius in Luſitaniam ingreſſu digniora relatu eveniſſe comperimus. Henrico igitur defuncto, Catholicus Rex Pacem Auguſtam, venit, ſuæ ditionis urbem finitimam Luſitaniæ, quo faciliùs inde ſucceſsionis negotia expediret. Verùm cùm turbari in dies populum, moveri factiones, nobiles inter ſe dividi, & diſcrepare, miſceri denique omnia, neque viam omnino cerneret, qua benevolè, & amicè populos in ſuam ſententiam pertraheret, validam claſſem mari Olyſiponem miſit; terra exercitum numeroſum, conſtituto jmperatore duce Albano Ferdinando Alvarez Toletano, qui Helvenſes adorſus, urbem nullo prœlio cepit; ſimiliter & alia oppida, quæ audito Philippi nomine, poſitis armis, aperta traditione dedebantur. Sicubi verò aliqui contraire audebant, vero atque uno capite deſtituti nihil aliud efficiebant, quàm ut ſe ipſos cladem, & interitum, iras Regis in populum provocarent.

1 *Hæres Luſitaniæ, quia Emmanuelis ex majori filia nepos.*

Vide Ital. pag. 562.

Mortuo Henrico claſſem & exercitum inſtruit in Luſitaniam.

2 Per id tempus Antonius Olyſipone cudendis, acervandiſque pecunijs, cogendo exercitui, inſtruendis militibus, legatis in Galliam, & Britanniam rogatum auxilium mittendis, alijſque

Antonij Olyſipone conatus.

muneribus Regijs intentus, nomine, & officio Regẽ agebat. Verùm, cùm nobilium plurimi in Catholici Regis partem, alij in neutram propenderent, pauci admodum Antonio ſubſidio erant, unde facilis Albano Duci aditus patuit, ut arcem Caſſalenſem (mortuo Iacobo Meneſio, qui cum paucis eam tuebatur) arcemque S. Iuliani (quam dicunt Sam Giam) breviſsimè caperet; quibus ex ſententia confectis, cum omni exercitu, viribus, & numero integro verſus Olyſipponem ire perrexit, ubi eum Antonius præſtolabatur, quatuor ferè millibus ſtipatus, ex quibus perpauci nobiles, inviti plurimi, inexercitati omnes, & belli rudes, quadringenti verò æthiopes ſervi captivi, qui promiſſæ libertatis amore ad Antonium in exercitum profugerant. Hanc ergo victimam magis, quàm aciem Ferdinandus aggreſſus, etſi ad primos congreſſus vim aliquam, & ſuorum interitus ſentiret, ad extremum, cùm Luſitani milites adeò pauci, adeò rudes, adeò numero impares eſſent, fuſi, fugatique ſunt; Antonius capite cæſus, pernicis equi beneficio in tutum receptus, Olyſiponis ſuburbana, & vicina oppida, capta inſigni præda, inſolenter direpta.

Olyſipo Philippi duces excipit.

Amiſſa Olyſipone Antonius Portum aufugit, notam, & antiquam urbem, loci natura, & arte ſatis munitam, ubi concurrentibus ad eum, ex varijs Regni locis, novis militibus novum exercitum conſtruxit, bellicarum tamen rerum adeò imperitum, ut ad primum Hiſpani equitatus conſpectum, quem Sancius de Avila ductabat, quaſi viſo terriculamento pueri, ſic omnes deſerta acie unanimi conſenſu trepidanter aufugerint. Antonius verò inde ſe cum paucis ægrè propipiens, cùm in aliquot Regni partibus aliquandiu deliteſceret, tandem in Cetobricæ portu in Galliam conſcendit. 3

Antonij fuga in Galliam.

Fugato igitur Antonio, Rex Catholicus Helvenſem urbem in finibus Luſitaniæ ſitam menſe Decembri, anni milleſimi, quingenteſimi, octogeſimi ingreſſus eſt; atque hinc totum Regni ſenatum ad comitia in oppidũ Nabantiam, vulgò Tomar, Aprili ſequentis anni celebranda advocari juſsit; ubi juxta ve- 4

Comitia Nabantij celebrantur

terem Regni consuetudinem, à Dynastis, & procuratoribus urbium, & oppidorum, ipse Lusitaniæ Rex, & Iacobus Princeps verus successor juramento cognitus, & acceptus est. Quibus peractis se contulit ad magnam & celebrem urbem Regni totius caput Olysiponem, in quam Iunio mense die Apostolis Petro & Paulo sacra, magna pompa & apparatu exceptus est. A portu in templum maximum sub pretiosa umbella equo delatum, cæteri pedibus comitabantur; miratur arcuum structuram, qui multis, & cælaturis, & statuis miro artificio elaboratis in morem triumphi erecti passim plurimi visebantur. A templo ad littus redijt in palatium regium per nobiliores urbis plateas serico aureo perestromate ad miraculum exornatas. *Philippus Olysiponem adit.*

5 Egit Olysipone quàm multa suam animi magnificentiam, & munificentiam attestantia; Ad meliorem justitiæ administrationem nonnulla direxit; leges aliquot sanxit, aliquot instauravit; Ex duobus Regijs senatibus, unum illum, ad quem civiles causæ deferebantur. Portum transduxit, addita etiam in criminales, quanvis non omnino libera potestate; senatoribus item ipsis, quo jus liberiùs dicerent, stipendia auxit; de Republica, & justitia benè merentes muneribus & honoribus locupletavit. Ex ijs autem, quæ ipse, vivente adhuc Henrico, in Regni commodum offerebat, si pacificè sibi traderetur, juratus posteà Rex multa liberè ac libenter concessit, ut allecti donis popularium animi ultra quam sperari poterat, dulciùs & faciliùs caperentur. *Multa ad Regni utilitatem instituuntur.*

6 Quoniam verò ex tota Lusitana ditione, eæ solummodò Insulæ, quas Tertias appellamus, Antonianorum suasionibus Regi Catholico minimè parebant, missa ad eas classis Hispano duce, militibusque, quorum quadringenti, aut ampliùs, cùm in arenam temerè prosilirent, irruentibus subitò Insulanis, ad unum omnes non occisi solùm, sed & fœdè dilaniati, ac discerpti sunt. Quo audito, Rex Alvarum de Bacan Marchionem sanctæ Crucis rerum navalium peritissimum eò transmisit, *Bacanus Strozium ad Insulas tertias classe fundit.*

fit, qui validam, ac numerosam offendens Gallorum classem qua & Antonius ipse vehebatur, duce Philippo, Strozio Italo, viro animi æquè fortis, ac generosi, quanquam hostium navigia numero plura, & militibus essent, statuit, oblata ingentis gloriæ occasione eo sibi prœlio, aut moriendum, aut quod magis sperabat, rem omnem uno die, capto, vel occiso Antonio, conficiendam. Verùm Antonius de suorum consilio biduo ante certamen in terram descendit. In Gallos igitur Alvarus audacter invectus, cùm ancipiti diu victoria dimicaret, capta ad extremum prætoria, atque aliquot alijs, cæteras omnes magna illata clade in fugam avertit. Mortuus in certamine Philippus est, atque alij plurimi ex præcipua Gallica nobilitate; ex Lusitana verò spes illa, & columen rerum Franciscus Portugalensis Comes Vimiosensis, dignus profectò, qui propter insignes virtutes, excellentesque animi, & corporis dotes, meliori fortuna, & consilio uteretur. E superstitibus captivis Gallis, nonnulli Alvari jussu ferro percussi sunt. Appellebat jam hyemale tempus, neque navigijs tuta apud insulas statio visebatur, quocirca illarum oppugnatione in sequentem annum dilata, plenus gloria & spolijs Olysiponem Alvarus remeavit.

Dux Vimiosensis meliori fortunæ dignus, obijt

Anno 1583. Februario mense, peractis Olysipone comitijs, in quibus Princeps Philippus, apud quem hodie sceptrum feliciter manet, juratus est, alijsque ad Regni directionem, & commodum ad amussim confectis, Madritum Rex, unde aberat quatuor fermè annis, reversus est. Suffecto in suum locum Gubernatore, applaudente Regno universo, sereniſsimo Principe Cardinali Alberto Austriaco Archiduce consobrino suo, atque affine, cujus prudentia, & generositas belli, pacisque negotijs tractandis manifestè ostendit, quantum à Rege, & superis tali custode, & Principe Lusitania susceperit beneficium. 7

Albertus Cardinalis Lusitaniæ præficitur gubernator.

Eodem hoc anno Marchio S. Crucis valida navigiorum, & triremium coacta classe in Insulas, unde venerat, ut suprà commemoravimus, profectus est. Præsidebat Angrę Emmanuel de Syiva; Dynasta autem Xartensis cum Gallorum tribus millibus 8

Antoniani Insulis penitus exterminantur.

bus præsidio erat. Ex Insula D. Michaelis, quo cum universa classe Marchio appulerat, ad Angrenses misit, qui multis vitæ, veniæ, & honorum oblatis conditionibus suaderent, ut antequam res vi agi cœpisset, arcem, & civitatem sibi pacificè traderent. Verùm ipsi hanc legationem, surdis, quod aiunt, auribus exceperunt. Ergo Marchio cum toto comitatu in terram descendit, eamque adeò fortiter ac feliciter impetit, ut una, eademque die rem difficillimam cœperit, & confecerit; castella, & propugnacula maritima capta, indigenæ in fugam conversi; reliqui partim occisi, partim vitæ conditionibus sponte traditi; Gallis, ut dimissis armis, atque vexillis suo quilibet gladio in patriam reversuri conscenderent, concessum. Præfectus Emmanuel de Sylva, & nonnulli alij, qui detrectandæ pacis auctores fuerant m, ulctati capite. Eadem felicitate, ac dexteritate Petrus Toletanus Fayalensem Insulam Gallorum pręsidio fultam expugnavit, Insulæque præfectum Lusitanum hominem collo suspendit, quod missum ad se legatum, ut pacis conditiones Insulanis offerret, contra gentium jura fœdè occiderit: Atque in tota Lusitania, sub unius Philippi ditione nullis bellatorum tumultibus agitata, tranquilla pace, atque otio, quanvis non nimium diu conquievit.

supplicia de aliquibus sumpta.

9 Nam anno salutis millesimo, quingentesimo, octogesimo nono Elisabetha Angliæ Regina validam, ac numerosam classem in Indiam occidentalem obarmabat, ad quam Antonius suppliciter precabundus confugiens, multis, ac varijs rationibus, & pollicitationibus suasit, ut totum illum apparatum in Lusitaniam converteret; Enim vero ipsi manifestè constare ad primum sui conspectum Lusitanos omnes Regem, ac Dominum unanimi consensu acclamaturos; quocirca Anglicanam provinciam salua, & incolumi maiorem honorum, & opum ex Lusitania cumulum, quàm ex India fore reportaturam. Eadem arte, & spe donorum nobiles Anglos impulit, ut hanc secum expeditionem multi susciperent. Ergo cum illo classem magis ad prædam, quàm ad prœlium lætabundi conscendunt.

Antonius cum Anglorum classe reditum tentat.

ſcendunt. Mari Franciſcus Draques, terra cum ipſo Antonio Henricus Nores exercitui imperitabat. Bellicis navigijs claſsis maioris magnitudinis, ſex & viginti, minoribus quadraginta, & centum tota conſtabat; in quibus hominum millia viginti circiter vehebantur. Soluit Plemua Aprili menſe, Maio appulit, quod Gallæciæ eſt oppidum, vulgo Curunha; atque ibi decem hominum millia, & maiora tormenta plurima, quibus & arcem quateret, & oppugnaret, expoſuit. Verum Gallæci adeo generoſè, & fortiter Anglorum impetus retu derunt, ut amiſsis ſociorum mille, re omnino infecta, plagis, & dedecore pleni in naves ſe iterum receperint: atque inde fortunam alibi tentaturi in viciniora Olyſiponi loca ſtatim ſoluerint.

Angli Olyſiponem deveniunt.

Ergo claſsis vigeſimo ſexto Maij Pinichem devenit, novem ab Olyſsippone Aquilonem verſus leucas diſtantem; expoſita ibi peditum cum equitibus aliquot, duodecim millia, qui nemine obſiſtente, ſecuro, & lento gradu eò uſque liberè pervenerunt, ut in ipſis Olyſsipponis ſub urbanis ad Diuam Catharinam caſtra ſtatuerint, quin ad eos tamen alicujus momenti auxilium, ut Antonius ſpoponderat, ex Luſitanis concurrerit. Præſidebat eo tempore Luſitaniæ Princeps Albertus, cujus matura prudentia, & ſanum conſilium negotio difficillimo exitum feliciſsimum, quem & ipſe ſucceſſus oſtendit, jure merito promittebat; ex totis diebus novem, quibus cum exercitu ibi Henricus Luſitanam magis defectionem, quàm dimicationem expectavit, nullus congreſſu caruit, & pugnæ præludijs, in quibus Luſitani equites, & Hiſpani multis editis facinoribus, magnæ fidei, magnæ virtutis ſpecimen preclariſsimũ præbuerunt. Interim Draques, ad Caſcalenſe oppidum cum claſſe perveniens loci illius arcem Hiſpani ducis negligentia, quam ipſe capite luit, occupavit. Verum Henricus experta Luſitanorum fide de ſpe conficiendi negotij, quam vanis pollicitationibus Antonius eò uſque aluerat, omnino dejectus, perditiſque jam multis, & hominibus, & armamentis, quam velociſsimo curſu ad naves cum exercitu ſe contulit, in quas amiſ-

Alberti Archiducis maturitas & prudentia.

Angli re infecta revertuntur.

ſis

sis in tota expeditione tribus hominum millibus anno Domini 1589. cum reliquis in Angliam conscendit. Quanquam autem Olysipone id temporis in ipso belli tumultu propter perditionis suspicionem nonnulli damnati capite, catenis nonnulli traditi, & supplicijs fuerint; recedentibus tamen Anglorum turbinibus, cœlo placido, ac sereno repertum fuit, non tam gravia, quàm credebantur in ijs hominibus tanti sceleris indicia unquam fuisse. Quin & ipse Alphonsus de Vargas, quem Philippus Alberto, ut in ea occasione manu, & consilio præsto esset, Madrito misit; eò reversus mihi sæpiùs affirmavit, nullam se in tota Hispania provinciam nosse adeò Regum obsequijs propensam, ac deditam, ex qua si classis iliuc ea appelleret, non plures quàm Olysipone, in eam fugerent desertores; Atque ipsi Regi, aiebat, id ipsum se identidem affirmasse, notamque diu sibi Lusitanorum fidem in Regem semel cognitum, & acceptum, quam ipse varijs sæpè bellis expertus fuerat, debitis laudationum titulis extulisse.

Lusitanorum fides in ijs tumultibus.

11 Inter ea, quæ felicissimum Philippi Regnum illustrarunt, recensere jure optimo possum, quod Marrochij anno 1585. coram Lusitaniæ legato D. Francisco Acosta in Xarifij curia accidisse ipsius Acostæ, & fratris Antonij à Conceptione literis ad sereniss. Archiducem Albertum missis contestatum habemus. Inter reliquos igitur captivos, qui ab infelici Sebastiani Regis expeditione in Moleivacæ curia, & obsequio versabantur, sex erant adolescentes in ipso juventutis flore à quarto ad octavum supra decimum numerantes annos, Barbaro inprimis chari, quibus tamen Fidei integritas, & morum sanctimonia in tanta Mahometanorum intemperantia chariores semper fuerunt. Hi Magistro destituti, sed Deo ducente, inter se paciscuntur, mortem ipsam, & morte acerbiora tormenta quælibet exanthlaturos sese pro avita religione, quæcumque se daret occasio. Illorum unus, qui Mahometana matre, patre Hispano Malaiæ orto Fidei impijssimo desertore Marrochij ad felicissimam sortem lucem hauserat, Xarifij jussu Maho-

Martyrio aliqui in Africa coronati.

metis Alcorano (ita impijſsimæ hæreſeos dogmata continentem librum appellant Arabes) ſumma cura imbuendus traditur præceptoribus; Sed ita impias leges averſatus eſt, ut Chriſtianæ fidei rudimenta magno ſtudio & voluptate edoctus ad Chriſti caulas confugerit, & inter Luſitanos pueros eiſdem intentus pietatis, ac religionis exercitijs Franciſci à ſpe aſſumpto nomine verſaretur. Iſte omnium primus Xarifio coram, & Regni proceribus fidem adeò conſtanter profeſſus eſt, ut Barbarus iram coercere non valens, gulam frangi ſtatim imperaverit; funis tamen dum teneræ fauces conſtringuntur, ut miraculo res illuſtrior eſſet, bis diſruptus, tertiò tandem ſpiritum penitus intercluſit.

Pueri ſemimauri fides.

Alij Martyres.

Hunc Simon de Freitas ſequutus Luſitanus puer Cetobricæ natus, qui alios quaſi Doctor, & Magiſter ſalutaribus conſilijs, & inculpatis moribus erudiebat. Mox alij, Antonius à Soſa, Cetobricenſis item; Maurus ex Olyſiponenſi oppido pomorum abundantia inclyto, Colares vulgò dicimus; Dominicus ex Herminio Monte, patria Gouveanus; Ioannes Lutetiæ Pariſiorum in Gallia natus, qui à Luſitania Sebaſtianum Regem in Africam trajicientem comitatus fuerat; Ferdinandus Ginezius, quem alij Luſitanum ex oppido Monçam Minij ripis vicino, alij Gallum exiſtimant. Horum poſteà conſtantiam imitatus ad ſimilem convolavit palmam Dominicus Turrianus Luſitanus Mazagani in Africa ortus, qui amicum epiſtolis ſedulò admonuerat, ut impiam Mahometi ſectam deteſtatus, ad priſtinam, & veram religionem, à qua impiè defecerat, animum adjiceret; cujus apud Regem criminis delatus, mox in vincula conjicitur, abſciſsis deinde ſecuri poplitibus, ne in extrahenda compede aliquid temporis, & laboris carnifices inſumerent, vivus in Regis horto, qui palatio adjacet, terræ infoditur, quæ omnia ille mirando animo, & Barbaris ipſis ſtupenda patientia toleravit.

Sacræ reliquiæ, quas legatus ingenti pretio redemptas in Luſitaniam poſteà miſit, majori ex parte Regis juſſu in auguſtiſsimo D.

mo D. Laurentij templo, quod apud Eſcurialem Philippus erexerat, aſſervantur; Aliquæ apud noſtrates remanſerunt, quę multis vario morborum genere afflictatis deſperatam valetudinem reddiderunt. Fezij etiam in Mauritania pro Chriſti nomine, & Fide acerbiſsimis cruciatibus affecti martyrio tandem condecorati ad feliciſsimas coronas emigrarunt undecim adoleſcentes, quorum nomina, & tormentorum ſpecies aſſequi non potui; Illud tamen certum eſt, pleroſque illorum Luſitanos fuiſſe qui infelicia Sebaſtiani Regis arma ſequuti ad potiorem triumphum captivi detenti fuerunt.

Reliquiæ eorum Martyrum in Luſitaniam relatæ.

14 Fuit Catholicus Rex ad majeſtatem compoſita, verùm mediocri corporis ſtatura; lata fronte; pulchris oculis, cæſijſque; craſſo, rubroque ore, ac juſto naſo; barba ſpiſſa, & flava; præſentia verè Regia ac venerabili, adeò, ut coram illo ſæpè multos præ nimia reverentia turbari contigerit. Hanc verò tantam oris ſeveritatem & gravitatem tali manſuetudine, ac benignitate temperabat, ut è ſuis conſiliarijs quidam affirmare auderet, neminem prudentis animi, quem ipſe ad ſe pellicere benignè vellet, quanvis alioqui offenſus, aut infenſus ei foret, regiæ præſentię, ac benevolentiæ non ceſſurum. Ea verò prudentia, & conſilio in hominibus præſertim eligendis, & negotijs præveniendis excelluit, ut non ſolum cognomento Prudens vocitari conſueverit, verùm etiam omnes ſui temporis homines maturitate conſilij, & ingenij dexteritate longo intervallo ſuperaſſe credatur. De ſe autem ipſe dictitare ſolebat (ſi quando in contrariam ſententiam inclinabat) omnibus ſui concilij ſenatoribus ſe in eodem ſenatu eſſe vetuſtiorem; neque tamen idcircò, niſi ſibi res admodum comperta foret, plerumque illorum placitis non acquieſcebat, quanvis ad eos ſæpè negotia remitteret iterum, atque iterum conſideranda; in quibus de minimis rebus adeò frequenter eos admonere ſolebat, ut facilè appareret, quid in maioribus, ſi res ita exigeret, faciendum foret. Cum hac tanta humanarum rerum prudentia, tantam divini cultus peritiam conciliavit, ut non pietate ſolum, & religione,

Philippi ſtatura.

Prudentia Philippi.

Pietas erga Deum & divina.

gione, sed & ritibus scitè peragendis multos Ecclesiarum ministros videretur excellere. Quoties in Escuriali morabatur, ex janua in id ipsum ex composito facta, coram sacra Eucharistia integras sæpè horas precando, transigebat; qua orandi consuetudine pravos animi motus tam perfectè domabat, ut rarò etjam à familiaribus discerni quiverit, utrum rationis impulsu, an naturæ magis impetu raperetur.

Matrimonia & liberi

Contraxit matrimonia quatuor; primum cum Maria Ioannis Regis III. Lusitaniæ filia, ex qua Principem Carolum habuit, qui superstite adhuc patre vivos reliquit; Secundum, cum Maria Anglicana Regina, quæ magno Dei, secretoque judicio, nullo relicto semine festinanter excessit. Tertium, cum Elisabetha Henrici Galliæ Regis II. filia, quæ Elisabetham Claram Eugeniam, & Catharinam peperit; quarum illa Alberto nupsit Archiduci Austriæ. Hęc Carolo Emmanuëli Sabaudię Duci; Quartum & ultimum, cum Anna Maximiliani Imperatoris digniſsima filia, ex qua Ferdinandum, Carolum, Laurentium, Philippum, & Mariam suscepit. Philippus Imperium hęreditarium accepit; Reliquorum quatuor octavum ætatis annum nullus implevit. Obijt decimoseptimo die Septembris, anno salutis 1598. ętatis verò suę septuagesimo primo, quorum sex, & quadraginta universę Hispaniæ; decem & octo Lusitaniæ imperavit. Sepultus jacet in D. Laurentij sacro, & Regali Cœnobio, quod ipse Hieronymianæ familiæ insigni magnificentia, & structura à primis olim erexerat fundamentis; quò parentis sui Caroli Imperatoris ossa transferri jussa, cum uxorum suarum reliquijs, & filiorum cineribus conquiescunt.

Mors & sepultura.

AD

AD REGEM PHILIPPVM I.

Quanta ſupercilio Majeſtas Regia; quantus
Principis in magni fronte ſuperbit honor?
Delicijs implent ſpectantum lumina pectus.
A quibus avertis lumina, funus habent.
Progrederis, comitatur ovans reverentia; veſtit
Gratia; circum humeros dulcis oberrat amor.
Ora fides, mentem conſtantia, pectus honorat
Candor, labra lepor, Regia ſomar genas.
Ipſe Midas miratur opes, & munera Craſus;
Fiet divitijs dives uterque tuis.
Bella paras, ſequitur victoria; læta triumphos
Ante tuos plaudit gloria; fama tonat.
Admiranda orbi tua magna potentia; Princeps
Admiranda magis ſed tua magna fides.

Ad eundem.

Fama licet patrum famoſa volumina voluat,
Quem conferre queat Rex tibi nullus erit.
Illuſtrant diviſa alios quæ ſingula Reges,
Cuncta tibi largus donat habere polus.
In te omnes cerno generoſi Principis artes;
Arte jubes, ſequitur Regia juſſa manus.
En tibi ſubmittunt Reges faſtigia; cedunt
Magnanimi heroes, fulmineique duces.
Et tua majeſtas Pompeij nomen obumbrat,
Ante oculos magnus non erit ille tuos.
Cæſar Iuleo genus alto à ſanguine, ſummos
Admirans animos, mallet habere tuos,
Spectat Alexander torva te fronte; ſecundum
Se pavet, & ſeclis gloria priſca ſuis.

Seu te de cælo miſerunt Numina, ſeu te
Ars tua formavit, laus ea ſumma fuit.

Ad eundem.

Europa ingenijs felix, & fortibus armis,
Prodere ſi gentis vis monumenta tuæ.
Ne Pario oſtendas ſpirantes marmore vultus,
Nec quod Phidiaco pollice lucet ebur.
Tectaque nobilium, vel eburna, vel aurea: Regum
Agmina, diuitias, bella, trophæa, duces.
Sunt maiora tibi miracula; Carolus ingens,
Natus & Heſperiæ qui tenet imperium,
Illorum in clara referuntur imagine Reges,
Vel quos fama vetus, vel nova fama canit
Horum etiam ſceptris bene ſubdita Regna gubernas;
Das ſceptra, & Reges Regna tenere doces.
Quin etiam imperio totum complecteris orbem:
Qua juga Sol roſeis demit, & addit equis.
Et patris, & nati veſtigia ſemper adora;
Vtraque adorando prona, ſuprema tenes.

AD EIVSDEM obitum.

Heſperio cecidit cum magnus in Orbe Philippus,
Atratos picea Sol face duxit equos.
Viſa per obſcuras portenta (immane) cavernas
Mugire, & mœſto funere velle mori.
Pro numeris Helicon peragit lamenta canoris;
Singultus plectro pro modulante ſonat.
Viſæ etiam mœſtæ præ luctu areſcere laurus,
Florentes myrtus depoſuiſſe comas.
Mars dolet, & Bellona ingens, & Mortia Pallas.
Claſſica cum raucis viſa tacere tubis.
Fama gemit lugubre dolens, & gloria palmas
Mœſta triumphales frangit, & horret honor.

Florat

Plorat inexpletum mœrens Natura, gemensque
Addidit ad lacrymas talia dicta suas.
Nec talem, aut similem Princeps tibi magne videbo.
Exhausi nostros te pariendo sinus.

PHI-



PHILIPPVS PORTVGALLIÆ REX XIX.
VIXIT AN. XLII. M. XI. OBIIT Aº. M. DC. XXI.

PHILIPPVS II.
LVSITANIAE
REX XIX.

ANACEPHALAEOSIS XXIII.

DEcimo quarto Aprilis anni milleſimi, quingenteſimi, ſeptuageſimi octavi, Philippo hujus nominis Hiſpaniæ III Luſitaniæ Regi II. fauſta ac felicia vitæ Madriti ſeſe oſtia aperuerunt; quæ tamen licet occludenda citiùs fore, multæ, ac moleſtę ægritudines, quę puerum prægravarunt, minitari viderentur, Dei tamen beneficio in Hiſpaniarum ſceptra ſervatus eſt. Iacobo igitur Principe fratre ſuo majori morte perempto: prima Februarij die anni ſupra milleſimum, quingenteſimum, octogeſimi tertij, Olyſipone, atque eliquanto poſt in alijs Hiſpanię Regnis, verus, germanuſque paterni ſceptri ſucceſſor publico ſacramento cognitus, dictuſque eſt. Eam ætatem agenti (vigeſimus is annus erat) quę agendis rebus agilis, atque apta videtur, patre amiſſo, Hiſpaniarum gubernacula magno populorum plauſu fuêre commiſſa, ritè peractis omnibus cæremonijs in hoc Regno, quæ de vetuſto Luſitaniæ more in Regum creatione fieri conſueverunt. Eandem illam moderationem & munificentiam imitatus, qua Luſitanæ gentis animos pater alliciebat, imperium huc uſque adminiſtravit, mira naturæ benignitate, quæ pium, facilem, moderatum, & in manſuetudinem, quàm in ſeveritatem propenſiorem genuit, atque inſignem rerum bene geſtarum remuneratorem.

Ortus & infantia affecta.

Luſitanica expeditio hujus principis vide Bibliotheca Lusitana fol. 563 usq. pag. 588.

Regnum adit.

Neque tamen idcircò integritatem non colit, & juſtitiam,

Integritas & cura iustitiæ.

imò verò suis, nostrisque diebus in publica urbium flagitia, & magistratus adeò exactè inquiri, & animadverti iussit, ut multos munijs pravè administratis, multos capite, nulla personarum habita ratione mulctaverit. Quin & lege severissima cavit, ne eorum filijs, qui in proprijs obeundis muneribus graviter deliquisse convincerentur, paterna munia, ac Magistratus quoquo modo contingerent. Diplomate item Regio interdixit, ne favores pecunia quærerentur: Eos verò qui vel palam, vel clanculum, favore ita quæsito aliquod beneficium, vel officium adepti fuerint, ipso, ejusque fructibus tuta conscientia potiri non posse, addito restituendi onere declaravit.

Larache in Africa nostris adiungitur.

3 Ob tantum publicę æquitatis servandæ, tuendæque studium, supremus ei Rector, ut creditur, ad extremum concesit, quod multi Lusitani Reges non solum maximè optarunt, verùm etjam magno sæpè conatu, quanvis omninò irrito tentarunt. In ora Africi maris non longè à Gaditano freto Castellum assurgit, situ loci, & flumine munitissimum (Larache nominant) notum, & antiquum latronum, ac pyratorum receptaculum, qui suis indè egressi temporibns nostrum Oceanum infestabant. Indigebat hoc tempore Rex Fezensis Hispano favore; Oblata occasione usus Philippus, arcem ut sibi hanc traderet, probis conditionibus impetravit; eò majori Hispanię gaudio, quò graviori frementis Turcæ dolore; qui, ut ibi suis classibus, quas in nostrum, Hispanumque fretum mittere constituebat, hybernacula pararet, eam arcem suo Imperio adjungere meditabatur.

Mamora expugnatur

4 Non inde procul aquas in Oceanum exonerat fluvius quidam, cujus & marinorum fluctuum alterna reciprocatione sinus efficitur, omnium, quos habet Africa, capacissimus: atque adeò totam pyratarum colluviem, quæ per Herculeum fretum singulis annis se in Oceanum fundebat Turcas, Mauros, Batavos, aliosque pyraticam exercentes in suum veluti alveum excipiebat. Hæc illa Mamora est toties nostris olim ob varia infortunia execrabilis, toties à nobis hodie propter Philippi gloriam

riam celebrata. Cùm enim Lusitaui Reges Ioannes II. & Emmanuel varijs sæpè classibus eam sibi subjicere pręoptarent, partim ducum temeritate, partim vectorum negligentia, nihil omninò indè, quàm suorum clades, & ęrarij detrimenta extulerunt.

5 Capta Larache, Turca ingentem classem militum, & tormentorum prestantia, ac multitudine instruebat, ferebaturque non vanus rumor ipsum Mamorę velle quàm citissimè arcem ædificare, vocante, vel precibus etiam impellente tota pyratarum sentina, quæ se illuc ex præda hyberno passim tempore recipiebat; Prevertit ea consilia noster Philippus, validaque triremium, ac majorum navigiorum classe coacta, anno Domini millesimo, sexcentesimo, decimo quarto, Ludouicum Fajardum Hispanum Ducem, eò transmisit, hanc stationem ut Turcis præoccuparet. Vehitur ergò Fajardus Philippo auspice, flumen ingreditur, latronum navigia capit supraviginti: deindè Mamoram, nemine resistente; nam & latrones, & incolæ metu territi in continentem profugerant; Raptim ab Hispanis militibus duo propugnacula evehuntur, hominumque, ac tormentorum presidio fulciuntur, donec missis ab Hispania copijs contra futuros hostium impetus arx extruitur, & communitur. Ea ędificata Morabitus quidam (secretioris ac sanctioris vitæ vocabulum est) Religionem simulans, factamque Mahometo injuriam ulciscendam prædicans, Maurorum ingentem numerum brevi coëgit, quoque majori impetu, ac maiori trepidatione arcem invaderent, eos persuasit plumbeos Hispanorum globos, quasi naturam stuppeam induissent, nihil sibi detrimenti fore laturos, qua spe decepti Barbari arcem intrepidi aggrediuntur. Sed bene destinata displosione ita sunt excepti, ut discerpti, ac dilaniati pravæ superstitionis fallacias, ac Morabiti vanitatem, cujus cadaver globo confossum jacebat, intelligerent.

Turcæ dolor & conatus.

Morabiti & Mamorani recuperandam insania.

6 Inter hæc, atque alia Dei beneficia, illud item præ cæteris memorandum; quod Granatensium insidiæ patefierent, qui varijs

Mauri Hispanienses Hispania exturbãtur.

varijs Hiſpaniæ diſperſi locis,& Regnis,in eiuſdem perñiciem, & interitum Turca in favorem accito, unanimiter conſpiraverant; eò iam conatus ſuos perduxerant, pravaq́ue conſilia, ut niſi dolos ſuperi mirabiliter aperirent, curanteq́ue Philippo, atque imperante, conſultis primùm doctiſsimorum totius orbis de hac re judicijs, tales hominum feces evomeret, ruptis quaſi viperino partu viſceribus miſerabiliter Hiſpania interiret; Sed quoniam hæc ad Luſitaniam propriè non ſpectant, Hiſpanis à Chronographis conſultò relinquimus fuſiùs ex profeſſo commemoranda.

Trium Archiepiſcoporum in Caſtellam iter.

Igitur cùm ex Hebræis oriundi homines,qui apud nos hodie 7
jam indè à priſcis temporibus commorantur,vitam meliorem polliciti à Philippo eſſagitarẽt,ut veteris pertinacię ſibi à Pontifice veniam impetraret, ceſſuraſq́ue fiſco opes reis remitteret; Madritum ſe ex hoc Regno tale malum Regi diſſuaſuri Braccarenſis,Olyſiponenſis,atq; Eborenſis Archiepiſcopi contulerunt, cum Martino Gonçalvio à Camera magnæ authoritatis viro, rerumq́; ad ſacram Inquiſitionem ſpectantium peritiſsimo, qui omnes hanc provinciam ſuſceperunt,Theotonij Brigantini Ducis filij,Archipræſulis Eborenſis,zelo commoti,qui in hoc negotio Dei cauſam, & Fidei fideliter tractans, vitã glorioſiſsimè Madriti poſuit. Tantam legationẽ Rex quaſi à Deo miſſam ſibi,excepit,auditiſq; rationibus,& conſilijs tantorum præſulum, graviumq́ue virorum poſt longam, & diuturnam negotij agitationem, quæſitam Hebræis veniam nullatenus cenſuit concedendam; Atque ita benignè exceptos rebus ex ſententia geſtis Antiſtites domum remiſit. Procedente deindè tempore, inſtantibuſq́ue per ſe, & per amicos Hebręis, ut erat pius,& facilis Rex,impoſita pecunię magna pœna, quod ab eo exigebatur,permiſit,veritus ne,ſi veniam,quam poſcebant,denegaret, ſalutari eos ope deſtituiſſe crederetur. Verùm ipſi hoc Regis ſingulare beneficium,ſicut & olim alia, parvi pendentes, in veteri ſuperſtitione, quod frequens experientia ſatis oſtendit,pertinaciter remanſerunt.

Hebræis impunitas præteritorum conceditur.

In

8 In Orientali plaga, hoc tempore memorabiles victoriæ reportatæ; In quibus, ne omnes præteream, locum non mediocrem habet celebris illa, in qua Andreas Furtadus de Mendoça illustrissimus Dux famosum tyrannum Cunhalem, qui multa Lusitanis detrimenta, & nobilium cædes intulerat, superavit, cepit, duxit Goam captivum; Vbi de Proregis sententia theatro publico scelerum suorum pœnas capite luit. Misit prætereà Rex in eandem Orientalem plagam validas sæpè classes felici tempore. Nam, cùm aliquoties India multis undique hostibus quateretur, hominum, ac nummorum susceptо ex Lusitania præsidio, non solùm facilè respirabat, verùm elata hostium colla jugo debito, & pridem cognito feliciter iterum subjiciebat. Testes huius felicitatis Batavi, qui cùm Malacam subitò, ac graviter obsiderent, missa repentè Goa subsidiaria classe, non solùm obsidione ipsa, sed & vita etiam cedere sunt coacti. His, atque alijs de Philippo cognitis, magnus Sophi Persidis Imperator legationem ad eum misit, ut in Turcam se vellet communem utriusque hostem obarmate, deque alijs ad Christianam rem, & Hispaniæ gloriam spectantibus cogitare, quæ ipse, & amicè monebat, & feliciter præstiturum se fore spondebat. Missa alia legatione, respondit Philippus; cuius successum, & finem, quem optimum speramus, nullum huc usque indè acceptis nuncijs ignoramus.

In India à Furtado Cunalius superatur.

Perse legatio ad Philippum.

9 Sub id tempus à Congi Rege, cujus Imperij fines Hispaniam magnitudine excedunt, duo missi sunt primariæ nobilitatis legati; Petrus ad Philippum II. Regem Lusitaniæ; Antonius ad Summum Paulum V. destinatus. Pontifex antequam legatum admitteret, scire voluit quid afferret in mandatis, ut inde decerneret, quo apparatu esset excepturus. Cùm verò libellus hæc summatim continens eidem esset oblatus, quo Regis illius consilia, ac Religionis promovendæ vota aperiebantur, in hæc verba prorupit: Neque Magnus Constantinus legationem institueret Christianis cœptis, & studijs pleniorem. Romam igi-

Congi Regis legatio.

tur Antonium accerſivit, hominem fuſco colore, ſed animo candido, & ingenio admodum expedito, Latinè, ac Luſitanè ſcientem, quiq́ue in tractandis negotijs adeò expromptus, & verſatilis erat, ut omnibus quibus cum frequentiùs agebat, eſſet admirationi. Romam contendens in morbum incidit, & à Summo Pontifice iuſſus eſt honorentiſsimè excipi: atque in ipſius palatium illatus lectum habuit eo loco, quo poſſet ab ipſo Pontifice ſæpiùs inviſi. Excellentię titulo à Pontifice, & illius iuſſu ab alijs donatus; & ab eodem non raro cibus in os languentis ingeſtus, & potus inſtillatus. Mortem appetijt ſumma voluptate perfuſus, quod in ipſo Eccleſię capite finem vitæ feciſſet. Cadaver ſumptuosè elatum tota urbe, & ſepulturæ impoſitum ex nigro marmore ſimulachrum, quo Antonius ad vivum exprimebatur. Petrus Olyſipone non exceſsit; cumq́ue & Regis aula, & afflatu procul eſſet, morbo, & miſerijs confectus occubuit, quin tota hęc legatio quidquam profecerit, cùm tamen eſſe poſſet non levis emolumenti ad ſpiritualem illius Regni, & temporalem noſtri quęſtum. Solet enim plerumque cęleſtium bonorum neglectus magnam etiam inferre iacturam illorum, quæ prima mortales putant.

Congi legatus perhumaniter à Paulo V. exceptus.

Duorum legatorum obitus.

In Braſilica Regione gemmarum, argenti, & auri venæ repertæ, parta ex Gallis victoria, qui in faucibus Maranhami fluvij loco peropportuno arcem extruxerat, ex qua tandem Gaſpare de Soſa Prętore, anno 1616. fuerunt expulſi, dux in vincula traditus; cæteris, ut in Galliam remeare poſſent, omnia neceſſaria exhibita; atque ita terra, mariq́ue alienis hominibus libera tota illa Provincia, quę propter tranquillum portum, capacem fluvium, ſolum fertile, ſalubre cœlum, multis aliis eiuſdem plagæ iure merito antefertur. Ferunt hoc eodem anno non longè à Maranhamo Amazones inventas, fœminas bellatrices, belli fortes, domi induſtrias à viris, quos à pueris à ſe ablegant, & certo tantum anni tempore vocant, omninò ſeiunctas. Quanquam autem Philippi tempore Batavi, Britanniq́ue pyratę, duas onerarias naves Indicas ceperint, alteram apud

Res Braſilicæ

Amazones ad Maranhanum.

Inſulam

Insulam D. Helenæ, propè Lusitaniam alterem; in utroque tamen Oceano eorumdem pyratarum, aliorumque hostium, multæ naves magna sæpè onustæ præda à nostris fuêre ducibus strenuè captę.

Anno 1596. naves aliquot pyratarum Argelensium, & Maurorum Hispanienſium, qui dolentes nuper se Hispania exactos, omnia infesta reddunt, Duce quodam Christianæ Fidei desertore nato in Insula S. Mariæ (quæ una est ex Tertiis) in eandem irruperunt, & quidquid erat pretiosum cum ducentis captiuis avexerunt. Putatur iustè hoc supplicium fuisse à Deo irrogatum, quòd gens illa præter Insulę nomen nihil sancti haberet, nec pensi duceret nefaria in gradibus prohibitis matrimonia miscere. Cumq; incolę nec numero, nec viribus impares oppugnatoribus viderentur, à Deo deserti nuda omnia, & facilia hosti reliquerunt. Hanc miseriam Rex Catholicus levare cõnixus est propriis sumptibus omnes à servitute redimens. Ex iis multi iam in Lusitaniam redière, alii citò venturi expectantur, & diligenter conquiruntur.

Insula S. Mariæ à Mauris capitur, multis in servitutem adactis.

11 Augusto anni insequentis iidem pyratæ superiori præda inescati, in Insulam Portus sancti appulerunt, cuius incolæ, cùm in præraptum, & propè inaccessum montis cacumen profugissent, & commeatibus essẽt instructi, nihil damni ab hostibus sunt perpessi, nec perpeterentur, nisi Mauri perfidia expugnarent, quos ferro non poterant. Candidum enim vexillum prætendentes aliquos illexêre, & quasi de fœderibus firmandis acturi centum obsides in naves induxerunt ex fortissimis, qui cæteros præsidio firmabant, eorumque ducem promissis onerantes in totam deindè Insulã licenter sunt egressi, ex qua ultrà mille captivos abduxerunt, reliquis tantùm viginti, qui in spelea densissima, & abstrusas speluncas penetrarunt. Cur ita in miseros mortales sæviatur, norit ille, cuius iustitia æquior non est in beneficijs, quę confert, quàm in supplicijs, quæ permittit. Insulani enim sæpiùs aliorum pyratarum impetum eluserant, & duobus diebus, quibus cum hoste sunt congressi, ostendit

Portus Sancti insula ab ijsdem pyratis diripitur.

oſtendit Deus, poſſe ſe, ſi vellet, victoriam in eoſdem deflectere, cùm & fœminæ viriliter propugnaverint. Mira quædam ſupra naturæ ordinem in illa obſidione contigiſſe narratur, quibus ſuperſedeo, quod non ſint perfectè explorata.

Leges in Ordinem digeruntur.

Dum hęc atque alia per ſuos nulla non orbis parte, terra, 12
mariſque Philippus operabatur, ipſe Regni directioni, & pietati curas animi impendebat. Ergò antiquas Luſitaniæ leges inſtauravit, diſperſaſque per diverſos aliquot, parvoſque libellos in maximum digeſsit, quod negotium publicæ utilitatis plenum pater eius intenderat, neque verò omninò ad exitum perduxerat. Et quoniam à quinque gubernatoribus Regnum admodum difficilè curabatur, uni Proregi totam adminiſtrationem commendavit. Auxit præterea ijs, qui ſacræ Inquiſitioni

Præter. Luſitaniæ imponitur.

deſerviebant ex reditibus Regijs ſtipendia, & miniſtrorum numerum, ne illorum defectu negotia Fidei, cuius amore flagrat, remiſsiùs agerentur. Ad hæc validiſsimam claſſem per Italiæ portus cogi præcepit, qua repentè Cæſaream, Iubæ quondam Regiam (nunc Argel dicitur) invecta cordi erat Mahometi cultore profligare, quanquam Deo aliter imperante, longè diverſum exitum res habuerit. Catholicis in Hyberniam pro vera & Romana fide in Britannos pugnantibus, auxilia miſit, liquidè monſtrans ingentem magni pectoris, & animi ardorem non uno ſolùm claudi, quanvis lato imperio, aut alijs, quàm terræ finibus terminari.

Auri argentique venæ in Manomotapa.

In Regno Manomotapę ad extremam AEthiopiam ver- 13
ſus Indos, multæ ſunt auri, argentique ſecturæ, omnium quas ullavidit ętas, laudatiſsimæ. Ad eas Luſitanæ ditioni adjungendas, peritiſsimi Duces, & potentiſsimi exercitus à noſtris ſępè Regibus ornati re infecta redierunt, vel Barbarorum fraudibus, vel veneno cibis attemperato Maurorum veneficorum ſuaſu, occubuere. Tantam gloriam, & quæſtum Deus ſervaverat Philippo II. cuius imperio Cuama flumen, qua illuc eſt aditus, multis, & validis arcibus frequens reddi-

tum, & ipſis jam venis impoſitum munitiſsimum propugnaculum

culum è quibus argenteæ in centenas, aureę in totidem leucas extenduntur. Rudes utriusque metalli cespites indè in Lusitaniam invecti, & fusorijs officinis liquati, & expurgati, spem immensi commodi attulerunt, si arces justo milite, & vicina oppida necessarijs artificibus instruantur.

14 Quamvis ad Christianam Religionem ubique disseminandam & firmandam ij thesauri validissimi esse possint, venas alias ditiores intra ipsos Lusitaniæ fines Deus Philippo reseravit. Nam anno 1612. octavo Kalendas Iunias Conimbricæ D. Elisabethæ cadaver incorruptum vultu, & colore adeò vivaci, & recenti repertum est, ac si tunc primùm sepulchro illatum foret; cùm in eo totos ducentos, septuaginta sex annos jacuisset. Deindè anno millesimo, sexcentesimo, decimo septimo, septimo Idus Augusti Aroquę illibatum apparuit corpus Mafaldę: nec multò pòst Therasię Lorvanij. Vtraque patrem habuit Sancium primum, Regem Lusitaniæ secundum. Quæ adeò breviter perstringo, quia de duabus posterioribus egi latiùs in vita parentis. Anacephalæosi tertia, de Elisabetha latissimè in octava, quam totam eidem consecravi.

Incorrupta trium fœminarum ex stirpe regia cadavera reperiuntur.

15 Duxit Philippus Margaritam Austriacam Caroli Archiducis filiam, naturæ, cæliąue dotibus excellentem fœminam, prole felicem, non partu. Nam cùm ex ea liberos suscepisset, Annam Mauritiam; Mariam, cujus ortus, & obitus parùm distarunt; Principem Philippum Aprili mense anni supra millesimum sexcentesimi quinti; Carolum, Ferdinandum, Margaritam, aliam Mariam, ad extremum Alphonsum enixa, Rachelis obitum, cujus ad exemplum vixerat, fuit sequuta; quo populorum dolore ipsi adhuc madentes oculi attestantur, ipsa desideria, & gemitus, queis amissum virtutis exemplum, boni communis appetentiam, dilatandæ Fidei amorem etiam nunc omnes probi jure suspirant; Et quanquam illa moriens Rachel extitit, Alphonsus Benjamin non fuit, qui non longè à matris obitu raptus, & suorum, qui in lacrymas erant superstites, unicum solamen ademit. Anna Mauricia Ludovico nupsit Galliæ

Margaritæ Austriaca Philippi uxor & liberi.

Margaritæ immaturus obitus.

Philippi filio Ludovico XIII. Galliæ Regi data.

liæ Regi hujus nominis XIII. Matrimonium Burgis 15. Octobris anni milleſimi ſexcenteſimi decimi quinti per legatos celebratum. Quo item die per procuratores Philippus Hiſpaniæ Princeps Eliſabetham Borbon jam ejuſdem Ludouici ſororem duxit Burdigalam; Quinto die Novembr. ejuſdem anni utrique marito uxores hinc indè traditæ, in quam rem Ludouicus ipſe cum matre Regina Burdigalam venit; Philippus Fontem Raviam: ibiq; omnia magno utriuſq; partis conſenſu, magna gloria (quod in ſuam Deus ſecundet) fuêre peracta.

Philippi Principis nuptiæ.

Annæ confecto matrimonio Margarita ſoror ad nuptias agni nondum peracto ſeptennio vocata eſt, Rege præ deſiderio ingemiſcente eripi ſibi tam citò tam charum pignus, quo Margaritæ uxoris, quam filia non ſolùm nomine, ſed ore, ac virtutibus referebat, juſta deſideria ſolebat, ſi non omninò fallere, ſaltem aliqua ex parte temperare. Quoniam verò Regina inter alia pietatis officia, & magnificentiæ opera teſtamento legavit, ut ex ſuo Mundo muliebri Patribus Societatis IESV Salmanticæ Collegium extrueretur, ipſe non ſolùm fautor, ſed operis cum illa auctor haberi voluit; jamq; vectigalia, & reditus, partemque ædificij eò perduxit; facilè ut appareat, ipſum Luſitanorum Regem erga Societatem animos induiſſe, quorum ea fuit in eam propenſio, ut primis quinquaginta annis ab ipſius in urbe ortu nullum penitus in tota Luſitana ditione collegium erectum fuerit, cui non ipſe totam, vel ſaltem non mediocrem manum, & impenſas admoverit. 16

Margaritæ filiolæ interitus.

Margaritæ Salmanticæ Collegium Societatis fundat.

Illud ultimo addiderim, quod Catholici Philippi Religionem, & in beatiſsimam cœlitum Reginam Regiam pietatem omnibus ſatis notam, ultimo prodidit. Toti Hiſpaniæ intemeratam Deiparę ſanctimoniam tueri adeò ſemper cordi fuit, ut nulli unquam genti cura potior extiterit; quem à primis naſcentis Eccleſiæ cunabulis quaſi hæreditariò à majoribus acceptum, & innumeris almæ Virginis beneficijs conteſtatum pertinaciter ſemper animum retinuimus. Recens igitur levi de cauſa, ut plerumque etiam in maximis rebus uſu ſolet evenire. 17

Hiſpanorum erga B. Virginem pietas.

ea in omnium animos, cœlitus, ut existimo, mens, & pietas pervasit, ut etiam rudes, etiam pueri balbutientes, & vix Christianæ Fidei rudimentorum periti, & publicis sermonibus, atque trivialibus cantilenis, & privatis conventibus ab omnis originalis maculæ labe purissimum Deiparæ conceptum immunem fuisse profiteantur. Tantæ pietati non modò favit, sed ducem etiam se, ac patronum Rex præstitit, missis ad Summum Christi Vicarium legatis, qui suis verbis enixè obtestarentur, ut tanquam indubitatum Fidei dogma id Catholicis omnibus amplectendum declararet, quod jam ex parte, missis à Summo Pontifice literis, quibus oppositum populo in concionibus proponi, aut publicis in disputationibus defendi severissimè interdicitur, magna omnium lætitia & publico populorum plausu, factum gratulamur; quæ pietatis desideria quantum communis hostis evertere conatus sit, illud mihi satis indicat, quod in Anglia ex pestilentiæ cathedra originis labe infectam fuisse Deiparam hoc ipso tempore promulgarit. Adeò Catholici Regis animus; vel in ijs, quę indubitata adhuc apud plurimos non statuuntur, in pietatem, & sanctissimæ Virginis obsequium propendet; & ne impietati Religio cedere videatur, sedulò à Pontifice impetrare nititur, ut nulli Catholico hac in re Summæ Dei parentis puritati, & absolutissimæ sanctimoniæ detrahere, integrum aut liberum sit.

Philippus à summo Pontifice contendit, ut Virgo sine Originali peccato concepta teneatur.

Cum Anglicanis sentiunt qui Virginem Originali peccato contaminatam certant.

Sed pietatis cura numquam animam ejus à bellicis expeditionibus ita auertit, vt illas formidaret; sed æquitatis ratione habitâ, quam imperandi cupidine eas suscepit. Cujus rei locuples nuper exemplũ Italia dedit. turba in illa erant, ob Montis Ferratensem ditionem, quam Sabaudię Dux armis sibi vindicabat, Philippus rectè tenacissimus, nullis affinitatis vinculis permotus, Mantuani Ducis causſam suscipit. Sabaudium Vercellis post acrem obsidionem alijsque oppidis exuit, & cum vniuersa Pedemontana regione illum mulctare posset, Italiæ quietem prætulit, & capta loca regia liberalitate restituit; rarò corruptissimi hujus æui exemplo, quo per fas aut nefas impe-

rij ſui limites quiſque dilatare ſatagit. quod ſi exemplum hoc in pectus ſuum dimiſiſſet Fredericus Comes Palatinus, non arderet nunc Germania domeſtico bello, non lugeret tot hominum millia cæſa, tot deuaſtatas regiones. is ſiquidem prauæ regnandi libidine incitatus, Bohemiæ regnum Ferdinando Imperatori perduellium conſpiratione eripuit. Sed Philippus tantam injuriam familiæ Auſtriacæ illatam non diſſimulat. Victricia arma in Germaniam vertit, Palatinum profligat, Bohemiam, Morauiam, Sileciam, Imperatori reſtituit, & Palatini auitas ditiones occupat, Conjuratorum Principum vires diſſoluit, & Eccleſiæ impendentem ab Hæreticis tempeſtatem auertit. Sed Reipublicæ Chriſtianæ commodis inuigilanti, mors immatura interuenit, Pridie Kal. Aprilis anno Chriſtiano M. DC. XXI. qui vt ſumma ſemper religione vixit, ita etiam religioſiſsimè inter Sanctorum miniſtros & ſalutares voces ſpiritum Deo reddidit ætatis ſuæ XLIII.

Philippi ſtatura. Erat Philippi Majeſtas facilis comi ac jucunda præſentia 18 amabilis, flaui crines, glauci oculi, craſſum os, rubrum ſuauiter, corpus apta compoſitione decorum, non nimis exile, aliquantulum paruum.

Ad

Ad Philippum III.

Fortuna & pietas certant, Rex maxime, quænam
Sit magis in titulos officiosa tuos
Sors memorat titulos, memorat regna addita regnis,
Bellaq; fœlicitam bene parta manu.
Enumerat pietas animi ornamenta, fauorés
Siue tuos Mauors, siue Minerua tuos.
Pectora tam mirus exornat honoribus, vt sint
Quæcunque Augusto dona minora sinu.
Vincis Alexandrum donis, grauitate Catonem,
Virtute Annibalem, relligione Numam.
Non homines solùm ditant tua dona, sed ipsos
Dona tenent superos, si tamen illa tenent.
Quid referam Augustis cumularia altaria donis?
Quid referam Augusta templa dicata manu?
Magna etenim fortuna dedit, maiora profectò
Dona tamen pietas fundit vtraque manu.
Fortuna in terris, pietas dominatur in astris
Maior erit, quanto est sydere terra minor.



PHILIPPVS PORTVGALLIAE REX XX. ETC.

PHILIPPVS IV.

LVSITANIÆ REX XX.

HAC augusti oris specie, & forma imperio digna Philippus IV. Hispaniarum, Lusitaniæ verò III. Rex conspicitur, is octavo mensis Aprilis anno M.DC.V. in lucem prodijt, & defuncto patre Regni habenas ætatis anno XVI. susceptit, tanto populi applausu, vt Deus ex machina videretur descendisse, qui accisis Hispaniæ rebus præsentaneam opem ferret; nec immeritò quidem, tot enim prudentiæ signa in tenella hac ætate, & lætissimo regni ejus exordio eluxerunt, vt augurari liceat non defuturam illi postquam annis adoleuerit Philippi patris bonitatem, aut Philippi II. prudentiam, vel Caroli V. summam fœlicitatem quidquid enim ad regnorum suorum quietem, & ornamentum prouideri potuit, id omne prudentissimorum virorum consilio, statutum fuit. tales enim sibi ad ministros legit, qui salutaribus monitis fluxam ejus ætatem stabiliant, apud quos nihil venale, nihil ambitioni peruium, incorrupti enim consiliarij maximum boni imperij instrumentum. sospitent te pia numina, magne Rex, & multos annos incolumen seruent, vt rempublicam ijsdem consilijs geras quibus illam successisti, ita populis tuis fœliciſsimum statum, tibique immortalem gloriam conciliabis.

Oratio habita Philippo principi Vladislaus rog. 522 & seq. 527.

Ad Philippum IV. Lusitaniæ Regem.

DElicias præfert tua frons, tua mitis imago
Aemula sideribus lumina, labra, genæ:
Insperſæ super ora niues, quas inficit ostrum:
Grata supercilii gratia, lætus honor.
Mellia vix dulci quæ pectore funditur, vndant
Vnde magis siculis dulcia verba faues.
Gratius ingenium quam nectar dulce, liquorq;
Ambrosiæ, diuûm qui cibus esse solet.
Talem te mitis finxit clementia, qualem,
Supplicii timidus te reus esse cupit.

Quæcunque in summo poscuntur Principe dotes
Ars, natura tibi, tum Deus ipse dedit.
Plus in te haud posco tantum desidero Princeps
Tot bona sint populis & diuturna tuis.

QVOS SINGVLI REGES CREAVERINT DVCES, COMITES ET MARCHIONES.

SANCIVS I.

Comitem creavit, Mendum Souſanum Alphonſi Henricij ex notha filia Theraſia, aut, ut alij malunt, Vrraca pronepotem, Gondiçali à Souſa, & Vrracæ Sanciæ filium; à quo fonte illuſtriſsima Souſarum familia dimanat.

ALPHONSVS III.

Notham filiam Eleonoram Portugallenſem nuptui tradidit Garciæ à Souſa ſummo Dynaſtæ, quem Comitis dignitate amplificavit.

DIONYSIVS.

Petrum, qui de nobilitate Luſitaniæ librum edidit, & Alphonſum Sancium, quos extra legitimum thorum filios genuerat, Comites inſtituit, illum 1. Barcellorum, hunc 2. Albuquerquij.

1. *Barcelles*
2. *Albuquerque.*

Martinum Gilium à Souſa Anteſignani, ſeu Vexilliferi majoris ornamenta cohoneſtavit.

PETRVS.

Comitem Barcellorum dixit Ioannem Alphonſum Tellium ſibi acceptiſsimum Equitem, fratrem Martini Alphonſi Tellij, cujus poſteà filiam Eleonoram Rex Fernandus duxit uxorem.

FERNANDVS.

Gondiçalo Tellio Reginæ Eleonoræ fratri dedit comitatum 1. Neivæ, & 2. Fariæ, Henrico Emmanueli eorumdem germano, 3. Ceæ, & 4. Cintriæ.

1. *Neivæ.*
2. *Faria.*
3. *Ceæ*
4. *Cintria.*

Ioannem Fernandium Anderium, 5. Ourenij Comitem nominavit.

5. *Ourem.*

6. Vianæ,

6 Vianę, Ioannem Alphonſum Tellium Ioannis Alphonſi Barcellenſis Comitis filium, Petri Meneſij primi Septę Ducis, & Vianenſis Comitis, ac domus Villę Regalis parentem. 6 *Viana do Caminha.*

7 Arrayolenſem Comitem nuncupavit, Alvarum Pirium à Caſtro, & Luſitaniæ Comitem ſtabilem, ſummumque Olyſiponenſis arcis cuſtodem (vulgò dicitur Alcayde mor.) Hic Brigantinæ domus caput eſt; ab illo enim ſanguinem ſumpſit Ioanna à Caſtro Ferdinandi II. Ducis Brigantini uxor. 7 *Arrayolos.*

Mariſcalis dignitas ab eodem Rege attributa fuit Gondiçalo Vazæo Azebedio, Franciſci Pireſij Prioris cœnobij S. Crucis Conimbricenſis filio.

IOANNES I.

Principes Petrus, & Henricus à parente nominati ſunt Duces; ille 1 Conimbricę, hic 2 Viſei. 1 *Coimbræ.* 2 *Viſeu.*

Nunium Alvares Pereriam Regni Comitem ſtabilem, Comitem Arrayolenſem, Ourenſem, & Barcellenſem inſtituit.

Alphonſum ex pellice filium Rex ipſe, Nonij filiæ matrimonio conjunctum, Nonio id ultrò concedente, Barcellorum Comitem creavit, Alphonſumque ex eodem nepotem, Comitem Ourenſem, & 3 Valentię Marchionem; quibus titulis (nam immaturè deceſsit) & Arrayolenſi, ſucceſsit ipſius frater Ferdinandus. 3 *Valencæ do Minho.* 4 *Villa Real.*

Petrus Meneſius Comes 4 Villæ Regalis inſtitutus.

EDVARDVS.

Principem Ferdinandum, legitimam prolem, Viſei Ducem creavit, Ordinum Chriſti, & S. Iacobi Magiſtrum, ac Regni Comitem ſtabilem.

Patri Ferdinando ultra 1 Pacis Iulię Ducatum, ſucceſsit in Viſenſi, & Ordinum Magiſterio Ioannes natu major. 1 *Beiæ.*

Ioannis vita functi titulos frater ipſius Iacobus obtinuit, unum ſi demas, S. Iacobi Magiſterium, quod collatum fuit Principi Ioanni, qui poſteà Rex fuit, ejus nominis II.

Princeps etiam Emanüël quarto loco editus (nam tertius Eduardus intempestivo funere elatus est) Pacis Iuliæ Ducem egit. Is fuit posteà Rex fortunatissimus Emanuël.

Extincto Ferdinando Villæ Regalis Comite, datus titulus Ferdinando Noroniæ ipsius Genero.

ALPHONSVS V.

Petro Principe Regnum administrante vice Alphonsi nepotis ex fratre, adhuc impuberis anno 1442. primus 1 Brigantij Dux vocatus fuit Alphonsus Comes Barcellensis, cùm Eduardus Brigantij Dynasta, nullo hærede relicto, obijsset.

1 Braganca

Eidem posteà Rex Alphonsus addidit 2 Guimaranium; & urbem 3 Portuensem adjungere destinabat, nisi cives obstinatè detrectarent.

2 Guimaraes.
3 Porto.

Alphonsum Brigantini Ducis filium, cùm Imperatricem Eleonoram ad Federicum deducturus esset, Comitem Ourenij & Valentiæ Marchionem instituit anno 1450. Hic pater fuit Alphonsi Episcopi Eborensis, à quo fluxêre proceres Vimiosenses.

Vivente Alphonso, primo Brigantij Duce, obijt Alphonsus filius, de quo proximè locuti sumus, Nabantij, anno 1460. & parenti succesit natu minor Ferdinandus, is qui à Ioanne I. Ourenij, & Arrayolorum Comes, Valentiæque Marchio fuerat creatus.

Hujus Ferdinandi filius senior Ferdinandus Comes Guimaranij, & Marchio 3 Villa Vicosæ creatus est à Rege ex Africa, & expugnatione Alcaceris 4 Quibiri redeunte. Cùm verò Ferdinandus idem vivo parente, Isabellam Ferdinandi Principis filiam uxorem duxit, eiusdem Guimaranij Dux fuit appellatus.

3 Villa Vicosa.
4 Alcacer Quibir.

Huius Ferdinandi, tertij iam Ducis Brigantini filium Ioannem natu maiorem evexit in Comitem stabilem, & Ducem 5 Montis maioris novi.

5 Monte mor.o novo

Secundum eiusdem Ducis filium Alphonsum, Comitem

6 Faren-

6 Farensem inauguravit, à quo domus Odimirensis exordium cepit. 6 Faro.

Fratri suo Principi Ferdinando, qui Magni Regis Emanuëlis pater fuit, Pacem Iuliam, 7 Serpam, & 8 Mauram attribuit. 7 Serpa. 8 Moura.

Consanguineum suum Alphonsum Vasconcellium Alphonsi primi Ducis Brigantini pronepotem, Petri Regis abnepotẽ, 9 Penelæ Comitem creavit Olysipone anno 1471. 9 Penela.

Henrico Menesio Eduardi Menesij Comiti Vianensi Vianã abstulit, sed postea Valentiæ, & 10 Loulei Comitem instituit. 10 Loule.

Ioannem Coutiniũ 11 Marialuæ comitem creavit, & postea quòd nullos liberos reliquerit, Franciscum ipsius fratrem. 11 Marialva.

Alvarum Castrium, qui sibi primus erat à cubiculo, Comitem 12 Montis Sancti. 12 Monsancto.

Lupum Albuquercium inter cubicularios etiam maximum, Comitem 13 Penamajoris. 13 Penamaior.

Petrum Menesium Comitem 14 Cantanhedij. 14 Cantanhele.

Petrum Alvarum Sotomajorem, Comitem 15 Caminiæ. 15 Caminha.

Lupum Almeidam, Comitem 16 Abrantensem. 16 Abrantes.

Alvarum Gondiçalum Ataidium, Comitem 17 Atouguiæ. 17 Atouguia.

Ferdinandum Noroniæ, Comitem 18 Odemiræ. 18 Odemira.

Rodericum Vasæum Pereriam, Comitem Feriæ. 19 Feira.

Ioannem Galvanum Episcopũ Conimbricensem, Comitẽ 20 Arganilensem, qui titulus immobilis est in ijs Episcopis. 20 Arganil

Rodericum Melium maximum Regis custodem, Comitem 21 Oliventiæ. 21 Oliventça.

Leonelem à Limia, Vicecomitem 22 Villæ Novæ da Cerveira, & summum custodem 23 Pontis limiæ. Huius filium Ioannem à Limia Rex Emanuël Vicecomitem, & summum custodem Pontis limiæ. 22 Villa Nova de Cerveira. 23 Ponte de lima

Ioannem Sylverium Baronem 24 Alvitensem. Hic legatus Eleonoram deduxit ad Impsratorem Federicum, à quo Romę ad D. Petri equestribus ornamentis auctoratus fuit juxta effigiem vultus Christi Domini, quæ dici solet, Veronica. 24 Alvito.

Petrum Vasæum Melium, Comitem 25 Atalayæ. 25 Atalaya

Emmanuelem Principi s Ferdinandi filium, Ducem Pacis Iulię creavit.

Georgium filium ſuum nothum ex Anna Mendocia Ducem Conimbricæ, Dominum 1 Turrium Novarum,& 2 Averij; S. Iacobi, atque 3 Aviſij Magiſtrum, hæredemque omnium, quæ fuerant à Petro Principe relicta.

1 Torres novas.
2 Aveiro
3 Avis,

Petrum Meneſium, qui apud Septam Ducis officio fungebatur, inſtituit ex Comite Marchionem Villæ Regalis, & Comitem Ourenij anno 1489.

Vaſcum Coutinium Comitem 4 Borbæ, cuius poſteri nunc Comites ſunt 5 Redondi.

4 Borba.
5 Redondo.

EMMANVEL.

Principem Ludouicum filium, Ducem Pacis Iuliæ, Dominum Septæ, Mauræ, 1 Covillanij, 2 Almadæ, & 3 Cratenſis Prioratus adminiſtrationem creavit.

1 Covilhaã.
2 Almada.
3 Crato.

Alphonſum fratris ſui Iacobi Ducis nothum, Ducem Viſei, & Regni Comitem ſtabilem.

Iacobo (vulgò Dom Iaimes) Ducis Ferdinandi cæſi filia, ab exilio reſtituto publicata paterna jura reddidit, & Brigantini Ducis titulum.

Titulos omnes Principi Georgio, Duci Conimbricenſi à patre Ioanne II. conceſſos confirmavit.

Ejuſdem Georgij hæredem Ioannem Lencaſtrium inſtituit Marchionem Turrium Novarum.

Filios natu maximos Marchionum Villęregalenſium Comites 4 Alcoutini.

4 Alcoutini

Sancio Noroniæ avitam Odemirenſis Comitis dignitatem reddidit.

Petrum à Souſa Ioannis Meneſij ſucceſſorem creavit, Comitem 5 Prati.

5 Prado.

Iacobum Sylvium Pædagogum ſuum Comitem 6 Ameę.

6 Portalegre

Ioannem Meneſium maximum œconomnm, Comitem 7 Tarouęæ.

7 Tarouca

Vaſcum

Vaſcum Gamam Comitem 8 Vidigueriæ,& maris Indici Almirantum. 8 *Vidigueira.*

Martinum Albicaſtrium Comitem 9 Villæ novæ Portimanenſis. 9 *Villa nova de Portimaon.*

Rodericum Melium, Comitem primò 10 Tentugalis,deinde Marchionem 11 Ferreriæ. 10 *Tentugal.* 11 *Ferreira*

Alphonſum Portugallenſem Comitem 12 Vimioſi. 12 *Vimioſo*

Antonium Noroniam,Comitem 13 Linarienſem. 13 *Linhares.*

Didacum Pereriam Comitem Feriæ.

IOANNES III.

Eduardum Eduardi Principis filium, Ducem Guimaranij creavit.

Theodoſium Brigantini Ducis filium,Ducem Barcelleſem.

Ioannem Lencaſtrium Georgij Principis,& Ducis Conimbricenſis filium, qui iam erat Marchio Novarum Turrium, Ducem Averij.

Ludouicum Sylveriam,Comitem 1 Sorteliæ. 1 *Sortelha.*

Antonium Attaidium Comitem 2 Caſtaranię. 2 *Caſtanheira.*

SEBASTIANVS

Simonem Gondiçalum à Camara,Calhetæ Comitē creavit.

Ludouico Attaidio Atouguiæ Comitatum redonavit.

Didaco Sylveriæ Comitatum Sorteliæ.

HENRICVS

Duo Comites, quos inſtituere decreverat,exitum non ſunt aſſecuti.

PHILIPPVS I.

Franciſcum de Sa creavit Comitem 1 Matoſinij, & 2 Peñaguionis. 1 *Matoſinhos.* 2 *Penaguida*

Ferdinandum Caſtrium,Comitem 3 Baſti 3 *Baſto.*

Franciſcum Maſcareniam,Comitem 4 VillęHortenſis,qui nunc dicitur 5 S.Crucis, 4 *Villa d'horta.* 5 *S. Cruz.*

Eduardum Albicaſtrium,Comitem 6 Sabugalis. 6 *Sabugal.*

Petrum de Alcaçoua,Comitem 7 Igætaniæ. 7 *Idanha.*

Chriſtophorum à Maura,Comitem 8 Caſtelli Roderici. 8 *Caſtel Rodrigo.*

Franciſcum Emmanuelem,Comitem 9 Atalayę. 9 *Atalaya.*

Rodericum Gondiçalum à Camara, Comtiem 10 Villæ Francæ.

10 *Villa Franca.*

Marchioni Villę regalis titulũ Ducis ejuſdem oppidi adjecit.

In Ioanne Gondiçalo Ataidio Atouguiæ Comitatum ſuſcitavit.

In Emanuële Albicaſtrio, Villæ Novæ.

In Ferdinando Noronia, Linarij.

In Ioanne Pereria, Feriæ.

In Ludouico Meneſio, Taroucæ.

In Antonio Caſtrio, Montis ſancti.

Heredem Ducis Averij jam Marchionem Turrium Novarum, Ducem earumdem nuncupavit.

PHILIPPVS II.

Chriſtophorum à Maura, Caſtelli Roderici anteà Comitem, creavit Marchionem.

Emanuëlem Cortereal ipſius Chriſtophori filium, Comitem 1 Lumiarenſem.

1 *Lumiares*

Ludouicum Henriques, Comitem 2 Villæ floris.

2 *Villafrol.*

Rodericum Mendeſium Vaſconcellium, Comitem 3 Caſtelli melioris.

3 *Caſtel Melhor.*

Henricum à Souſa, Comitem 4 Mirandæ.

4 *Miranda do Corvo.*

Ludouicum Alvarum à Tavora, Comitem 5 S. Ioannis à Piſcaria.

5 *S. Ioaõ da Peſqueira.*

Franciſcum à Faro, Comitem 6 Vimeiri.

6 *Vimieiro.*

Stephanum à Faro, Comitem 7 S. Ludouici.

7 *S. Luis.*

Didacum Sylvium, Marchionem 8 Ierabricæ.

8 *Alemquer*

Ioannem Borgiam, Comitem 9 Ficalij.

9 *Ficalho.*

In Ludouico Sylveria, Sorteliæ Comitatum ſuſcitavit.

In Ludouico Portugallenſi, Vimioſi.

In Simone Gondiçalo à Camara, Calhetæ.

In Franciſco de Sa. Penaguionis.

In Petro Meneſio, Cantanhedij.

Quot

Quot nunc, & quorum oppidorum Tituli extent.

DVCES.

De Braganca
De Aueiro
De Barcellos
De Torres novas
De Caminha.

MARCHIONES.

De Villa Real
De Ferreira
De Caſtel Rodrigo
De Alemquer.

COMITES

De Monſanto
De Cantanhede
D' Atouguia
D'Odemira
Da Feira
D' Arganil
De Portalegre
De Tarouca
Da Vidigueira
De Villa nova de Portima.
Do Vimioſo
De linha res
Do Redondo
De ſortelha
Da Caſtanheira
De Penaguiao
Do Baſto.
De ſanta Cruz
Do ſabugal
Da Idanha
D' Atalaya
De Villa franca
De Ficalho
De Lumiares
De Villa frol
De Caſtelmelhor
De Mirandado Corvo
De ſ. Ioao da Peſqueira
Do Vimieiro
De S. luis.

VICECOMES.

De Ponte de Lima.

BARO.

D' Aluito.

DE.

DESCRIPTIO

REGNI LVSITANI, CVM compendio rerum illustrium, quæ in eo visuntur, tàm ad humanum cultum spectantium, quàm ad divinum. Ab eodem Antonio Vasconcellio Societatis IESV Theologo.

POstquam brevi indicavimus, qui Lusitaniæ Reges fuerint, & eorum opera cursim attigimus, quibus Regni sui cæmenta posuêre, evectum exornarunt, & ejus denique fines protendêre, ut in eorum Anacephalæosibus videre est: non abs re fuerit ejusdem aliquam notitiam inculcare, ut Reges qui viderit, Regna simul, quibus illi dederunt jura, in promptu habeat. Cùm verò Lusitani egregijs invadendis facinoribus, quàm scribendis majorem semper navarint operam, non minor fuit majorum oblivio, quàm posterorum jactura, qui utramque experti dolore æquabili deploramus. *Authoris consilium, & totius operis argumentum*

2 Iacet Lusitania ad extremum veluti orbis angulum, adeò exteris hominibus semota pariter, & ignota, ut hoc unum fuerit in causa, cur tam graviter externi Scriptores nostris in rebus scribendis prolapsi fuerint; quare alieni errores me hortantur brevibus Regum compendijs brevissimam nostri Regni descriptionẽ subnectere, rebus subindè illustrioribus subjunctis, sive illę ad fidei antiquitatem, sive ad Regum, populíque pietatem spectent, undè innumera cęli beneficia in nostros homines collata apparebunt. Omnem verò rerum seriem assidua industria exquisivi, antiquiores hujus Regni, & ætatis homines consulendo, quin & optimis ab Scriptoribus colligendo, quæ magis in rem fore existimavi.

Regnum Lusitanum à Summo Pontifice confirmatum.

3 Non desunt externi Historiographi, qui de rebus Lusitanorum agentes liberiùs, quàm par fuerit Christiano (ut Historici partes omittam) aliqua non minimi momenti scripserunt. Alia dum prętereo, illud in fronte hujus operis admonebo, quod aliqui impudenter affirmarunt; Regnum scilicet Lusitanum nulla Pontificis Summi auctoritate, Alphonso Henrico fuisse stabilitum, solumque Orichiensi in prælio à militibus Regem fuisse salutatum, nequeid nomen majori aliquo sanctum jure suos in posteros emanasse. Vt hanc, similemque scriptorum licentiam convincam, Alexandri III. diploma nec verbo imminutum huc transferam, quod in Vlysiponensi archivio publico asservatur.

Diploma Alexandri III.

4 Alexander Episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Alphonso illustri Portugallensium Regi, ejusque hæredibus in perpetuam memoriam. Manifestis probatum, est argumentis, quod per sudores bellicos, & certamina militaria, inimicorum Christiani nominis intrepidus extirpator, & propagator, diligens Fidei Christianę, tanquam bonus filius, & Princeps catholicus multimoda obsequia matri tuæ sacrosanctæ Ecclesiæ impendisti, dignum memoriæ nomen, & exemplum imitabile posteris relinquens; æquum est autem, ut quos ad regimen, & salutem populi ab alto dispensatio cælestis elegit, Apostolica Sedes affectione syncera diligat, & in justis postulationibus studeat efficaciter exaudire. Proinde nos attendentes personam tuam, prudentia ornatam, iustitia præditam, atque ad populi regimen idoneam, eam sub beati Petri, & nostra petitione suscipimus, & Regni Portugallensium cum integritate honoris Regni, & dignitate, quæ ad Reges pertinet, nec non & omnia loca, quæ cum auxilio cælestis gratiæ de Sarracenorum manibus eripueris, in quibus jus sibi non possunt Christiani Principes circumpositi vendicare, Excellentiæ tuæ concedimus, & auctoritate Apostolica confirmamus. Vt autem ad devotionem, & obsequium beati Petri Apostolorum Principis, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ vehementiùs

mentiùs accendaris, hæc ipſa præfatis hæredibus tuis duximus concedenda, eoſque ſuper his, quę conceſſa ſunt, Deo propitio, pro injuncti nobis Apoſtolatus officio defendemus. Tua itaque intererit, fili chariſsime, ita circa honorem, & obſequium matris tuę ſacroſanctę Romanę Eccleſiæ humilem, & devotum exiſtere, & ſic te ipſum in ejus opportunitatibus, & dilatandis Chriſtianæ Fidei finibus exercere, ut de tam devoto, & glorioſo filio Sedes Apoſtolica gratuletur, ut in ejus amore quieſcat. Ad indicium autem, quod præſcriptum Regnum B. Petri juris exiſtat, pro amplioris Reverentiæ argumento ſtatuiſti duas marchas auri annis ſingulis, nobis, noſtriſque ſucceſſoribus perſolvendas, quem utique cenſum ad utilitatem noſtram ſucceſſorum noſtrorum Bracharenſi Archiepiſcopo, qui pro tempore fuerit, tu, & ſucceſſores tui curabitis aſsignare. Decernimus ergò, ut nulli omninò hominum liceat perſonam tuam, aut hæredum tuorum, vel etiam præfatum Regnum temerè perturbare, aut eius poſſeſsiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſeculariſve perſona, ſanè noſtram Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentaverit, ſecundo, tertióve commonita, niſi reatum ſuum digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetua iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſsimo corpore, ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri IESV Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Regno, & Regi ſua jura ſervantibus ſit pax Domini IESV Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æterna pacis inveniant. Amen, Amen, Petrus, Paulus, Alexander Papa III. Ego Alexander Catholicę Eccleſiæ Epiſcopus. Ego Ioannes Preſbyter Cardinalis S. Ioannis & Pauli Eccleſiæ Lamachij. Ego Ioannes presbyter Cardinalis Eccleſiæ S. Anaſtaſiæ. Ego Ioannes presbyter Eccleſiæ S. Marci. Ego Petrus presbyter Car-

dinalis Ecclesiæ sanctæ Susanæ. Ego Viuramensis presbyter cardinalis Ecclesię sancti Stephani in Cęlio monte. Ego Cynthius presbyter Cardinalis Ecclesiæ sanctæ Cecilię. Ego Hugo presbyter Cardinal. Ecclesię S. Clementis. Ego Arduinus presbyter Cardinal. Ecclesiæ S. Crucis in Ierusalem. Ego Matthæus presbyter Cardinal. Ecclesię sancti Marcelli. Ego Hulaldus Ostensis Episcopus. Ego Theodinus Portuentis sanctæ Rufinæ Episcopus. Ego Petrus Tusculan: Episcopus. Ego Henricus Albanensis Episcopus. Ego Bernerus Penitinus Episcopus. Ego Iacinthius Diaconus cardin. sanctæ Mariæ in Cosmedim. Ego Ardicio Diaconus Cardinalis S. Theodori. Ego Haborans Diaconus Cardinal. sanctę Mariæ in Portueri. Ego Camerius Diaconus Cardinalis sancti Georgij ad velum aureum. Ego Bratiatus Diaconus Card. sanctorum Cosmi, & Damiani. Ego Ioannes Diaconus Cardin. sancti Angeli. Ego Chamerius Diaconus sancti Adriani. Ego Matthæus sanctæ Mariæ novæ Diaconus Cardinal. Ego Bernardus sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinal. Dat. Laterani per manum Alberti sanctę Romanę Ecclesię presbyteri Cardinal. & Cancellarij decimo Kal. Iunij, Indict. II. Incarnationis Dominicæ, an. MCLXXIX. Pontific. v. Domini Alexandri Papæ III. an. XX.

Regni Lusitani fines, ac divisio.

Regni fines. 1 Quanvis Lusitanum Regnum majorem, ac potiorem antiquæ Lusitaniæ partem amplectatur, non ijsdem tamen limitibus terminatur; antiqua scilicet Lusitania Aquilonem versus Durio flumine claudebatur; ab Austro & Occidẽte, mari Athlantico, ab Oriente, Ana fluvio, à quo Lineam mente describamus, ab Oreto (quod oppidum Anę imminet) ad Septimancas, sive Pontem Senticum Durio impositum. Nunc Orientem versus non adeò latè extenditur, qua tamen respicit Aquilonem, ex Provincia Tarraconensi octodecim in Gallęciã excurrit leucas, quæ Durium, & Minium fluvios interjacent; ultra

Anam

Anam ex Bœtica fines carpit Serpæ, Aruccitanæ urbis, & Oliventiæ. Itaque modò Lusitani Regni ab Aquilone Minius, & Avus ab Occidente, & Austro Oceanus, adscribit limites; ab Oriente illud partim Ana, partim fines Serpæ, Mauræ, & Oliventiæ ex bœtica partiuntur. A Castella Lusitanum dividit Regnum, quam mente ducimus Lineam, quæ Marvanum, Salvaterram, & Alfayates pervadens, ad Contiam usque recta pertingit. A Legionensi Regno, Aquis flavijs, & Transmontanis finibus sejungitur. Cùm verò Lusitanum Regnum, ut monuimus, adhuc suis cohibeat finibus potiorem Lusitaniæ antiquæ partem, non immeritò scriptores illi nomen istud eo modo indidêre, ut simplici Lusitanię vocabulo Regnum significent Lusitanum.

2 Sex Provincijs, seu Regionibus Lusitania continetur. Primam dicimus Interamnensem; Transmontanam, alteram; tertiam, Beiram; quartam Transtaganam, quæ Tagum, & Anam fluvios interjacens ad Orichium usq; pertingit; quintam Estremaduram (cuius Vlysipo cum primis nota civitas, caput est;) Sexta denique Provincia integrũ Algarbiorũ Regnum obtinet *Lusitaniæ Provinciæ.*

3 Octodecim civatates in his Regionibus numerantur, quarũ tres Archiepiscoporum sedibus sunt insignes; Bracharæ Archipræsul Hispaniarum primatum tenet, cujus Episcopalem in mensam, ut vulgò dicunt, annis singulis, aureorum millia quinquaginta persolvuntur. Eandem Vlysipponensis Archiepiscopus summam accipit; Eborensis ad millia sexaginta. His exceptis, undecim adhuc restant Episcopi; Portuensis annuos in reditus sexdecim habet aureorum millia; Conimbricensis millia quadraginta; Igeditanensis, millia quinque supra viginti; Visensis millia viginti; Pharensis, Algarbiorum in Regno, millia septemdecim; Eluensis millia decem; Colliponensis decem similiter; Amæensis, novem millia; Mirandensis, millia quindecim. Ita ferè Episcoporum reditus se habent, licet pro temporum vicibus aliquando jacturam subeant, vel incremẽtum: ijdem fermè sunt singulis in diœcesibus canonicorum. *Civitates Lusitaniæ.*

Oppida & conventus. 4 Vltrà civitates iſtas ſuperſunt aliæ, Balſa, Lacobriga, Sylues, Pax Iulia, & Brigantium, quæ Epiſcopalibus carent ſedibus. Maiora oppida, quas vulgò dicimus Villas, ſeptendecim ſupra quadringenta numerat Luſitania; Iudiciales conventus, octo, & octoginta ſupra centum, quæ quinque, & ſexcentorum exæquant ſummam, quanvis Authores alij ad ſeptingenta ſint progreſsi. Mitto ſubdiviſiones alias minores, & noſtris hominibus familiares, duodecim enim ſunt conventus alij, quos ſuo nomine Luſitani, Coutos, appellant, quorum dominium eſt penes privatum aliquem ob antiquum Regis beneficium; his ferè ſunt ſimiles quatuor ad huc Iulgados dicimus noſtro nomine; quatuor item alij Honeres audiunt. Innumeri ſunt Pagi civitatibus, atque oppidis ſubjecti, quod vel ex Covillanio quivis poterit conjectare, ſuo namque in conventu aliquot amplectitur ſupra trecentos, & ſexaginta, quorum aliqui ſuo capiti vix colonorum frequentia concedunt.

Iudiciales cuiuſque Provinciæ conventus. 5 Sex ſupradictæ Provinciæ infines adhuc minores, ſive Iudiciales diæceſes (quas Luſitani patrio nomine dicimus Comarcas) dividuntur. Harum quatuor ſuo continet ambitu Interamnenſis; Portuenſem videlicet, Vimarenſem ad Lethes oſtium, Fori denique limicorum. Quatuor item ambit Tranſmontana Mirandenſem, Turris à Mente Corni, Villaregalenſem, Pinhelenſem. Eſtremadura ſex; Vlyſipponenſem, Sclabitanam, Nabantiam, Ierabricanam, Colliponenſem, Cetobrigenſem. Sex item Beira circuit, Conimbricenſem, Igæditanenſem, Lamecenſem, Viſenſem, Averienſem, Albicaſtrenſem. Tranſtagana quinque, Eborenſem, Pacis Iuliæ, Heluienſem, Amæenſem, Eſtremotij. Algarbienſis duas tantum cohibet, Balſenſem videlicet, & Lacobrigenſem.

Regni Luſitani Inſula 6 Dum Regni limites ita divido, Inſulas Luſitaniæ ſceptro ſubditas prætermitto, quæ à continenti Regno tam parum diſtant, ut tribus, aut octo plurimum diebus in ſingulas ſit perfacilis navigatio: videlicet, Materiæ, quas vocant Inſulas, Portus ſancti, Deſertam, & novem Accipittum dictas, quibus annume-

numerantur S. Michaelis, S. Mariæ, Angra, Fayalis, Gratiosa, S. Georgij, à Pico, Florum, Corvi, & plures reliquę à Lusitanis inventę primò; & ab ijsdem cultæ, tanta hominum frequentia, ut omnes si congręges, Regnum aliud amplissimum efficias.

7 Mihi tantum est animus in præsentia agere, quam sint uberes sex illæ Provinciæ Lusitaniæ, in quibus nihil, quod ad humanum spectet victum, desideratur, ut ijs, qui eas lustravêre, notum est; & alijs hoc in opere palam fiet. Fateor, ab exteris Regionibus, magnam singulis annis importari frumenti vim, non ita tamen ætatibus transactis, quum Lusitania ita segetibus abundabat, ut non suis tantum, sed Regnis etiam conterminis posset affatim elargiri: quod, Rege imperante Dionysio, magno agricolarum Mecænate visum est, qui serendis aruis magnam semper impendit curam, publicis beneficis, & Edictis colonorum studia excitando. Dionysij vestigijs institit Ferdinandus Rex, legibus acerrime in eos animaduertens, qui agros iussi ferere, imperium neglexissent. Cum verò cuncta mortalia ruant in peius, agros serendi cura elanguit, & succrescente indies hominum multitudine, frumentum similiter decrevit. *Lusitaniæ frumento indiget alieno.*

8 Non minor item alia frumenti penuriæ extat ratio. Cùm enim Lusitania tot suo imperio Regna, & Insulas armis junxerit, quid mirum si in suas colonias commeatus effundens frumento exhauriatur? singulis enim propè diebus naves farina onustæ solvunt in Provincias vectigales (ut classium mittam assiduos commeatus) in Brasiliam, Capitis viridis Promõtorium, ad Aurifodinam, Insulam D. Thomę Principis, in Angolam quotidie communem veluti mercem, naves ex Lusitania farinam evehunti; neque enim, qui illic degunt Lusitani Regionum frugibus contenti absque nostro frumento vitam alunt; neque ex Guinæa, & reliqua AEthiopia avecta quotidie mancipia parum rei frumentariæ detrahunt, tantus enim illorum est numerus apud Lusitanos, ut oculis tantum videatur fides adhibenda, quorum opera ætati superiori obibant servi ex eadem Lusitania oriundi, & vel hac de causa nunquam *Olim frumento abundatissima.*

Regno

Regno frumentum deerat. Illud non ultimo advertendum, Lusitanos insita animorum sublimitate (quò pluris semper honorem pretio quolibet æstimarunt)in maritimas expeditiones erectos suam deserere patriam, ut apud exteros faciliùs divitias comparent, & honorem; quò fit, ut Regnum suis hominibus vacuum non tantum ex agricultura prouentum afferat. Attamen,nisi cæli obstet inclementia in Transtagana Regione frumenti laudatissimi feracissima, & Scalabitano in arvo, nisi exundans extra ripas effusus Tagus navalibus incommodet, non suis, sed vicinis etiam aliquando Lusitania frumentum præbet, uti sæpiùs experimur. Quod si frumentum ob anni intemperiem deficiat, alium tellus ipsa victum suppeditat, quo tritici annona compensatur; Abundat siquidem castanea,legumine,& totius generis pomo,carne, piscibus,vino,oleo,ac sale, quibus facilè mercibus externi homines frumentum commutant,neque Regnum ad maris oram extensum difficile mari invectis commeatibus reficitur.

Vniuscuiusque Regionis ubertas.

Transtaganeæ regionis ubertas.

1 De Provinciarum Lusitaniæ ubertate singilatim acturus jure suo à Transtagana exordiar, quæ humano victui partem suppeditat præstantiorem. Est, uti diximus, hæc inter reliquas Lusitaniæ Provincias tritico laudatissimo commendabilis, neque aliud tota in Europa colligitur præstantiùs, cum primis quod Eborense profert solum, & illi adjacentes agri ad Pacem Iuliam,Serpam,Mauram,&Otichiensem usque tractum. Quo circa uti Romanæ Reipublicæ horreum antiqui scriptores Siciliam appellarunt, undè Romana civitas alebatur, Regni etiam Lusitani horreum jure dicemus Regionem Transtaganam, indè enim, quod annis singulis asportatur frumentum, Vlysiponem Regni caput, & eius conterminos alit incolas, è quibus Regnum haud mediocre coalescit. Vinum cum primis nobile, & lectissimum abundè profert oleum; Caro indè pinguissima,

guiſsima,& pecudum,& armentorum; Tranſtagani caſei commendatiſsimi;poma,& mitiora,& inter omnia ſucci, & viriditatis tenaciora;ſolum univerſim valdè craſſum,ac pingue: Aliqua continet oppida perilluſtria, & amęna; In hac item provincia pretioſiſsima ſecantur marmora.

Interamnenſis Regio

2 Interamnenſis Regio,ita dicta à duobus Durio,& Minio ămnibus, eam qui claudunt; octodecim longa, lata duodecim tantùm leucas,plurima continet plus admirationis,quàm fidei à legentibus habitatura. Regio tam hominum, quàm rerum omnium, quæ ex terra gignuntur, opulentiſsima; illius medium Archipreſul obtinet Bracharenſis, quem penes Hiſpaniarum primatus(licet adhuc lis indirempta à multo jam tempore cum Toletano pręſule intercedat)ſub illo octingenti fontes ſacri baptiſmatis numerantur: Portuenſis Epiſcopus in Interamnenſi ſimiliter Regione ſacros item fontes numerat ad ſexcentos: has ultra Epiſcopales ſedes, quinque reſtant aliæ, quas Canonicales, ſive Collegiales dicunt Eccleſias. Vltra centum, & triginta Monaſteria tantula viſuntur in provincia, alias ut prætéream magnorum redituum Eccleſias (vulgò dicimus Abbadias)nec non plures alias (Comendas dicunt Hiſpani) quæ ſacræ militiæ hominibus peropulentas impendunt decimas; Harum alias Chriſti milites, & ſancti Ioannis à ſacræ urbis Xenodochio tenent alias, omnes verò perhonorificę ſunt pariter, & ditiſsimæ. Colligit ex hac provincia Rex annos in ſingulos viginti ſupra centum aureorum millia, totidem privati domini ac Dynaſtæ; Neque id mirum videbitur Eccleſiæ reditus ampliſsimos conſideranti; conſtat ſiquidem breviſsimo Regionis ſpatio ultra millionem aureum ſacris hominibus perſolvi. Eſt illud verum, non id tantum ex decimis conſtare, cùm olim potior Regionis pars ultrò ſuis à dominis Eccleſię donata fuerit,in emphyteuſim. Tredecim Divorum corpora Luſitanorũ ſervat; quinq; Maris Oſtijs naves excipit;17. amplectitur munita oppida;totidẽ abſq; muro,prętter duas;quas diximus civitates,Bracharenſem, & Portuenſẽ.

Pontes ducenti hac in provincia visuntur arcubus omnes è lapide quadrato fornicati, viginti quinque fontium millibus perpetuò manantibus aquas saluberrimas subministrat.

3 Est purum hic cœlum adeò, & salubre, & solum mite adeò ob perennes aquarum fontes, ut mirum in modum hominum soboles nutriatur; mulieres ad quinquagesimum usque annum filios edunt, qui cæli, ac solis benignitate fermè incolumes educantur; & ad longissimam senectutem easdem ob causas ætatem agunt. Vnde in qualibet fermè domo maritali ad viginti, & quinque supra liberos invenies; Ex quo innumera hominum coalescit multitudo, ut superiori ætate videre fuit, cùm militaris census ex more per singulas fiebat provincias Lusitaniæ, tunc enim Barcellorum in finibus (oppidum est Interamnense) duobus, & triginta sub signis, armatorum hominum millia septemdecim censa fuêre. Ioannes Barrius juris consultus, & gravissimus Lusitanę Historiæ scriptor, se testem fatetur oculatum, in Oppido Ville Regalis quandam Isabellam Ribeiram agnovisse ejusdem Barrij sacro ex baptismate matrem, quæ superstites sibi filios, nepotes ac pronepotes sexaginta viderat supra centum. Aliud magis à fide videbitur alienum, sed narrantis authoritas dubitandi submovet rationem. Duabus à Brachara milliaribus est oppidulum, quod iuxta nostræ Societatis quidam pater maturi satis consilij, & sapientiæ cùm transiret, senem intuitus, cuius cani longam annorum seriem indicabant, ab eo rogat, quot ætatis annos exegisset, qui aliquos supra centum jam se complesse respondens, nequaquã duplici animo, sed insito rusticis hominibus candore roganti vicinum oppidum indicavit; Vicinia (inquit) omnis oppidi illius me unum agnoscit authorem generis; Quot igitur (addidit pater) tibi filij, ac nepotes? Quadringentos propè novi mihi filios, nepotes, ac pronepotes, senex reddidit. Neque similia feracitatis eximię passim argumenta desunt. Tanta igitur indies plebis multitudine succrescente vix homines natale caperet solum, nisi eorum quotidie examina in Regnum undique prodirent,

Humanæ soboli ferax ibi multiplicatio.

rent, ad alienos agros mercede ſerendas, & maturas ſegetes demetendas; quin eo fit, ut Regnum univerſum ijs hominibus ſit refertum.

4 In omnes item Luſitaniæ expeditiones diſcedunt, ubi & labore, cuius ſunt admodum patientes, & armis egregiam Reipublicæ navant operam. Cæteros inter in re militari, animis, & manu promptos præcipuam ſunt adepti laudem, quos oppidum educat Valdeves, ex quo milites magni nominis ſunt egreſſi. Ex nobilioribus huius provinciæ hominibus, tam armis, quàm literis præſtantes plurimi huic Regno decus maximum, & gloriam attulêre. Antiqua ſi tempora repetamus, ab hac una provincia fermè omnes, & Luſitaniæ, & Caſtellę illuſtriores familię trahunt originem, & noſtra adhuc ætate ſua ibidem ſervant gentilitia. Incolæ triticum aliquibus ſerunt in arvis, cæteroqui ſecale, & militum ab inſita terræ vi colligunt abundantiùs. Pomis cuiuſcunque generis eſt uberrima; paſcua, carnem ex univerſa Hiſpania teneriorem, & guſtui iucundiorem, ora marima piſces præſtat delicatiores. Vvæ altis ex arboribus ſuſpenſæ magnam vini edunt copiam, non illud quidem dulce admodum & pretioſum, ſed quod alendæ plebi ſit abundè. Venationi, & aucupio eſt maximè opportuna, alitibus enim, ſylvarumque animantibus abundat, neque aliundè canes venatici, aut volucres rapaces ſunt quærendæ; utrumque enim, nec ignobile tellus præſtat. Ita denique regio iſta aſpectui eſt iucunda, hominum uſui utilis, & accommoda, ut eam non immeritò mortalem paradiſum poſsimus numcupare, in illa ſiquidem toto anno vernantes flores invenies, quaſi ver primùm ſemper efflorescat, unde Strabo Luſitaniam ſolum fortunatum appellavit. *Incolarum robur & fortitudo.*

5 Tranſmontana Regio, qua Contium civitas, & Brigantium, & illuſtria aliquot oppida nimis arida, uti fermè ſolent eſſe feraces auri Regiones, & idcircò aliquę ibidem ſunt à tranſactis ætatibus aurifodinæ; Aliò Gallæciam, Legionenſe alio Regnum attingit; tritici, vini, olei, ac totius generis pecudum *Tranſmontana Regio.*

satis ferax, ut sibi non tantùm, sed cõterminis victum præbeat.

Beirensis Regio.

6 Beira Regio est amœnissima, ob amantes passim fluvios, qui eam locis pluribus intersecant, frumentum suis quod incolis sit abundè tellus profert, secale & milium edit feliciùs: vinum, & locis aliquibus maximè pretiosum. Ob aëris temperiem, & amœnitatem plurima diversi generis poma educat; Mala, quæ ob insitam toto anno viriditatem appellamus, Verdeais, mittit in reliquam Lusitaniam laudatissima. Immensam propè castaneæ creat vim, qua vulgus inops solet victitare, toto siquidem anno integro illam & mollem servant, & fumo duratam. Magnos alit ovium greges ad montis Erminij radices, qui in magnam regionis partem dum excurrit, plures ex se fluvios emittit, & pascua assiduè irrigata præstat pecori peraccommoda. In fluminibus (valde scilicet frigidis) troctæ, sive tructæ, genus piscis suavissimum, captantur, ex tota Hispania celebriores.

Laudatissimum Lusitaniæ linum.

7 Ex interamnensi Regione, & Algarbiorum Regno tantam, tamq; tenuis lini copiam legunt incolæ, ut ex ijs totum abundè Regnum vestibus lineis reficiatur; Quin ibidem mulieres colo aliæ vitam alunt, ingentes aliæ conficiunt telas, quas in Legionense Regnum, & Castellanum mittant venales, neque hæc vilis habetur merx inter eas, quæ in Hispanicas Indias asportantur. In oppido Vimarano lineæ elaborantur filo subtili adeò, ac delicato, ut nullibi terrarum aliæ videantur cum ijs, vel subtilitate, vel candore comparandæ: Regium vectigal, quod ex huius tantùm oppidi lineis comparatur, septem fermè & octo plerumque efficit aureorum millia, ex quo facilè, quantum privati colligant, apparebit.

Estremadura.

8 Estremadura, cuius caput est Vlyssippo, civitas in Europa satis nota, ad Tagi ripam extenditur; feliciorem in Lusitania tractum occupat, in quo omnia, quę terra profert visuntur laudatissima; Ad hanc spectat provinciam Scalabitanus ager, qui cum Sicilienſi potest tam pecoris, quàm segetis ubertate contendere. Magnam ulteriùs producit olei copiam, quod in Septentrio-

ptentrionales provincias, & in Lusitaniæ vectigales quotidie navibus asportatur. Vlyssiponẽse solum est uberrimum, quod ibidem serit triticum à Transtagano parum abest. Vina ad Tagi ripam (quod in suum mittimus locum) celeberrima; prope fluvium plurimæ sunt salinę. Ex Cetobrica, & Salacia lectissimum in varias Regiones mittitur sal, nec tanta unquam copia exhauritur. *Ager Vlyssiponensis.*

9 Algarbiorum Regnum ultima Lusitaniæ pars, qua magis ad Austrum excurrit, ita sicetis est occupatum, & vinetis (præcipuus hic est illo in Regno terræ cultus) ut aliquando à vicinia victum exigat, si annorum minus faveat clementia, sed vicinum oppidum Mertola (antiqua olim Myrtilis, Romanorum colonia) opem facilè præstat tritico, quod abundè suo ex agro legunt coloni, nec minus etiam opitulatur Orichiense arvum, quod proximo est in confinio. Est quidem verum, quod annis modicè fertilibus, sibi abundè triticum colligunt incolę, & quod ad sancti Vincentij promontorium seritur, cum optimo quolibet ex Hispania, de bonitate contendit. Abundat vino nobili, & oleo, quæ simul cum fico, uva passa, amygdalo, Thynno, ac sardinia (communis ista merx est Regionis) in exteras provincias transvehuntur. Ad oram maritimam diversi generis piscatu, & abundanti conchylio, victum facilè parant incolæ. Mitto ea, quæ miro artificio è palma conficiuntur, sive ad domesticum usum velis cophinos, sive non minori arte ejusdem operis galeros, & pileolos, magna subtilitate elaboratos. Et (quod amplius admireris) eiusdem è palmæ foliis ita filo gracili diversa efficiuntur crepundia, ut mulieres auro posthabito libentius illa in murænulis appendant auribus. *Algarbiorum Regnũ*

10 Qui huius Lusitaniæ ubertatis ex antiquis velit authores, Strabonem legat libro 3. Atheneum Dypnosophis, ubi de Lusitania cum ageret, Polybium citat, qui lib. 38. histo. Valde telluris feracitatem commendat; huic vero reliquos inter, iure potiori fides habenda videtur, non tantùm propter laudes non *Antiqui authores qui de Lusitania scripsere.*

vulgares, quæ illi non parum afferunt dignitatis: Excelluit siquidem Philosophia, dicendi, & scribendi arte; verùm eo magis, quia inter duces Egregios, qui Lusitaniam cum Scipione lustravêre, majori studio provinciam est contemplatus, uti oculatus testis, quod viderat literis evulgaret. Ab illa verò ad nostram usque ætatem semper incolæ, & ab exteris hominibus addiscentes, & veterem rusticitatem omittentes, maiorem excolendæ telluri industriam adhibuêre; quæ cæli, ac soli clementia uberiorem protulit in dies fructum. Constat verò omnia, quæ in Lusitania gignuntur, tam pisces mari, quàm terra pecudes, & armenta, fruges, olera, vinum, & oleum in omnibus orbis Regionibus laudari, etsi in eisdem hæc ab insita telluris vi magno in pretio habeantur.

Antiqua Lusitaniæ oppida, & Romanorum coloniæ.

1 Illud hoc in loco mihi libuit animadvertere, quod tempus ipsum, & illius vicissitudines variæ pariter admonebunt, multas fuisse in Lusitania civitates, & oppida non ignobilia, quæ vetustate omnia corrodente, vel penitus nomen amiserint, vel adeò attritum, & inculta Barbarie immutatum retinuerint, ut nec vestigium antiquæ famæ possimus internoscere. Ita siquidem natura ipsa volubilis, & vaga omnia constanti miscet inconstantia, ut qua olim sese continentes attingebant Regiones, fretum immiserit, quod inter vectum hac denuò tellurem occupat illac detegit, quod operuerat; quod fit, ut nihil stabile perseveret, undè minus debet mirum videri, si has naturæ vices ars patiatur, & quod homines nomen indidêre, annis volventibus amittatur. Ea tamen Lusitaniæ loca, quæ antiquorum nomen asservarunt, vel parva literarum declinatione, adhuc ex similitudine cognoscuntur, reperimus Vlysipponem, Eboram, Conimbricam, Lamecum, Bracharam, Serpam, Beiam; Hæc suum adhuc servant nomen tantilla literarum inversione. Sic dicuntur hodie: Vouga, pro Vacua; Alter, pro Elter; La-

Antiqua nomina locorum Lusitaniæ.

gos,

gos, pro Lacobriga; Maleçaça, pro Maletaca; Couna, pro Equabona; Mertola, pro Myrtili. Fluvij plures: uti Mondego, pro Munda; Teio, pro Tago; Guadiana, pro Ana; Minho, pro Minio; Ave, pro Avo; Neiva, pro Nebi; Lima, pro Limia; Tamaga pro Tamaca; Seire, pro Scilia; Cabado, pro Cadavo, Coa, pro Cuda; Doûro, pro Durio.

2 Quo tempore Romani Hiſpaniam obtinuere, ſuos in illa ſenatus iudiciarios habebant, quos Conuentus juridicos ſuo nomine appellabant: Luſitanicos Emerita, Pace Iulia, & Scalabi poſuere; poſtea vero ex Emerita in Bracharam tranſtulere, quæ ad Gallæciæ provinciam ſpectabat, quam Tarra conenſis id temporis amplectebatur. Plura iuris Antiqui Latij, & Italici municipia, in Luſitania habuêre, quibus plures conceſſerant immunitates: hæc inter Vliſsippo, Authore Plinio, eodem pariter ſuffragiorum iure cum Romana urbe fruebatur, neque diſcrimen aliquod interceſſerat inter Vliſſponenſem, & Romanum Civem, quo poſſet minus, vel ſuo ſuffragio ad magiſtratum alios promovere, vel alieno inter cives alios promoveri. Antiqui Latij jure fruebatur, Ebora, Myrtilis, Salacia: Præter quatuor iſta municipia cujuſvis expertia vectigalis, triginta numerabantur alia, quæ Romanis annua pendebant ſtipendia. Colonias item non paucas creavêre, quę ijs hominibus conſtabant, quos Romana civitas in oppidum aliquod incolis vacuum, vel denuò excitandum emittebat. Alia item Romanis fuit ratio Colonias mittendi in Regiones exteras, quas armis ceperant, cùm videlicet minus fidebant incolis, & eos uti continerent in officio, ſuos homines coloniæ creandæ nomine in oppidi præſidium ſufficiebant. Omnes tamen illæ Romanis legibus, & immunitatibus utebantur. Ex huiuſmodi colonijs duas meminit Plinius in Luſitania. Alia fuit Pax Iulia, quam modò dicimus Beiam, neque nomen adeò diſsimile fidem iminuit, cum varię in lapidibus inſcriptiones id apertè teſtentur, uti in noſtro Andræa Reſendio videre eſt libro illo, quem de Antiquitatibus induſtria compoſuit indefeſſa. Alia fuit

Conventus Iuridici Romanorum in Luſitania.

Plin. lib. 4. cap. 22.

Scala-

Scalabis(vulgò dicimus Santarem)olim Veteres dixere Iulium præsidium, à Colonia nimirum, quam Iulius Cæsar illuc misit, ut Romanis militibus impositis ab incolarum motibus tutam redderet.

Montes Lusitaniæ, & in ijs aliqua scitu digniora.

1 Quemadmodum divinus humani corporis architectus solidiores aliquas in eo effinxit partes, quæ majori duritie concretæ sanguidiores alias sustinerent; Vnde á capite dorsum extendit, in quo reliqua ossium contignatio fornicem efficeret concameratam, quam super iners caro, & partim solida stabile plurimos in usus haberet fulcimentum; ita Regiones multiformi discrimine partitus est, ut montes dorsi instar illas dissecarent medias, quo firmiorem redderent terræ plagam, alibi altiora cacumina excitavit, quo valles efficeret pulchriores, & subiectis ad radicem fontibus mortalium usui commodiores, plures diniq; ob causas terræ in colis valde utiles ex Gæographica doctrina, mundi conditor, illum ita solida ossium compagine solidavit: Primum vero, quod veluti fundamentum dorsi simile subter posuit, est (Geographorũ ex mente) Taurus Mons, qui in varias excurrens provincias, varia ex se veluti brachia, & minora emittit Ossa, quibus totum hoc corpus molem sustineat, & hominum generi inserviat multifariam: Ex ijs verò brachiis, seu Mundi Ossibus, aliqua Gallæciam dum peryadunt, in Lusitaniam ad aquas Flavias extenduntur: alia Interamnensem dividunt Regionem, partemq; occupant aliquantulam è Legionensi Regno, modò subditam Lusitaniæ, & ad illius Provinciam, quam dicimus Transmontanam, quæ ad Gallæciæ olim fines spectabat. Non minus aliud huius è corporis ossibus Ermininm extollit montem, quà Guarda civitas jacet. Hunc antiquorum fuisse Erminium; noster Resendius inter Lusitaniæ antiquitates palam ostendit; Ad illius

Cur montes in orbe fuerint inditi.

illius radices plura oppida nõ minimi momẽti ſita ſunt; Montis pars à reliquo avulſa, ut antiquorum ſcriptis apud eundem authorem ſatis conſtat, montem efficit, quem ab ſtella appellamus. Qua mons iſte excreſcit altius pyramidis in modum effigiatur, à forma ipſa incolæ appellant cacumen illud altiſsimum, Montem cantari; Aliqua iſtud veluti tabernaculum continet in circuitu milliaria: ſummo in vertice eſt lacus ſpatio paſſuum plurimorum, cuius ea eſt natura, ut æſtuante cum Oceano (cùm ab eo plures diſtet leucas, & prȩcelſo ſit in faſtigio) ipſe pariter exæſtuans intumeſcat.

2 Alium Luſitania celebrem habet montem, Sintrę vocamus, ſatis navigantibus notum, illic ſiquidem ultimum fixêre ab Occidente orbis limitẽ, ubi (Plinio authore) elementa aquæ, telluris, & aëris dividuntur: mons apprimè viridis, & amœnus, ſi ibidem æſtum velis ſuis in menſibus declinare. Montis finem, qua Oceanum attingit, nautæ appellant Rupem, vulgò Rocham Sintræ; Antiqui Geographi lunæ promontorium, (ob Vlyſipponis viciniam, à qua quinque tantùm diſtat leucis) Vlyſipponenſe, alij denique Strabonem ſecuti, Hiernam dixêre.

Plin. lib. 4. cap. 21.

Sintræ mons Luſitaniæ.

3 Plurima hoc in monte viſuntur non curſim attingenda, ſed nos promiſſæ brevitatis amatores, aliqua tantùm quàm breviſsimè petſtringemus; & à ſummo, mirumque in modum acuto vertice incipiendo, illic videre eſt affixum prærupto ſaxo monaſterium ſancti Hieronymi, cuius ædificationem nunquam ſatis admireris, ſi locum, ſtructuram, & ædificij magnitudinem contempleris. Eſt illud ſanctæ Marię à Rupe dicatum, opus univerſum lapicidarum opera, & ferro incuſſorio duro in lapide excavatum, ita ut pergulæ cubiculares Monachorum, & domus reliquæ Monaſterij uſui neceſſarię, quin & templum ipſum, ac vicinæ excipiendis hoſpitibus ædes ſatis amplæ, ob aſsiduam frequentiam eorum, qui ad novendiales preces illuc ventitant, in rupe ſint inciſæ. In atria, & alia monachorum viridaria, ubi plurimæ pomorum feraces coluntur ar-

Monaſterium S. Hieronymi in Sintra.

bores, nec non ſuaves herbæ, terra aliunde convecta fuit. Monaſterium efficit ſpectabile jucundiſsimus undequaq; proſpectus, quem, qui plurima videre prealta loca, omnibus amenitate anteponunt; parte enim alia, ſeſe prębet oculis Oceanus: ad montis latera valles apparent oculis iucundiſsimæ, in quibus totius generis arbores, tam pomis quàm frondibus commendata; E radicibus longiſsimę extenduntur planicies pecoris, & tritici feraces nimium; qui proſpectus, adeò multiplex, & varius, neſcio quam incondito, ac lapidoſo monti conciliat venuſtatem. Ad latus aliud, infimo in monte prope maris oram, qua aliquantulum mare ſubintrat, olim fuit antiquum templum Soli, ac Lunæ conſecratum, cuius adhuc extant veſtigia, nec non aliqui inſcripti lapides, è quibus unus hanc adhuc ſervat inſcriptionem.

Soli & Lunæ Ceſt. Acidius Perennis Leg. Aug. PR. PR. Provinciæ Luſitaniæ.

Collares. 4 Montem verſus continentem attingit vallis leucæ ſpatio longitudine, Collares Luſitani (quaſi diceres Monilia Latinè) vocant ab oppido huius nominis iuxta Oceanum ſito; Vallem huius magnitudinis, aut viſui pulchriorem, aut uſui commodiorem univerſa in Europa facilè non reperies. Eſt undiq; pomiferis arboribus conſita, quæ adeò ſunt fertiles eo in ſolo, ut ſeſe undique certatim rami permiſceant, & vix infra ambulantibus liber pateat ſuſpectus cæli; foliorum diverſitas conſimili in viredine mirificè intuentium oblectat oculos. Ex hac una valle maxima ex parte alitur Vlyſippo, inde enim diebus ſingulis, tam hyeme, quàm æſtate onuſta pomis, & oleribus iumenta, civitatem ingrediuntur; Vt omittam, quæ vinum, ac triticum eadem ex valle ſolent aſportare. Decimæ pomorum quæ Regi ſolvuntur (cizas vocant Luſitani) in annos ſingulos, quingentos aureos ſupra duo millia efficiunt, unde cuncta univerſim poma (ea ſi auferas, quę ob dominorum immunitates

tes Regia nõn pendunt vectigalia) triginta millium aureorum explebunt ſummam. Valle extrema prope mare immẽſæ profunditatis extat puteus latitudinis maximæ,& ita rotundus, ut artificum manibus elaboratus videatur; Ad putei extremam marginem, nemo niſi funibus illigatus accedit, unde lapidem ſi emittas, longiſsimo temporis ſpatio ſpectabis, ſi imo in fundo velis ſtrepitum exaudire, ex qua profunditate coniectamur è mari, cuius exæquat ſummum, per latentes terrę venas aquam ſugere.

5 Alij adhuc in Luſitania extant montes,de quorum amænitate, & commoditatibus uberiùs poſſemus loqui. Eſt ſiquidem in Algarbiorum Regno mons non exiguus, qui Regnum omne, quà ſpectat ad continentem, circuit; Montem Cicum dicunt incolæ, alij paululum inverſo nomine, Monchicum: cùm verò Regio illa ad huius radices extendatur, nomen inde eſt mutuata, Algarbij (ſonat ſiquidem Mauris olim habitatoribus nomen iſtud tellurem imam) Prætereà multis ex fontibus,qui ab ipſo trahunt originẽ, magnam accipit, & amænitatem,& pariter fœcunditatem.Sunt enim in Tranſtagana montes Caldeirani, Portelij.ſancti Iſidori, Arrabidæ.ſancti Ludovici; In Eſtremadura,Minde,Albardos,Sanſon;In Beira,Alcoba,& Mons Murus;In Regione Interamnenſi, Mons Corvaceira,Lures,Soaia; In Tranſmontana,Amaranus mons,Montoſus,Reboda.Plurimas Luſitanię montes iſti,quibus undique diſtincta eſt, utilitates præſtant: ſiquidem fontium cauſa, quibus in ſubiectas deſudant valles Regionem efficiunt valde amænam nec minus uberem, & mortalium uſui per accommodam. *Aliorum montium nomina.*

Fontes & Balnea Luſitaniæ.

1 Supra ſuo in loco monuimus quibus quamque ſalubribus abundet fontibus Regio Interamnenſis,quę amęnitate reliquas inter Luſitaniæ nullo certamine primatum tenet, ſi- *Fontes Interamnenſes.*

quidem longa octodecim non amplius leucas, lata duodecim, quinque ſupra viginti millia perennium fontium numerat aquarum præſtantia cum nullis in Europa comparandorũ. Similiter, & Beira delicatiſsimis, frigidis, ac ſaluberrimis abundat aquis, & omnis univerſim Luſitania undique rivis, ac fontibus interſecatur, qui eam reddunt incolis feracem pariter, & ſalubrem. Vna tantùm provincia Tranſtagana aliquibus in locis fontium laborat penuria, quamuis alibi non deficiant, uti in oppido Eſtremotio, in quo aliquot ſupra triginta ſunt fontes publici aquæ apprimè ſalubris ac delicatæ. Oppida item Cano, Villæ Vicoſæ, Borbæ, Alandroalis, Montis majoris, valdè ſunt amæna, & fontibus abundè irrigua.

Aquæ ſalubritatis cauſa.

2 Horum fontium ſalubritas, & præſtantia, videtur provenire à tellure ipſa, quæ varijs inter ſecta auri, & argenti venis, aquæ intrinſecus permeanti vires communicat ſalutares. Vnde antiquos Luſitanos ſcripſit Strabo abſtemios, aquæ verò potores. Illecti ſiquidem aquarum ſuavitate vinum, quaſi viliùs poſtponebant.

Strabo lib. 3. Geogra.

Thermæ, & medicinales aquæ in Luſitania.

3 Neque Luſitania frigidis, & potui jucundis potitur aquis, ſed calidis etiam, & ad curandos morbos prę ſentiſsimis, in quibus balnea ſunt ſatis nobilia ob reſtitutam in ijs deſperatis hominibus ſanitatem. Reliqua inter, primum ſuo jure obtinet locum ille, quem à calidis ibidem aquis ebullientibus appellant Caldas; locus eſt propè Obidos, ubi Eleonora Ioannis ſecundi Luſitaniæ Regis uxor, perilluſtre condidit Xenodochiũ, quod amplis redditibus locupletauit, undè omnibus qui illuc quę rendæ ſani tatis cauſa ſex ſtatis menſibus ventitant gratis, & affatim om nia ad curationem neceſſaria impenduntur. Quin imò Medicũ non exiguo cum honorario, & pharmacopolam cum apotecha omni medicamentorum genere referta aſsignavit, ut ſanitas ægrotantibus nullo pretio conſtaret. AEdes etiam nobilioribus ſeorſim condidit, in quibus magna cum munditie, & prout res poſtulat, ſplendore omnia ſedulò exhibentur. Curam rei totius commiſit Patribus à ſancto Eligio

gio,qui coloris violacei ſunt monachi ſub ſancti Laurentij,Iuſtiniani degentes inſtituto. Alia ſunt balnea Algarbiorum in Regno,in oppido Alvor,quæ Ioannes ſecundus Luſitanię Rex petivit,cùm lethalis veneni quæreret medicinam: Antiquiora alia ſunt in Beira,in Conventu de Lafoés,quę majoribus erant maiori in pretio,& ad illa ægroti undique conveniebant. *Fons mirę virtutis.*

4 Quatuor à Conimbrica leucis prope oppida Cantanhedium,& Cadimam, eſt fons naturę protinus admirandæ, pede non amplius profundus, arenoſus, & ſubturbidus (Incolæ dicunt Fervenças, quod ferveat perenni aquarum, & arenarum ebullitione) ea verò eſt natura, ut quidquid in eum injicias abſorbeat, nec ſatis poteſt apparere,quo iniectos arborum ramos devolvat, cùm non ſemel arborem integram experimenti cauſa radicibus imis, aut ſummis tantùm frondibus applicitam trunco tantũ, ſive ramo quolibet ita devoret, ut nullis viribus poſsit avelli, & brevi temporis ſpatio, nec tantillus ramuſculus appareat. Illud etiam accidit, ut labenti jumenti pede, ita fortiter brevi ſpatio animal ad ſe traxerit, ut multa vix arte & robore à devorante poſſet abſtrahi. Fons iſte (ex Ioannis Vaſęi ſententia) eſt à Plinio memoratus, cùm duos in Hiſpania meminit, quorum alter inſita ſub latenti virtute omnia abſorbebat, alter quidquid injiceretur mittebat foras; neque Vaſæum fallit coniectura, ſcripſit enim Plinius fontem illum conjecta protinus devorantem, Carrinenſi fuiſſe in agro, quo in loco contendit Vaſæus legendum potiùs Catinenſi, cùm enim ager & oppidũ,iuxta quod fons manat dicatur Cadima, tam parva literarum corruptela,facilè fontis huius authorem agnoſcit Plinium. Mihi videtur ſimilius vero, antiqui nominis veſtigium durare in pago tenuiori propè ſito,quod etiam nunc incolę appellant Carromeu; non longè ab hoc ſunt duo fontes, quos ibidem recenſet Plinius, è quibus alter omnia iniecta evomit, ſed non tanta celeritate, ut ſuperior abſorbet; Alter lacui,quàm fonti ſimilior, aurei coloris piſces ceruleis, & triſtibus aquis coercet. *Fons omnia abſorbens.* *Vaſæus Chronico Hiſpano cap. 8.* *Plin. lib. 2. cap. 103.*

5 In oppido Almada(contra Vlyſipponem ſurgit)eſt fons,cuius aqua morbo calculari habetur remedium valdè præſens, unde multis ex locis exquiritur, illudque virtutis eſt argumentum,quod lutea quęlibet vaſorum fruſta, ſi fortè iuxta Canales,quibus aqua perfluit, relinquantur, vel ipſa vicinia perfringuntur.

De fluviis, qui Luſitaniam interfluunt.

1 Cùm Luſitaniæ ſolum tot ſcateat fontibus, uti diximus, pluribus neceſſariò fluminibus irrigabitur, quæ ab hiſce derivantur;quocirca Strabo felicem dixit Luſitaniam, quæ tot fluvijs naves patientibus interſecatur, qui aureis arenis commendantur,ut aurum in ijs ſelectum teſtatur hodie. Præter eos Luſitaniæ fluvios, qui ab eodem Regno oriundi, ubique Luſitani noſtrum in mare ſe exonerant,alij ſunt externi,qui Regni fines ingreſsi,alios ex itinere excipiunt, quibus duplo ſæpiùs maiores in mare influunt.

Ana ſive Guadiana fluvius.

2 A Guadiana, quem modò diximus (veteres Geographi Anam dixêre) incipiemus, is ſiquidem finis ultimus Luſitaniam diſcriminat à Betica. Nomen invertêre Mauri, Hiſpaniam qui tenuêre, ſuo ex more, Guadi, præfigentes nomini (eſt enim Guadi) inter illos fluvius, ac proinde Guadiana Arabico nomine ſignificat Anam fluvium. Cùm verò ex Caſtella defluat, & paucas in Luſitania pervadat leucas, Luſitani & Guadianam,& Odianam ex dicentis arbitrio appellant.Suum habet caput prope Conſaburam in ea plaga, quam antiqui dicebant Laminitanos agros, hodie vulgò Manchas Aragoniæ; Neque hoc antiquis Geographis adverſatur, dum ſcribunt hos fuiſſe campos in Hiſpania citeriori, ſive Tarraconenſi provincia, quod perinde valet. Poſtquam fluvius iſte multa milliaria ſuo curſu conficit, & Oretum Regiam civitatem,ſive Calatravam interluit, aliaque ex itinere pervadit oppida, iterum ſubter ima telluris viſcera ſe abſcondit ſpa-

tio

tio milliarium plus triginta, donec tandem prope oppidum Villa forta erumpit. Omnem illum Regionis tractum, quò fluvius delitescens recondito pertransit à luco, mirum in modum luxurianti herbarum pastu alendo pecori fœcundat; Aqua scilicet perocculros terræmeatus solum superius humectante. Vnde quemadmodum Alpheum bibentes in Arcadia, illius cum Arethusa, fonte Siculo, amores commenti sunt, ita Hispani patrium laudantes Regnum, venusta illusione dicebant pontem in eo esse, in quo ovium plura millia pascerentur.

3 Plurima secum affert commoda Guadiana fluvius, ijs quas præter labitur, regionibus, quod Transtagana cum primis arida experitur; Cum enim fluvios habeat raros, neque pistrina aquaria, quibus triticum molatur, nisi cursu perenni incolas hac in penuria iuvaret, vitam alerent difficiliùs; Ripam simul pastui efficit valde commodam, & quæ ibidem pascuntur pecora, gustui per iucundas alunt carnes. Lusitaniam ingressus Odiana duas circiter leucas à Serpæ Oppido, in locum devenit præruptis undique asperrimisque saxis invium, hic se in duos partitur duro ex lapide canales, inde se statim permiscent aquæ & torrente eodem valde rapido, duos subintrant lapides ad invicem fornicatos, qui naturæ artificio in pontem annectuntur, utramque jungentes ripam, ut iter facientibus securo transitu commodius inserviant. Hunc evadens naturæ pontem in scopulos iterum incurrit adeò angustos, ut nec passus duos occupet latitudinis inde præcipiti ex loco, horribili fragore in imum puteum devoluitur, latum passibus centum, ulnas profundum octoginta. Locum ubi aqua recipitur, Assenium suo nomine dicunt incolæ, à fragore illo incondito, quem aqua ex præcipiti adeò, & prærupto loco inter concava saxorum de lapsa edit, à summo enim saxo unde cadit, ad summã putei subiacentis aquam ulnæ sexdecim altitudinem metiuntur. Putei marginem lapides undique circumsepiunt, qui allisum aquæ sonitum cavitatibus dum excipiunt, reddunt maiorem, illos

Ana utilitates.

crebro

crebro motu contundens aqua, ita varijs in locis atterit, ut imagines sæpiùs, & expressas efficiat figuras artificum operam æmulantes. Ex hoc veluti stagno, sese iterum effundens, rupes alias offendit torrens, quæ illum iterum anguſtis itineribus astringunt maximè, ita ut alibi duodecim, alibi tribus tantùm defluat latus passibus. Has inter saxosas rupes tres circiter fluit leucas, donec Myrtilem pervadat. Vt verò piscatores illo in stagno, & fragosas inter rupes capiant pisces, se longissimis demittunt funibus illigatos summis è saxis, quo usque summam pedibus attingunt aquam, ubi appensis similiter ramorum fascibus pedes firmant, indeque magnam murænarum extrahunt copiam, mugilum, luporum, & alosarum. Pisces, qui à mari hunc in fluvium ascendunt, maiores quidem sunt, quàm alijs in fluminibus: verùm non adeò præstant sapore, anguillas si auferas fluviatiles.

Tagi fons.

4 Tagus fluvius primam habet scaturiginem in Tarraconensi provincia, ubi à Molinę rupibus excurrens, propè Concham civitatem in Castellę Regno sitam (sive, quod volunt alij) retro adhuc in oppido Albarrasim Aragoniæ, centum octoginta ubi conficit leucas, ad Vlyssipponem sese tandem miscet Oceano. Primo in Lusitaniam ingressu ditior iam plurimis in se fluminibus exceptis, quæ tam aquis, quàm proprijs sibi spoliat nominibus, oppida prætercurrit Abrantes, Punhete, Tancos, donec Scalabim illustre inter prima Lusitaniæ, non aureis tantùm arenis Antiquorum memoria decantatis, sed plurimis segetibus locupletat; illius enim vicinum agrum, uti Nilus AEgyptum extra ripas effusus inundat, & luto aperiens frugiferum apprimè reddit, non tantùm proventu multiplici commissum referens semen, sed perquam brevissimo temporis spatio, segetes efficit ut matureſcant. Quinquaginta siquidem diebus terræ traditum semen falci segetem exhibet iam maturam; Demesso tritico parvo agricolarum labore, Milium pari fœcunditate, ac temporis brevitate flaveſcit, ut armenta innumera præteream, & boum, & equorum, quæ illis in pascuis produ-

Quæ loca Lusitaniæ pervadit.

cuntur,

cuntur. Duas ob Scalabi leucas maris fluctus, Tagum uti excipiant hospitio, procedunt obviam; quibus paulatim alueus dilatatur. Exinde amœna, ex utraque ripa invisit oppida villis undique pomiferis vestitus, & umbrosis, quæ præterfluenti iucundissimum præbent iter, quod secundo amne navigantibus terreni paradisi imaginem repræsentat. Vlysipponem denique itineris attingens metam, portum efficit omnium ex orbe universo celeberrimum, tam ob commodissimam stationem navium, quàm ob prospectum periucundum, quò alia ex parte sese tollit Vlysippo, alia ex adversa ripa sese spectanda venustissima præbent oppida.

5 Flumen istud longè omnia Europea laudibus antecellit, ob famam, nomenque illius in tam disitas orbis regiones evulgatum; Ex eo siquidem egressæ classes, & incertis fluctibus, & ventorum commissæ flatibus omnem terrarum orbem mortalibus inaccessum adiêre, quin & Asiæ potentiam Tago fecêre vectigalem; Illi siquidem annis singulis annua mittunt stipendia Indus, Ganges, & Hydaspes, quorum tantùm nomina antiquorum memoriam perterrebant, unde nostræ ætatis Poëta cecinit non immeritò. *Tagi nomen ætate nostra gloriosum.*

Iamque ingi est patiens Indus, nec turpe putavit
A Domino Ganges poscere iura Tago.

6 Laus alia huius fluminis est satis nota; reliquos enim inter fluvios auri feraces semper Tagus primatum tenuit, authore Plinio, qui lib. 3. c. 4. illum Pactolo, Hermo, Gangi, & Pado anteponit. Neque foret difficile id nostra adhuc ætate experiri, nisi acerbis Regum edictis cautum foret, qui rei frumentariæ consulentes vetuere, ne Tagi arenæ, auri legendi causa, extraherentur, ne scilicet agris frugiferis incommodarent. Quod tamen in eo legebatur, purum adeò fuit, & sincerum, ut Rex Lusitaniæ Ioannes III. sceptrum aureum sibi ex eo iusserit fieri, cùm aliud, etsi nimis laudatum, minùs placeret: sceptro utuntur Reges Lusitani, & in thesauro publico asseruatur, ubi studiosis illud videndi fiet copia. *Tagi aurum.*

7 Non minimam eidem præstat laudem multiplex genus
Tagi pisces. piscium, quod piscatoribus maximi semper fuit emolumenti, de quo Strabo scripsit in hæc verba: Amnis quidem piscium feraciſsimus est, Ostreorumque redundans; Antequam enim se maris fluctibus immiſceat, plurimos capitones piscantibus præbet saporis præstantiâ nullis alijs comparandos. Immixtus verò mari alosas profert innumeras, quibus confines populi
Strabo li. 3 victitant, & recentes, sectæque in medium ad exteros asportantur. Infrà verò peculiarem Vlysipponensi oræ piscem edit, Soleolas dicent Latini, Lusitani Asevias, delicatiſsimum piscium genus, quod ęgrotis præbent Medici in edulium medicinale. Quin imò tanto habetur in pretio, ut quàm citiſsimis viatoribus ad Reges Hispaniæ hinc mittantur recentes, & adhuc fermè vivæ. Ichthyocollas, coracinos, & mugiles prætereo, & pisces alios. Prope oram Transtaganam plura, & saporis optimi leguntur conchylia, nec non lingulacæ ijs, quę præ alto captantur mari, sapidiores.

Munda fluvius. 8 Munda fluvius, quem Strabo Muliadem dicit, nos patrio nomine Mondego, fluvius est undique Lusitanus, ab Erminio siquidem monte non longè à Zezeris capite trahit originem, in oppido Figueira evolvitur in Oceanum, & paucas suo cursu leucas conficit, quocirca Strabo brevis navigationis fluvium appellavit. Eandem cum Tago aurum devolvendi naturam habet, quod circum degentes incolæ seligendo, hoc sæpiùs ex opere vitam alunt. Maior illius pars Lintres, ac Cymbas minores sustinet, quibus venales ædificijs materia secundo, & adverso flumine vehitur Conimbricam. A Conimbrica maiori iam aquarum incremento maiores alveo cymbas patitur in mare usque, cuius æstus ad Barrancæ oppidum excrescit. Fluvius est valdè placidus, & amænus, Salicetis septus undique, adeò leni tractu in mare defluens, ut alicubi stagni in morem vix quò tendat internoscas. Attamen cùm ex nivoso monte devolvat aquam, cùm nives cœli imbribus liquescunt, & montes, quos interfluit ex itinere, aquas lapsu præcipiti mittant deorsum,

deorsum, horribili aquarum agmine sibi consuetam deserit tranquillitatem, & in apertos spatiatus agros, pecudes, stabula, & domos integras secum trahit. Aqua est potui periucunda, apprimè salubris, & adeò delicata, ut vestes lineæ puro tantùm, ac simplici lotæ flumine; candidiores reddantur, quàm si alibi sapone, & quolibet fullonum artificio abluantur. Pisces huius fluminis ante Conimbricam tructæ; Infra, quas bogas dicunt, muleoli, & mugiles esui inter alios suaviores; videlicet suavissima in aqua, & inter auriferas arenas educati. E mari in fluvium ascendunt alosę plurimę, ac murænæ ex omnibus Hispaniæ fluminibus longè optimæ.

9 Zezere aliud est à Lusitanis fluminibus, vicinum Mundę, habet caput in eodem Erminio monte, rapidum est, & valdè preceps, magnamque devolvit aquarum copiam, & Nisi Nabonem fluvium, ad antiquum Nabantiæ oppidum offenderet, quo immixtum Tago confunditur, nomen non ignobile inter Geographos obtineret, eo siquidem impetu in Tagum influit, ut longo spatio obvium dividat torrentem, & suam discretam adhuc servet aquam, quam facilè ex glauco colore, inter Crystallinam Tagi deprehendes. Resendius Ozecarum appellat, quod ita scriptum invenerit antiqua D. Irenes in historia, quam octingentos abhinc annos scriptam constat. *Ozecarus fluvius.*

10 Vougam antiqui Geographi maiores inter Hispaniæ fluvios meminêre. Plinius Vaccam nominat, Strabo Vacuã. Ptolomæus Vaccim. Scaturiginem habet prope montẽ Alcobam: breve suo cursu spatium conficit, & alios cursim parvi nominis excipiens fluvios, Aguedam tandem sibi æqualem tam nomine, quàm aquis spoliat, quo ditior, & non contemnendo agmine, ad Alveirum oppidum mare ingreditur. Agueda fluvius, qui Vougæ immixtus amittit nomen, olim Eminius audiebat, nomenque civitati, quam intersecabat, indidit; Eminium olim civitas erat Episcopali sede insignis, cuius Toletanum Concilium meminit, ętate Flavij Recaredi, cui Posidonius Eminensis Episcopus interfuit. *Vouga.* *Agueda.*

Durius. 11 Durius maximos inter Hiſpaniæ fluvios memorabilis aquarum copia Tagum ſuperat, viginti leucas ſupra centum excurrit, antequam Oceano infundatur, ad Portum denique Luſitaniæ urbem cùm devenit, in mare tandem ſe exonerat, plurima, eaque magna ex itinere fluenta ſuſcipit: Piſvergam videlicet, Carrionem, Arlancam, Duratem, Tormem, & Consimilia ignobilioribus omiſsis plurimis. Ortum trahit à palude horribili, omninò immota, & ſatis ampla, in quam undè ſcaturiat fons, prorſus ignotum. Eſt palus in ſummo montis vertice, Orbium dicunt, novem à Soria leucas, ab antiqua Numantia diſtat ſeptem. Primo ſtatim ex ortu tumidus aquarum pondere devolvitur: plurima loca nobilia prę terlabitur, uti Arandam, Vxamam (quæ nunc Oſma vocatur) Penhafielem, Turrim Syllanam ſive Tordeſilhas, Sarabrim, quam aliqui Taurum, alij Camoram nunc eſſe contendunt; Quæ duo oppida in Caſtella proluit, ut in Luſitania Mirandam. Alvei latitudine quandiu per ſpatioſas, ac planas defluit Regiones, ſuam ſatis aquæ indicat opulentiam, donec Luſitaniam ingreſſus montium cauſa, quos interlabitur, breviore aſtringitur tramite, & Mirandam præterfluens, ad ſanctum Ioannem à Piſcaria (oppidum eſt in Luſitania) accedens è prę rupta nimium cataracta in præceps cadit horrendo aquæ decidentis fragore, ubi murenæ plurimæ, & diverſi generis piſces alij capiuntur; A fluminis oſtio ad hunc uſque locum viginti quinque leucis maiores aſcendunt naves; neque Durius ſuis caret arenis aureis, uti cecinit Claudianus.

Hic certant Pactole tibi, Duriuſque Taguſque.

Leſa. 12 Poſt Durium ante Minium minores alij defluunt, ſed Oceanum ſuis quoque ſubintrant Oſtijs. Horum alius eſt Leſſa, apud Pomponium Melam Celandus, cuius capita cum parvo inter ſe abſint intervallo, exiguum navigationi prebent ſpatium; prope Matoſinhos in Oceano terminatur; piſces ferme

fermè eosdem cum reliquis alit fluminibus Lusitaniæ. Avus brevem item facit cursum, siquidem iuxta Vimaranum habet fontem, ad Villam comitis ostium. Neiva (quem Geographi Nebim) à loco scilicet, quem prætervehitur ex Antonini itinerario. Antequam fluvius iste Oceanum attingat, nomen deponit Cadavo infusus, confuso tamen alueo mare ingreditur intra Fam, & Sposende, duo parum inter se disita oppida. Abundat diverso piscium genere valdè sapido, & aliquo à mari spatio est flumen istud navigabile.

Avus.

Neiva.

Cadavus.

13 Diversa imposuêre nomina Limæ fluvio antiqui historiographi. Strabo, Limiam, & Belim dixit. Alij communi nomine oblivionis fluvium appellarunt, alij denique Græco vocabulo Lethen, quod Latinè oblivionem sonat. Neque hoc oblivionis nomen ex fabulis, ut aliqui autumant, ortum traxit, sed ab historia satis vera. Lusitani Celtici, qui Guadianæ ripam incolebant, inita cum antiquis Turdulis amicitia (occupabant Turduli, quæ Durium, & Guadianam interiacet, terræ plagam) copias iunxêre paribus in eandem expeditionem animis; transvecti vero Limam, orta ibi seditione, communem amisêre ducem, nec diutius acerbis fuêre animis, quin imò & simultates obliti, & soli amœnitate illecti, suas ibidem sedes posuêre. Imperitum deinceps vulgus credidit, eos aequis illis insita virtute tantam patriæ potasse oblivionem. Ita vero ista in posteros opinio emanavit, ut annis postea volventibus, cùm Iunius Brutus Romanorum dux, cum exercitu ad Limam veniret, nullo posset imperio Romanos milites adigere, uti fluvium transmitterent, omnibus sibi persuasis statim patriæ suæ æterna oblivia subituros; Neque aliter eos dux potuit à sententia dimovere, quàm à signiferi manibus vexillum avellens, & in ripam alteram transmissus suos illinc, ut transmitterent, exorans. Iulius Florus in Epitome author est; quocirca Plinius fluvium appellat fabulosum. Limæ fons ab uliginosis locis emanat

Lima unde oblivionis flumen est dictum.

inter Auriam, quæ nunc dicitur Orense, & oppidum Montem Regis: omnis illa regio Lyma, & confines populi dicuntur Lymici.

Minius. 14 Minius inter celebriores Hispaniæ, nomen à Minio, quod ripa profert, mutuatus est, si Iustino est danda fides; Gallaicis reclamantibus, qui hanc potiùs laudem suo Sil contendunt adscribendam, cùm Minium solus edat; Vti etiam iniquis animis patiuntur, cùm Sil illorum fluvius Minium aquarum copia longè superet, Minio permixtum nomen perdere. Minius est populis, quos præterfluit valdè commodus, qui vel ex hac causa inter reliquos Hispaniæ sunt abundatissimi. Vbi sex & triginta defluxit leucas, intra Tudensem civitatem, & Caminiæ oppidum nobile in mare influit. Plures hoc in fluvio lupi capiuntur, salmones, alosæ, & pisces alij inter omnes illarum regionum laudatissimi: statim à capite ad Aras Sextianas, quæ civitas nunc Lugo appellatur, magnam trahit aquarum copiam.

Coa. 15 Plures adhuc sunt fluvij Lusitaniæ, de quibus antiqui Geographi non scripsere, vel quia eorum notitiam non fuêre assequuti, vel quia ipsi mare impromiscui non attingant. Vti Zezere, quem suprà diximus. Transmontanus item alius (Coam dicunt vulgò) hic suprà oppidum Alfaiates enascens, prope Villam novam de Fascoa Durium ingreditur; Illum Romani Cudam, & attiguos populos Cudanos, & Transcudanos appellarunt: cuius meminit inscriptus lapis in Alcantare ponte.

Municipia provinciæ Lusitaniæ stipe collata, quæ pontis opus perfecere; Coeditani Lancienses oppidani Talori; Interamnienses, Colarni, Lancienses, Transcudam, Aravi, Midenburgenses, Arabricenses, Banienses, Præsures.

Tamaca. 16 Alius est Tamaca fluvius, qui antiquum servans nomen S. Gondiçali ab Amarantho, oppidum frequens, & ob Divi sepulchrum

pulchrum ſatis nobile interfluens, ad Duos fluvios (ita locum appellant incolę) Durio immiſcetur. Populi quos circumfluit, ſuo è nomine olim audiebant Tamacani, ut Reſendio authore antiquus lapis prope Aquas fluvias fidem facit. Nabanus, ut ſuprà tetigimus, mediocre item flumen, quod Ozecarum adauget, quemadmodum Soure; Antiquis Ancus, Mundam. Fluentia item Sor, Tagum prope Abrantiũ locupletant. Nec non Caia, valdè tã Caſtellanis, quàm Luſitanis notus Regnis, quia illuc utriuſque Regni in confinio, antiquo ex more Caſtellanæ Luſitanis, Luſitanæ Caſtellanis tradebantur, *Dum fata, Deuſque ſinebant*. Similiter & Seira, quæ antiquum retinens nomen, & pago vicino communicans, ante Conimbricam Mundam ingreditur. Item Seda, Paiva, Montragil, Canda, Coruche, quæ magnam devolvunt aquarum copiam. *Minora alia Luſitaniæ flumina.*

17 Sadum omnibus longè maiorem nulli antiquorum meminêre, uno excepto Ptolomeo, qui Callipodem nuncupavit. Nullum fluvius hic agnoſcit caput, ſed plurimis in eum varijs è riuulis confluentibus, haud contemnenda gurgite intumeſcit. In unum ſiquidem congeruntur Enxarrama, Odivellas, Garcia Minino, & Santa detença, cùm iam horum per ſe ſinguli ex vicinis fontibus aquam excepêre, in eundem conſpirant Sadum fluvium. Curſu ſuo duodecim confecit millia-ria, & ad Salacię æſtuarium delapſus, ad Cetobricam mari excipitur. Eſt flumen ad Regis portum uſque, uti vocant, maioribus cymbis navigabile; Abundat maximis, & valdè ſapidis capitonibus, multis boccis, anguillis, & ob piſcatum plurimum, & venationem ad illius ripas, nec non fluminis amœnitatem, plures Regni proceres illic ver primum ſolent traducere oſcitantes. Si omnes vellem fluvios Luſitaniæ recenſere, foret opus immenſum, & quod ſibi volumen poſceret non exiguum. Strabonis illud fuerit ſatis, beatam ſcilicet Luſitaniam ob fluvios innumeros, quibus undique interſecatur. *Sadus.* *Strabo li. 3*

Auri argentique fodinæ in Lusitaniâ.

1 Inter omnes orbis nationes fuit olim Hispania valde celebris ob immensam auri, & argenti vim, quod inde facillimo compendio vehebatur, quod nulli antiquorum scriptores suis in libris præteriere, Græcos si relegas, & Latinos. Quocirca auri splendore illecti Græci, Phænices, & omnes denique tam Europę, quam Asiæ nationes, in Hispaniam commutandi gratia adnavigabant eo studio, quo nostra ętate Hispani homines divitias inquisitum in remotissimas navigant regiones.

Pyrenæorum incendium.

2 Neque metalla ista é terræ visceribus extrahebant, sed desuper, uti modò lapides, projecta, vel gratis, vel certè vilissimo pretio commutabant. Huius feracitatis originem non erit extra rem paucis legenti inculcare. Pyrenæi montes (communis inter Gallos terminus et Hispanos) longo adeò telluris excurrunt tractu, ut mare utrumque, Mediterraneum scilicet attingat, & Oceanum. Hi quà Galliam spectant, prærupti fuere, & excauati, quà verò Hispãiam respiciunt, antiquissimis arboribus obsiti nec commeabili sylvarũ densitate, ita siquidem longissimo annorum decursu sua sponte sylvescentes nulli erant incolis usui. Fortè accidit, sive casu, ac temerè, sive pastorum consilio pascuis armentorum consulentium, ut iniectis ignibus, inculta illa, & tot annis intacta sylueta conflagrarent, neque incendium tanta, tamque pingui correpta materia vires posuit longo tempore, quo æstuantibus intus terrę venis & vapore calido fatiscentibus, latens intus argentum, & aurum plenis canalibus in subiectos agros manantis in morem aquæ desudarunt. Incolæ ingenita animis simplicitate, metallorum pretium ignorabant, quem utinam candorem in nostram adhuc ætatem retinerent. Cæterùm gentes exteræ auri, & argenti fulgore occæcatæ, certatim accurrebant, & gratis auro naues implebant, ad suosq; cum antennis aureis, & anchoris

ris remeabãnt, ferreas incolis in auri pretium relinquentes, quod Diodorus Siculus, & Ariſtoteles teſtantur; Hoc denique exhauſto metallo, cùm illud ſumma jam tellure deficeret, fodinas locis varijs aperuêre, unde aurum & argentum extrahebant, tantam verò copiam excavabant, ut Plinius ſcripſerit ex Luſitania, Gallęcia, & Auſturiana provincijs, in annos ſingulos viginti millia librarum Romanis ſolvi eo ex auro, & argento, quæ à fodinis incolæ depromebant; efficit verò millionem, & dimidium noſtræ monetæ; Neq; Romanorũ iugum adeò fuit grave, uti noſtra in ętate Provinciarũ colonis; Ex quo apparet facilè quantum Hiſpanis hominibus ſuo ex opere remanebat.

Vectigal Romanis penſum ex aurifodinis.

3 Neque hoc parum cohæret Livio ſcribenti immenſum prope aurum in Romanum ærarium illatum à Cenſorio Catone, cùm de Hiſpania triumpharet. Multę hodie immenſę profunditatis fodinę, quæ apud Luſitanos videntur, antiquorum teſtantur induſtriam; Illas noſtri homines modò omittunt, neque alias denuò aggrediuntur. Minùs iam tellus producit, nimia ſcilicet aratione fatigata, vel quia prima illa orbis iuventute, quando à primis minùs aberat incunabulis, quidquid ſuis in viſceribus habebat pretij, liberaliter emittens ſenio tandem elanguit. Quod à planetis etiam potuit provenire, non ita benignè ſibiectam in tellurem influentibus, quàm florida illa, & primęva mundi adoleſcentis ętate.

Luſitaniæ cur hodie aurum non effodiant.

4 Non è terræ viſceribus tantùm, ſed ex fluuiorum arenis Luſitani aurum colligebãt, quod Hiſtorici, Geographi, ac Poëtæ vulgò tradunt. Suprà iam monuimus à Luſitanis Regibus interdictum, ne incolæ è Tago arenis aurum venarentur, quod ſi efficiant, arenę cumulos ſpargent neceſſariò, & flumen exundans in commune agriculturæ incommodum, illam per agros frugiferos ſeminabit. Hoc manifeſtiùs in Monda videre eſt, ad cuius ripam non pauci legendis auri granulis non ſterilẽ vitam agunt. Illud tamen rude vulgus arbitratur, quod paſsim ludunt ſuis in carminibus poëtę: fluviorũ videlicet arenas eſſe aureas, quod à vero longè abeſt. Sunt tamen regiones, & montes vi-

Vnde fluvij aurum trahant.

cini feracis auri, & quando agricolarum opere exarantur, minuta auri grana avelluntur: imbribus posteà terram alluentibus, insita gravitate cum aqua simul in præceps aurum devolvitur, & in fluminibus, ad quæa quæ confluunt, inter arenas subsidunt, undè posteà seligitur; Et hunc in modum Hermus in Lydia, Pactolus in Asia, Ganges in India, Padus in Italia, Hæmus in Thracia devolvunt aurum.

Aridiores plagæ auri feraciores.

5 Qui de Hispanię metallis scripsêre, aridiores illius & magis steriles Regiones plus ex se auri, & argenti emittere affirmant. Quod inter nostros satis constat, cùm enim Reges Lusitanis faciant facultatem ad excavandum aurum ea lege, ut quintam tribuant sibi partem, nulli tamen fit optio, illud in Transmontana provincia effodiendi, illic enim steriliori in tellure ita habetur certum, ut in thesaurum iudicent asservatum. Possent quidem Lusitani, nec magno cum labore suo in Regno aurum invenire, sed tot habent fodinas auri in Insula S. Georgij, in Arguini, Cofallæ, Moçambici, ac Monomotapæ, Secturis, ut velint potiùs navigationis laborem tolerare, & ab exreris, in suum Regnum advehere, quàm suos intra fines rumpendæ telluri insudare.

Stanni-fodinæ.

6 Non aurum tantum, & argentum profert Lusitania, sed stannum etiam plurimum, cuius magna educitur copia ad conventum La foés, ubi stanni fodinæ à Regijs quæstoribus

Ferri fodinæ.

stato locantur pretio. Abundat etiam ferro, quod plurimum extrahitur in oppido Penella, multum etiam posset ad Nabantiam avelli, ob quam rem iam in Nabane præterlabente flumine erant artificum incœptę machinæ, sed labori visum est supersedere, cùm tam propè sit Cantabria, unde in Regiones varias facili asportatur negotio, & in Lusitaniam ad maris

Plumbi-fodinæ.

oram extensam, faciliori. Plumbo similiter abundat, quod prope Aramenham dirutam modò civitatem, ad montis Erminij radices sitam olim, excavatur. Civitas ista Romanorum tempore Medobriga audiebat; Confines populos authore Plinio

Plin. lib. 4. cap. 22.

4. naturalis historiæ libro, plumbarios appellabant.

De

De pretiosis lapidibus Lusitaniæ.

1 Præter multi generis metalla, pretiosos item lapides hoc in Regno Scriptores pristini meminêre; primæ æstimationis pyropos in Lusitania scribit Plinius, quos lib. 3. cap. 7. naturalis historiæ appellat Carbunculos; Et libro eodem tradit in ea Hispaniæ regione, quam Oceanus extremam circumit, pulcherrimos inveniri pretiosos lapides. Constat verò id temporis non ab exteris Regnis in Lusitaniam asportatos, sed in eodem incolarum studio, & industria repertos. Cùm verò, post apertum Oceanum, ex India tantus eorum numerus afferatur, potiùs ducunt Lusitani è remotissimis adducere, quàm suo in Regno defossa tellure investigare. *Carbunculi in Lusitania*

2 Idem Plinius lapidis cuiusdam Obsidiani author est magno olim in pretio habiti, qui eodem in loco reperiri consueverat; Lapis fuit pellucidus, & qui vitri specimen referebat, ex quo patinę, & reliqua mensę fiebant utensilia. Hoc ex lapide vidimus ollam egregiè expolitam, uti ex vitro fieri mos est, ad servanda bellaria decocta saccaro: & parvulos veluti matelliones, quibus olim amici, & consanguinei, quas in demortuorum funere fundebant lachrymas, sui testes doloris & amoris pariter asservabant. *Obsidianus lapis.*

3 Lapides, qui modò in Lusitania reperiuntur, sunt quos vulgus pricecos dicit Erminio in monte & alibi: quinimo inventum est iam frustum grande locusta intus obdurata, & alij paleis exædificati, quę gelu concretæ obriguerant. Vnde manifestissimè apparet de Plinij sententia, Crystallum ex aqua fieri; cum in gelu, & glaciem firmiùs obdurescit, neque enim alibi, nisi aquosis, & nimio gelu concretis locis reperitur. Attamen experientia nos docuit, etiam uti pretiosos lapides alijs è terræ visceribus excavari, ut in smaragdis apparet, qui infima tellure procreati à Crystallino candore in alium paulatim solis calore *Ex Crystallo plures alia fiunt gemmæ.*

lore ac radijs vergunt, donec ſibi familiarem, & ſpecioſam viredinem præ ſe ferant. Quod Plinius teſtatur manifeſtiùs de illo, quem aliqui apud Cyprum invenêre viridem dimidio, & perfecta iam viredine ſplendentem, dimidio referentem aſpidis colorem, & naturam, quippe qui ex alia in aliam penitus naturam non migrarat. Idem referunt, qui ex India redeunt, viſos ſæpiùs ſmaragdos dimidia ex parte albos adhuc, & Cryſtallinos, virides ex alia, & ſmaragdinos. Pyropos ſimiliter inventos tradunt ſemipuniceos, Cryſtallinum adhuc alia ſui parte ſervantes albedinem, utpote nondum à Sole perfectè punicatos.

Cryſtallum in Luſitania

4 Alibi eodem in Regno Luſitaniæ Cryſtalli fruſta uti ſaxa reperiuntur evulſa. In Oppido Crato (ſancti Ioannis Equitum eſt Oppidum inter Luſitanos ſuæ Religionis caput) è puteis Cryſtalli fruſta grandia extrahuntur, quorum vidimus aliquod humani capitis magnitudine. Duabus ab Vlyſippone leucis in Oppido Bellas Hyacinthi inveniuntur, alij lapidibus alijs adhærentes, ſoluti alij, & ſupra defoſſam ab Agricolis tellurem, qui duritie certant cum Indicis, ſed obſcuriores aliquantulum, neque pellucidi adeò, ac tranſmicantes.

Hyacinthi.

Turcici lapides.

5 Villæ Vicioſę (quæ prȩcipua eſt Ducis Brigantini Sedes) in via, quæ in vicinum Borbæ oppidum ducit, ad montis radicem defoſſa tellure ſubvirides leguntur lapides ab alijs, & ab eadem tellure avulſi, Græci Cyancos appellant, nos Turcicos dicimus, quorum aliqui ſunt adeò pretioſi, ut nihil concedant ijs, qui ex Perſide aſportantur.

In Luſitania marmor laudatiſsimum.

6 Non immeritò pretioſos inter lapides Luſitaniæ laudatiſsimum marmor numerabimus, quod ita pulchrum eſt, & niveo candore albicans, ut cum alabaſtro quolibet candidiſsimo poſsit contendere. Omnium pretioſiſsimum evellitur in Oppido Eſtremotio, quod ad Tranſtaganam ſpectat Regionem, quo in Oppido eſt maximè memorabile, nullam, vel infimæ plebis domunculam reperiri, quæ

marmo-

marmoreis non ſit exædificata parietibus ; Plateæ ſternuntur marmore , mœnia quadrato ſurgunt : quod ſi fuiſſet omnibus in ædibus expolitum , iucundiſsimum oculis proſpectum exhiberet , quemadmodum Regis Dionyſij iuſſu erecta turris , marmore undique lęvigato , vel longè proſpectantibus oculis cum primis apparet gratioſa. Illud maximè iſtius Oppidi commendat marmora , quod non albedine tantùm ſint inſignia , ſed naturæ videantur illuſa artificio ; Aliud ſiquidem ita quibuſdam venulis eſt ad amuſsim reticulatum , & lineis ſe venuſtè interſecantibus variegatum , ut in eo diſtinguendo viſa fuerit natura artis penicillum æmulata. Aliud eſt maculis eleganter undulatum , & veluti umbris deſuper appoſitis picturatum , quæ nativæ albedini maiorem ex oppoſito conciliant elegantiam. Hinc in templa , & Attalicas ædes impenſis plurimis aſportatur ; Hoc ex marmore pulchræ admodum ſunt columnæ in Eborenſi Societatis IESV Collegio , nec non eiuldem in fontibus expoliti-ſimi lapides , & alijs domus illarum , & ſcholarum regalibus ædificijs. Bethlemico item in Cœnobio ſancti Hieronymi ad Vlyſipponenſem Portum : In templo ſanctæ Mariæ à prælio (vulgò Batalia , quod Monaſterium ſatis eſt ædificijs nobile) & ſancti Laurentij ab Eſcurialio , quod Philippus Rex Hiſpaniarum ſecundus , noſtra ętate in Orbis miraculum excitavit , in cuius ędificationem Rex aliqua ab Eſtremotio efferri marmora imperavit.

Diverſi coloris marmora.

7 In Oppido Viana prope Eboram , aliud eſt marmoris genus apprimè candidum , ex quo omnia loci ædificia pariter ac viæ ſunt confecta , cùm alium terra lapidem non edat. Ob candorem verò marmoris in viis prætereuntium pedibus attriti , eſt viſu oppidum ſatis iucundum. Villę Vicioſę alij ſcinduntur lapides ſubuirides , nec parum ſpectabiles , è quibus aliquos Rex Philippus in Eſcurialis ædificium curauit aſportari. Tingadę , in Vlyſipponenſi confinio , aliud eſt rubicundum marmor venulis albis interſectum. Aliud item in Oppido Bellas ſimiliter

puniceum, ſub nigrius tantillo hyacinthis orientalibus, ſed quod non parum habeat pulchritudinis. Eſt denique genus aliud apud Caſcalium, infra Vlyſipponẽ ad maris oram, quod ruborem magis ſanguineum præ ſe fert: maiori nunc in pretio habetur, & in pulchriora ædificia exquiritur: omnes iſti lapides artificum manibus leuigati Cryſtallini inſtar ſpeculi intuentium imagines repræſentant. Nigrum marmor Ebeno conſimile profert Sintræ mons, nec non album aliud, tamque perlucidum uti cùm videas, nitidiſsimum exiſtimes alabaſtrum; Ex quo mirabili planè cælatura, ſanctæ Mariæ à Rupe ſummo in monte tabulam exculpſit, ad aram maximam Phidiaco opere ſuæ ætatis longè princeps Magiſter Nicolaus natione Gallus, quod qui vident, ſpiranti in marmore unum tantum deſiderant vocis ſonum.

8 Oppido Anſano (eſt illud propè Conimbricam) lapis eſt, candidus ille quidem, & ſatis pulcher, verùm gypſo magis, quàm marmori affinis, ſiquidem ſerra lignorũ finditur in morem, & ſcalpro ferreo fabrili abſcinditur artificio; quo fit, ut ex eo delicatiora, quàm in ligno, veluti in cera molliſsima effigientur; Nec idcircò minus ſolida ex eo ædificia conſtruuntur, immixta calce in longam annorum ſeriem obrigente.

Iaſpis Cetobricenſis.

9 Cetobricæ quoddam abſcinditur genus lapidum, quod vulgus rude ob ſimilitudinem, Iaſpidem falsò numcupat; Eſt lapis colore triplici inſignis, albis nimirum rubeis, ac roſeis maculis quaſi perlitus; Imò quibuſdam vetulis lapilulis inciſus, quod artem potiùs referat, quàm naturam: ita lapis ad unguem exæquatus aſſutis undique quaſi centonibus apparet vermiculatus. Cùm alium illis in finibus terra non gignat lapidem, ex uno illo oculis adeò ſpetioſo, tam publica, quàm privata fiunt ædificia; quin imò & oppidum univerſum mœnibus eodem extructis ſeptum eſt. Quod ſi materię ars non deeſſet, nulla viſerentur in orbe mœnia pulchriora. Solidiores huiuſcemodi lapides (nam aliqui minus compacti ſunt, & de curſu temporis imminuuntur) cum antiquis porphyreticis pulchri-

tudine

tudine certarent. Non abſimile eſt marmor in oppido Lagos, Cetobricenſi prętſtantius, tam duritie, quàm ſpecie, unde in templum ſanctæ Marię à luce(ex Vlyſipponenſium pulcherrimis illud eſt unum) aliqui ex his fuêre avecti lapides.

10 Ad Luſitanię cõmunes iterum reverſi lapidicinas, Gagates (uti Greci appellant, & Latini)abijs extrahitur plurimus, è quo pulcherrima elaborantur fictilia prope oppidum Bataliam, quæ mulieres ad ornatus eligantiam magnifaciunt,& ex eo loco in regnum omne diffeminatur. Aliud eſt alibi genus lapidis, quo in fuſa magis frigeſcit aqua, quam ob gratiam efficiendis potorijs,eſt exquiſitum. Ita denique ſunt in Luſitania diverſi lapides,& ex colore multiplici grato diſcrimine diſsidentes, ut non immerito aquis immerſos Plini us naturæ dixerit iocularia. *Gagates.*

11 Dum Natura tot expoliendis lapidibus ſe hominum luxui, & elegantię præſtitit officioſam,non ideo victum illorum eſt oblita,ſed pari ſtudio in Luſitania Molares genuit lapides,quibus frumentum teritur,ea verò ſunt duritie,& albedine, illiſque perutiles muneri, ut in diverſa Caſtellæ regna, nec non in Occiduas, & Orientales Indias exportentur. Reliquos inter, farinam efficiunt candidiorem ij, qui in Condexæ oppido (quę antiqua fuit Conimbrica) Cezimbra, & Aluito abſcinduntur. *Molares lapides.*

11 Fuſiùs alicui videbimur,quàm par fuerat,in numerandis lapidum generibus immorari; non paucos tamen omittimus, ut de Argillæ prętſtantia dicamus paucioribus. Eſt ſiquidem in Luſitania tanta, tamque varia pro locorum diverſitate, ut non immeritò, quæ ex ea fiunt potoria, argenteis,& aureis ſuo in munere præferantur. Fiunt autem vaſa aquaria tenuibus ita ramuſculis eadem ex Argilla appenſis undique inumbrata, & delicatiſsimis effigiata imagunculis, ut plus in cera molliſsima delicatiores manus non effingant, in omnia ſcilicet cretæ ſe accommodante natura. Alios inter, qui in Luſitania fiunt urceolos, primatum tenent Vlyſipponenſes ob ſuaviſ- *Argilla diverſa genera.*

ſuaviſsimum odorem, quem potantibus emittunt.

13 Ab ijs ſecundi monte maiore Tranſtagano in oppido efficiuntur, neque nativo cedunt odore Vlyſiponenſibus, illum ſiquidem recentem non amittunt, quod artificum potiùs operæ tribuendum. Solent illi cretam dilutam lapidulis quibuſdam commiſcere, qui argillę craſsitudine operti intus latitant aliqui, alij ſparſi undique foris promicant, cum verò ex conſuetudine, & uſu frequenti ſordeſcunt, urcei lapidibus perfricantur & recentem denuo colorem indicant, nec non novi ſe produnt lapiduli, qui recenti cum decore nouum identidem præſtant odorem.

14 In oppido Sardoal aliud eſt, idque craſsius cretæ genus, quod grandioribus etiam lapidulis involutum in vaſa ſimiliter efformatur, neque ea aquæ excipiendæ parum commoda, ob maiuſculos enim inmixtos lapides vas redditur in morem ſpongiæ ſalebroſum, & in cavernulas aqua demiſſa pumicoſas faciliùs frigefit. His perquam ſimilia fiunt in Oppido Oliventia. Averij argilla ob naturæ inſitum purpuriſſum, & figulorum artificium, eſt valdè celebris. In Oppido Columbario eiuſdem artificij efficiuntur ſimiliter quàm plurima.

15 Conſultò, & excompoſito argillam toto penè orbe commendatiſsimam, loco ultimo reſervavi. Eſt illa ad Oppidum Eſtremotium colore, tenuitate, & odore ſuaviſsimo paucis (ſi aliquibus) conferenda; quin imò recentes inde urcei, non odore tantùm, ſed ſapore etiam commendantur. Neque alibi figulorum ars magis deſudat in elaborandis, etiam præſtanti materia utenſilibus, quæ non minùs uſui, quàm luxui, delitijs, inſerviant, & elegantiæ. Illic enim eodem videbis in potorio (apprimè adeò expolito, ut vitrum terſius non appareat) ſpiris implicitos dracones, ſubnatantes piſciculos, ranulas apertis rictibus ſpirantes, & varia artis ludibria aquatilibus illuſa animalculis, albis ſcrupulis ſunt alia veluti arenulis interpuncta, & albo incruſtata lapide, quò illiſa aqua & reſiliens effervelcit, ut fontem manu, & urceum te exiſtimes ſuſtinere. Quocircà ſe poſſunt

Pulcherrima argillæ vaſa.

possunt meritò iactare Lusitani, se aquam delicatam maximè & salubrem potorijs ebibere iucundissimis, quæ à remotissimis totius orbis Regionibus venalia perquiruntur, ut singulis annis ex India, & alijs ubi noscuntur, provincijs videmus appeti. Neque mirari quisquam debet Lusitanos argillam, & vasa testea tanti facere, cùm reliquas inter orbis nationes appellet Strabo Lusitaniam aquæ bibacem, idcircò enim ex terra fictilia diligunt vasa, ut bibentes nativo videantur ex fonte aquam bibere.

De *Salinis Lusitaniæ.*

1 Commune istud condimentum humano victui tantoperè necessarium, edit abundantissimè ora maritima Lusitaniæ, neque nostro tantùm Regno, verùm externis maximè Regionibus affatim elargitur. Cetobrica, vetus Lusitaniæ Oppidum, Septentrionalibus provincijs communis est Salna, ex qua innumeræ quotidie naves illuc solvunt onustæ sale, qui nullibi visitur melior, aut candidior. Est aliud Oppidum (nunc dicunt Alcaçer à sale, Salaciam veteres iam Romani appellabant) quod in Mediterranea Castellæ, & Aragoniæ loca emittit plurimùm, ubi facilè posset ab incolis perquiri, locis nimirum mari conterminis, aut ex puteis erui; Suum tamen omittunt, quod Lusitanus sit præstantior, & nulli albedine comparandus. Sunt præterea loca alia, qua marina pertingit aqua, sale abundantissima, ut ripæ Tagi, & Algarbiorum ora, nec non Oppidum Averium, è quibus preter eum, qui condiendis piscibus, & olivis insumitur, posset educi quantum Regnis pluribus foret satis.

Sal plurimum in Lusitania.

De oleo quo abundant Lusitani.

1 Oleum sacris Divorum ædibus quærunt mortales in præsens animorum medicamentum: medicinalibus apothecis in salubrem corporibus medicinam, & ubique tandem in plurimos, quos mortalium fragilitas docet usus. Quanta verò illius in Lusitania sit copia, non poterunt regiones exteræ refragari, in primis Flandria, Germania, & loca plurima antiqui Castellæ Regni, Legionis, Gallæciæ, Orientalis Indiæ, Brasiliæ, & reliquæ Lusitanis subditæ trans Oceanum Regiones, quibus communis habetur merx oleum, quod abundè profert Lusitania; Albus item sapo oleo confectus, id testabitur manifestè, quem quotidie hoc ex Regno evehunt mercatores.

Loca olei feraciora.

2 Loca verò olei feraciora sunt Scalabis, Moura, Nabantia, Abrantium, Estremotium, Portelium, Vlysippo, Helvij, Pax Iulia, Conimbrica, Amæa. Vulgò præferuntur olei præstantia, & sapore cum primis Ebora, Alvitum, Turres novæ, Mons maior, undè in Regum culinas ad dapes condiendas petebatur. Cæterùm trans Durium est oleum adeò subtile, aureum, & apprimè sapidum, ut cum Vena frano, & Estriaco possit conferri. Est enim veluti aqua stillicidio liquata, quam possis bibere, quin oleo insita crassities sensum lædat. Denique omnibus fermè Lusitanię locis oleum gignitur, etsi reclamet Theophrastus, dum asserit quadraginta è mari milliaribus oleas minimè procreari, quod à vero quantum sit alienum palam testantur Ebora, Pax Iulia, & Helvij Lusitaniæ civitates, & plurima loca alia, quæ à mari plus octoginta absunt milliaribus. Est illud quidem verum prope mare feliciùs oleas provenire, cùm ibidem pro vicinia sit cœlum magis tepidum, ac modicè temperatum; Et ex Fabiani cuiusdam sententia, quem Plinius refert lib. 15. cap. 1. Oleæ nec frigidissimis, nec ex opposito calidissimis gignuntur locis, ut in Germania videre est nimium

Maritima etiam Lusitaniæ oleo abundant.

mium ſubiecta Septentrioni, & oppoſita de cauſa in Æthiopia nimis proxima æquatori. Quin imò & in Italia, Hiſpania, Africa, in quibus hodie tot, ac tanta ſunt oliveta, Romanorum Regum ætate non erat olei copia (eodem Plinio referente) & ab urbe condita annis pluribus grandi valdè, & immenſo pretio conſtabat. Troiani belli tempore ſcribit Homerus, Vlyſsi Græcorum Duci lectum fuiſſe ex oliva, auro ſimul, & argento exornatum, quem è bello regreſſus, totque pelagi iactatus tempeſtatibus, ut pretioſiſsimam ſupellectilem in domo quæſivit, quaſi nihil in ea reliquerit pretioſiùs. Eſt verò apud nos tanta olivarum materia, ut ex ea communiori ſcilicet, ignem incendant in quotidianos cibos Luſitani. *Plin. li. 15. c. 1.*

3 Exprimendi oleum artificium tanti fuit olim apud ãntiquos, ut Athenis Minervæ cuidam, olei (ut credebatur) inuentrici divinæ fuerint honores attributi. Alij Athenienſem ſimiliter Ariſtæum ob tantum beneficium, uti Deum immortalem coluere. Conſtat tamen multo ante Athenas conditas repertum oleum, ſiquidem Moyſi cap. 25. Exodi divino ex oraculo præſcriptum fuit, ut ante tabernaculum oleo incenſæ lampades elucerent. Multiſque adhuc anteà ætatibus Iſaac Patriarcha Iacob filio benedicens, illi fauſta imprecatus, orat, uti abundet ſemper oleo, ut ſacri annales indicant Geneſ. cap. 27. Illud igitur poſſumus non incongruè coniectare: res eas, quę humano victui erant cum primis neceſſariæ, & annis poſteà volventibus ſacris erant ritibus ex cæleſti doctrina adhibendę, ipſo ſtatim orbis initio à Primo Conditore, primo parenti Adamo fuiſſe indicatas, & doctrina hæreditaria ſuis relictas poſteris, nec humano inventas artificio. *Olei ad divina uſus.* *Exod. 25.* *Gen. 27.*

De vino Luſitaniæ.

1 Non ideo ab Strabone Luſitani aquę bibaces dicuntur, quod illis vinum deſit ſatis nobile. Eſt ſiquidem Regnum illud vino ita abundans, ut plura alia poſsit explere liberaliter. *Generoſa Luſitaniæ vina.*

ter. Neque parum in Flandriam extrahitur annis ſingulis, & in Germaniam, ut id omittam, quod navibus vehitur in Indiam, Braſiliam, Angolam, & alias Regno ſubditas Regiones; Nec item parum inſumitur claſsibus, quæ indies è portu ſolvunt Vlyſipponenſi. Ita verò ſunt colore, & ſapore pariter diſsimilia, ut plagæ, quibus gignitur, ſitu ſunt diſsimiles, & natura. Ex his aliqua non facilè cuiuſvis antiquorum ex Græcia vel Campania concedent ſuavitate, ne tamen legenti pariant tædium (quod forſitan bibenti parerent difficiliùs) pauca generoſiora numerabimus.

2 Et ab ultimi Regni ora dum incipio, ſunt magno in pretio, quæ in Regno Algarbiorum, Lacobrigæ, Villæ novę Portimanenſis, & Alvore colliguntur. In Tranſtagana Regione Eborenſe vinum laudatur maximê, quod ſtomachum conſociabili calore ita reficiat, ut inſignis Medicus de illo dicere ſolitus fuerit; Plus Eborenſi vino, præcipuè ex Peramanca (quod eſt ſuburbium) ſtomachum iuvari, quàm alibi pane, & carnibus eſculentis. Eandem obtinent laudem plurima apud Tranſtaganos vina, ut Pacis Iulię alba, ſubflava: Vianę, & Alviti, Villę de Frades, & ex Alcaçovis, nec non Alcocheti celeberrima, & Caparicę, notiſsima Flandriæ & Germanię principibus, qui indè ſibi puriſsima curabant aſportari; quibus certant contermina vicinis è locis Barrerio, Lauradio, Seirale, & Allijs Veteribus.

3 In Eſtremadura plurima item ſunt, & inter ſe diverſa maximè Vlyſipponis præcipuè in confinio, Loures, Charneca, Oliras, Vnhos, & Camarate. Inter priora habentur etiam ex Vlyſippone Turribus novis, & Ourenio. Prope Conimbricam præfertur Cantanhedium, Louſana, Oppidum Ficetum, cui à vinis cognomen. In expeditiones maritimas valdè laudantur vina ex Scalabi, Serabrica, Turribus Veteribus, quibus ſi addas Lameſenſe, & ex Oppido Monſano iuxta Gallicos, poſſent Regna plurima vel ex his tantùm abundè ſatiari.

De

De *Melle.*

1 Mel in Luſitania eſt ſuaviſsimum, nec ſuis tantùm, ſed vicinis etiam Regnis ſufficiens; Eſt illud album fermè, & vaſis exceptum adeò obdureſcit, ut non poſſet aliter dividi, quàm vaſe priùs effracto, ex quo reſtat vaſis forma tam ſolidè compacta, ut ex ſaccaro. Vlyſipponenſe, & illius è confinibus, ob roſeta plurima, & mali medicæ flores, è quibus illud colligunt apes, eſt inter alia odoriferum, & ſuave. Haud diſsimile eſt in Eborenſi agro, Turrium Veterum finibus, Abrantij, & in Mindo Monte; Aliud eſt liquidum, & candidiſsimum in Oirchienſi campo, filo adeò tenui, ut ſaccarum igne dilutum, & ſtudiosè liquatum arbitreris. Illius, quod à ſylvis appellant (non illud quidem tam delicatum, ac pretioſum) eſt infinita propemodum copia, ubicunque ſunt in Luſitania montes inculti, & ſylvis obſiti, in quibus longos videbis paſsim diſpoſitos ordines alvearium. Quod ſi mons Libanotidem proferat, & rorem marinum, eſt mel indè collectum apprimè ſapidum. *Mel ſuaviſsimum.*

2 Cuiuſvis conditionis poſſent habere Luſitani, quantum vellent, nullo ſiquidem negotio apes illud ſuis legunt dominis, quin illi ampliùs laborent, quàm in locandis inter ſylvas alvearibus. Cùm tamen aperto Oceano Luſitani ſaccari delitias inveniſſent, quod ex Braſilia, ſancti Thomæ, Capitis viridis, & maximè Materiæ inſulis aſportatur, illud poſteà minoris duxerunt: nec penitus omittunt, quia aliquibus epulis neceſſarium ducitur condimentum. Siquidem mala cotonea diluta, & incocta melle, quæ olim fuêre in delicijs aſſervata, luxuriam & dapibus voluptarijs affluentibus, ſunt adeò vili in pretio, ut vel infima plebecula non melle, ſed ſaccaro diluat nobiliori; quin imò ſordebunt, niſi moſcho, & ambaro, ut ſimul odori ſerviant, immiſceantur. *Saccarum induxit mellis incuriam.*

Armenta, & pecudes Lusitaniæ.

1 Cùm Lusitania sit tot irrigua fontibus, & fluminibus, nihil videbitur mirum, si herbida alendo pecori præbeat pascua, ac tantis abundet pecudibus, & armentis. Est verò Regnum adeò pastui accommodatum, & herbis ita luxuriat, ut Orichienses, & montis Erminij incolæ, quod suis pascendis supererat, pretio alienis gregibus locarent. Vnde qui viciniori sunt in confinio Castellæ populi, suos in Lusitaniam greges traducebant, quod posteà Regum legibus est interdictum, cùm externi videlicet pastores suo non contenti, aliud in Lusitania, contra Regni decreta emerēt pecus. Nec facilè tanto in numero fallacia poterat apparere, cùm enim se ita proximè attingant Lusitanum, & Castellæ Regna, cùm malo mederi velles, in tutum se receperant impostores; Neque tamen idcirco (etsi adhuc furto plurima traducantur) desunt in Lusitania maximi cuiusvis pecoris greges. Vna siquidem Interamnensi provincia, quam sæpiùs diximus duodecim non amplius latam, & octodecim longam leucis, quadraginta boum millia, ovium, caprarum, & porcorum ad decem centena millia numerantur. Neque minùs est evidens multarum ovium argumentum lana plurima, quæ ex hoc Regno in Castellam, Flandriam, & in Angliam, cùm pacifico utimur commercio, exportatur: cùm tamen pars illius non exigua texendis in Lusitania pannis insumatur, qui pluribus Regni in locis fiunt filo satis tenui, & qui cum laudatis externorum possint conferri, uti in Amæensi civitate palam videtur, & locis plurimis montis Erminij ad radices: in Oppido videlicet Covillanio, & illius celeberrimis tercentis sexaginta pagis, quos sua amplectitur ditione.

Pascua uberrima Lusitaniæ.

2 Magni aluntur in Lusitania porcorum greges, eorum caro est gustui inter cęteras iucundissima, vel ob castaneam, cuius Beira est feracissima, simulque Interamnensis regio: vel ob

Porcorum greges.

ob querceta, ſubera, & ilices Tranſtaganas, quę glandibus iuvant plurimùm. Adde in Regno valde aquoſo tot volutabra unicum porcorum delicium.

3 In regione Tranſtagana magna olim equorum nutriebantur armenta, quorum maximæ invigilabant curæ Luſitani Reges, & ſuis impenſis præficiebant, qui eorum invigilarent ſoboli. Horum fuit unus maximus, qui reliquos (minus propriè dixeris equiſones) in pagos circùm mittebat; Illorum verò cura fuit equas altrices inviſere, & equos emiſſarios, cuius forent indolis, prævidere. Solebant etiam Luſitani, quamdiu in bello equorum opera non utebantur, pacis tempore Rege præeunte curſibus obequitando belli ciere ſimulachra: curſus ludendo inire varios, & recurſus: tauris ferocibus publico coram theatro equis ſeſe opponere, & eorum cornua deflexu quàm citiſsimo evitare: Denique equis inſidentes ferarum animantium exercere venationem. Illud de Luſitanis equis paſsim antiqui referunt Scriptores, non longè ab Vliſippone ad efflantem Zephyrum equas ſolitas fuiſse nares patentes exhibere, quibus ſimul & ore aperto ſpiritum ebibentes, nullo alio coitu pullos ederent, qui curſus pernicitate parentis Zephiri naturam indicarent. *Equorum armenta.*

4 Vnus ex antiquis hiſtoricis Iuſtinus Trogi Pompeij Collector compendiarius antiquis omnibus refragatur, qui ſe teſtes locupletes, quin imò, & oculatos referebant. Verùm non immeritò Iuſtinus commentum id exiſtimavit fabuloſum, cùm tamen res ipſa fabulæ præbuerit fundamentum. Sunt enim in Luſitania curſu adeò pernices equi, ut ventorum inſtar credas potiùs volitare, quàm pedibus ita celeriter curſitare, Quod modò videmus in ijs, qui ad Mandę ripã iuxta Conimbricam nutriuntur. Sunt illi corpore quidem parui, & qui Gallaicos aliquando magnitudine non excedant: Verum ita agili & acri, ut vento geniti videantur. Inſident agri incolæ eorum dorſo tantillo ſtragulo lana ſuffrato, nullo tamen adſtricto loro (vocant illi ſuo nomine Epiphiones) nullo item iniecto fræno, *Equæ vento concipientes*

frẽno, ſed funiculo tantùm mentum inferiùs illigantes ea emittunt in ſtadia velocitate, ut prætervolantes cælo alites antecellant.

Equus Iulij Cæſaris ortus in Luſitania.

5 Equus formæ omnino admirandæ Iulio Cæſari ortus traditur in Luſitania ungulas referens quinque veluti humanis digitis diffiſſas; Illum Imperator magni ſemper aſtimavit, neque enim ſeſſorem patiebatur alium, præter Ceſarem, quod de Alexandri Bucephalo eius annalium memorant ſcriptores; Eo pluris ſuum faciebat Cęſar, quod ab Aſtrologo inſigni fuerat monitus, qui equum illum habuiſſet orbis futurum Imperatorum. Ideoque Iulius equo emortuo, illius in templo Veneris ad vivum effigiem appendi iuſsit: Quod Suetonius in vita Cæſaris, & Plinius lib 8. cap. 42. atteſtantur.

Diverſa piſcium genera in ora maritima Luſitaniæ.

1 Cùm Luſitania, qua reſpicit occasũ ſolis, mari Occano ambiatur, & tot ex ea fluvij in idẽ mare magnis oſtijs ſe exonerent, tam maritimo, quam fluviali piſce eſt regnum omne abundè locuples; Neque alia erit provincia in Europa, quæ tot, tamque ſuavibus alatur piſcibus. Ab Algarbiorum igitur ora Oceanus excurrens, & circumiens Luſitaniam in portubus Sines, Ciſimbræ, Caſcalij, Penichij, Pederneiræ, Buarci, Auerij, S. Ioannis, & reliquis (foret enim longiſsima ſeries, eos ſivellem hoc in loco numerare, mirum eſt, quam diverſa piſcium genera ex ſe edat, Qui verò piſces magis ob ſaporis præſtantiam noti ſunt, ferme ad Cetobricę portum capiuntur, ſive ob maris, quo gignitur, cibivè quo paſcitur, aut denique cęli temperiem; Quos intertenent primatum, ſalmonici, rubelliones, aci, rhombi ingentes, aphi, lingulacæ, aſelli, trichiæ, vulgò ſardæ, & id generis alij guſtui non ingrati. Hoc item in mari diverſa omnino, & incognitę piſcium formæ apparent quotidie, neque alibi forſitan diverſiores apparebunt; Cetobricenſi etiam, & Cezimbrico mari ſardinię plures numero, & ſapidiores quàm alibi in Ocea-

no

ñq capiuntur, quæ non regnum Lusitaniæ tantùm, maxima ex parte alunt, verùm sale immixtę penè totum Castellæ Regnum. E supra dictis portubus, maximè verò & ex Algarbiorum Regno Thynni portantur in orientale fretum Mediterraneum, in Italiam præcipuè, unde naves hanc excepturæ mercem navigant in Lusitaniam. Ex Cascalio, Penichio, Pederneira, Aueiro, Buarcio ad Minium usque fluvium, evehuntur diversa piscium genera vento exsiccata, aselli videlicet, ichtio collæ, scatinæ, vaiæ, coracivi, polypi, & huiusmodi pisces quam plurimi, quos, in Castellam venales mittit Lusitania: pluribus exceptis capitonibus, piscibusque alijs vento similiter exsiccatis, quos Lusitani homines in ora Arguini eunt piscatum, & Bacalhaos in ea, quam vocant, terra nova, unde magna illorum copia imponitur navibus. Mitto unicum nostræ patriæ delitium ostrea, locustas, & infiniti propè generis conchylia, quę Oceanus ubertim oris in singulis nulla piscatorum exponit industria. Illa diversis condiunt pigmentariis, aromatibus Lusitani, & ligneis asservata doliolis simul cum lingulacis, eadem conditis ratione, regionibus exteris mittunt in munuscula pretiosa.

2 Ob multiplex adeò, tamque suave genus piscium, quos Lusitanum edit mare, scripsit Polybius historiarum lib. 38. ab Atheneo relatus 4. dypno sophis. Nostrum hoc mare Græco etiam patriæ suæ longè esse utilius, illudque multis nominibus antecellere; Cuius testimonio magna profectò videtur danda fides, cùm testis oculatus, quod in Hispania vidit, postea literis mandaverit. *Polybij testimonium.*

Quando & quo modo Lusitani Christi fidem excepere.

1 Quoniam Lusitanorum expeditiones bellicæ, & virtus oppugnandis hominum, ac naturæ viribus satis nota materiam, non suis tantùm, sed exteris etiam scriptoribus ad libros maximos componendos præbuere non minor virtus alia longam mihi scribendi segetem offert, quæ nostros homines non

minùs claros, quin imò longè efficit clariores. Si enim hoſtibus expugnãdis claruere, nõ minùs certè dum ſe dociles adeò Chriſtianę fidei expugnandos prębuêre. Quocirca pauca hoc loco repetam altiùs, ut illorũ oſtendam in excipienda alacritatem, in retinenda pietatem, in evulganda animorum ſublimitatem.

Oſtenditur manifeſte Iacobum Apoſtolum in Hiſpaniam veniſſe.

2 Vti uerò à primis Chriſtianæ fidei apud noſtros incipiam incunabulis, illud ſe primum offert notatu quàm digniſsimum, & quod vel unum liberalem magis in noſtram patriam divini numinis clementiam manifeſtat. Cùm enim Luſitania in ultimo ſita Orbis angulo, à paleſtina ita ſemota ſit, ut ab ea viſa fuerit aufugiſſe, donec ultimò Oceano intercepta ultra non potuit penetrare, divinus tamen iuſtitiæ Sol, qui in remotiſsima montium culmina ſuæ lucis radios iaculatur, nobis ſuo in exortu ſtatim lumine affulſit ſalutari, & æternæ ſalutis nuntium Iacobum Apoſtolum ad nos miſit, quem Hiſpaniæ elegerat tutelarem. Eſt illud verum, non ſatis conſtare, quo tempore in Hiſpaniam Apoſtolus tranſmiſerit: Et hoc Baronio Cardinali anſam præbuit, vocandi in controverſiam verenè Hiſpaniam inviſerit? Bona tamen tanti authoris venia, non ſine magna Chriſtianæ pietatis iactura, eius hac in re ſententia ſanis ab authoribus recipietur. Qui enim fidelium memoriæ, quam parentes filijs relinquunt hæreditariam, refragabitur, plura, quæ foret impium deſerere, falſa omninò poterit iudicare: cùm præter conſtantem, multis ab annis vulgi opinionem, authorem non habeant. Id multis poſſemus aliunde aſcitis exemplis confirmare, ſed brevitas conſueta extra viam me non patitur evagari.

3 Conſtat igitur tam fide à parentibus tradita, quàm plurimis antiquorum monumentis per univerſam Hiſpaniã Iacobum Apoſtolum fuiſſe concionatum, quod plurimæ teſtantur Eccleſiæ, in quibus Apoſtoli diſcipulis in ijſdem apud fideles vicarijs ſuo relictis pro magiſtro ſacra fiunt, & antiquiſsima pſalmodia eorum laudes, & facta ſanctiſsima celebrantur. Illuſtriſſimum eſt inter omnia argumentũ, ſacerrima Deiparæ domus

Cæſar

Cæsar-Augustæ,quam vocant, à columna (vulgò Del pilar) de cuius tẽpli exædificatione septemdecim authores scripsêre (exceptis ijs,quos Doctor Petrus Zenedius adducit) Pontifex item Calixtus III. dato diplomate 1. Octob. anni nostrę salutis 1456. ut sacelli pietatem foveret, disertis affirmat verbis sacram Dei Genetricem Cæsar-Augustæ, cùm adhuc viveret, Apostolo Iacobo in pila visam fuisse, & ibidem Virginis monitu Apostolum sacram illam domum erexisse. Calixto consonant immunitates plurimæ ab antiquis Aragonię Regibus eidem concessæ templo. Alios igitur, ut authores omittam, huius Ecclesiæ canonici doctores duo Bartholomæus Lorense, & Petrus Zenedius, supra septuaginta numerant, qui mille abhinc annis hanc scribentes historiam in unam, eandemque sententiam conspirarunt; constanterque affirmant Iacobum Apostolum sacram Christi fidem Hispanię populos docuisse: ex citatis authoribus, quatuor S. Romanę Sedis sunt Pontifices, Cardinales tredecim, Episcopi, & Archiepiscopi inter Cœlites relati octo: Reliqui nobiles historici, & suæ ętatis doctissimi, quibus sanæ mentis nemo fidem denegat.

4 Aliud ante omnia extat testimonium, ab eiusdem Apostoli ætate adversus temporis iniurias asservatum. Granatæ Turpiana in turre, & mõtis S. cavernis annis quingentis, ac triginta supra mille, antiquũ monumentũ custodiebatur, quod tandẽ anno 1588. apertum est, in eoque sacris inventis reliquiis pariter & laminis, quę omnia appositi iuxta libri antiquissimis Arabum notis scripti referebant. Hos verò libros ab eodem Apostolo fuisse scriptos ibidẽ tradebatur, & Hispaniarũ Regnis, quibus ille fuerat concionatus, ab eodẽ relictos eo inloco. Laminarum scriptiones publica Reverendissimi Episcopi Granatensis Petri Vacca de Castro sententia probatę fuerunt & comprobatę, & plebi tandem euulgatę Clementis Octavi literis, ad id muneris expeditis coram cætu amplissimo Prętatorum, nec non virorum illustrium tam literis, quam genere, & sanctitate, iuxta prascriptum sacro sanctæ synodi Tridentinæ.

5 Cùm tam manifeſtis teſtimonijs res maneat extra dubiũ, de tempore variant authores; Aliqui ſcilicet ſcripſêre proximo poſt Servatorem cælo reditum triennio in Hiſpaniam veniſſe, & ab eo iam tempore in Luſitania Epiſcopos ab eodem Apoſtolo fuiſſe initiatos, & tunc Chriſti fidem primas noſtro in agro radices emiſiſſe. Ita [a] Leo III. & Calixtus II. alijque Pontifices Romani ſcriptum reliquêre, & Horariæ preces [b] Toletanæ, ac Bracharenſis Eccleſiæ teſtantur; & Dexter eiuſdem cum D. Hieronymo ætatis, cui S. Doctor librum, quem de ſacris ſcriptoribus inſcripſerat, dedicavit. [c] Beda Venerabilis, & [d] Anaſtaſius Antiochenus Patriarcha, author antiquiſsimus idem opinatur.

Quo tempore Iacobus Apoſt. in Hiſpania concionatus eſt.

[a] *In epiſtola quam refert Calixtus II. li. 3*

[b] *In manuſcriptis fragmentis.*

[c] *In Collectan. de Diviſione Apoſtolorum.*

[d] *Lib. de Paſsionib. Martyr.*

6 Aliter ſentiunt authores alij: Iacobum ſcilicet Apoſtolum poſt diviſas inter duodecim orbis provincias, in Hiſpaniam tranſmiſiſſe; eam verò partitionem exiſtimant factam ſecundo anno ab aſcenſu in cælum Servatoris. Certè Beda Venerabilis credidit diviſas inter Apoſtolos fuiſſe provincias, ubi primùm Petro cælitùs admonito, de Euangelio gentibus enuntiando, ita Apoſtoli decreverunt faciendum; Cum hoc ſenſerat Iuſtinus Martyr; ex quibus colligitur non fuiſſe provincias diſpertitas poſt Stephani Protomartyris coronam, anno ſcilicet 44. ut aliqui ſunt opinati, neque enim per id temporis Apoſtoli poterant convenire, uti res maturi conſilij poſtulabat; Quod aliunde oſtenditur manifeſtiùs, quinquennio ſiquidem ante hoc tempus, triennio autem poſt converſum Paulum, idem ſcribit Apoſtolus ſe, cùm veniſſet Hieroſolymam, Apoſtolorum neminem inveniſſe uno Petro excepto, & minore Iacobo Hieroſolymorum Epiſcopo, qui Epiſcopus eodem anno 34. creatus fuerat ſexto Ianuarij Calend. ut D. Chryſoſtomus, & Euſebius ſcribit ſuo in Chronico. Hæc verò Iacobi Minoris Epiſcopalis electio, cum provinciarum diviſione procul dubio facta fuit; ſiquidem Hieroſolymæ creatus Pręſul, Iudeę Concionator exponebatur, quemadmodum reliqui ijs, in quas deſignabantur, Regionibus.

Opinio aliorum. Act. 10. Orat. ad Antoninum.

Galat. 1.

Hom. 57. in Ioannem. Lib. 2. c. 1.

7 Nec

7 Nec minori cum certitudine ex dictis manet consectarium, satis relictum temporis Hispaniarum Apostolo, ut posset per spatium nostram lustrare provinciam, & iterum Iudæam visere, ubi cælum illi victorię coronam reservabat, sicuti eundem Apostolum in nostræ patriæ decus, glorioſum post triumphum, in Hispania piè decreverat asservandū; ut quemadmodum illam doctrinæ lumine vivus illustrarat, ita post obitum novum semper eidem redderet splendorem; Quamvis enim provincię fuerint distributę converso ad Christum Cornelio, quando Petrus à cælo monitus cum Apostolis reliquis statuit gentibus fore etiam prædicandum (hoc siquidem tempore meliùs subductis rationibus potuêre provinciæ seriùs designari) tres adhuc restabant anni, quibus Iacobus Apostolus posset Hispaniam totam circumire, & in ea Euangelij cæmenta ponere. Tertio siquidem anno Caij Imperatoris, eodem Caio & L. Apronio, Consulibus ex Baronij sententia, fuit Cornelius à Petro salutari ablutus lauacro. Iacobus verò Apostolus mortem pro Christo obijt secundum iam annum Claudio imperante, eodem Claudio secundum Consule, & Caio Licinio Largo Collega; Ex quo annorum numero integri adhuc restant tres, ut posset in ijs Apostolus ad nos venire. Quinimò à Protomartyris obitu duodecim fermè anni supererant, Genebrardo Episcopo numerante. Nam Christus Dominus passus est anno decimo octavo, aut decimo nono Imperatoris Tyberij, à quo ad Petri Apostoli necem septem supra triginta interfluxerunt, quorum priores quinque in Iudæa insumpsit, eodemque spatio in Lydiam traiecit, ubi AEneam paralyticum in pristinam restituit sanitatem, & inde in Iopem ad Tabitham ex mortuis suscitandam, posteà abijt Cæsaream à Cornelio accitus, à Cæsarea denique Hierosolymam est reversus, ut ex Apostolorum actibus liquet. Septem annis in sequentibus Antiochiæ moratus est, ubi pontificiam erexit Cathedram; Per id verò temporis concionaturus lustravit Pontum, Galaciam, & Bythiniam, cæteraſque quas idem Apostolus

Tempus fuit Iacobo, ut Hispaniam lustraret.

Baronium. 1. anno 47. & sequentibus.

Genebr. in chronogra. anno Christi 43.

Act. 9.

Act. 10. &c.

2. Pet. 1. lus sua in Epistola numerat Regiones. Qui supersunt viginti quinque Romæ absolvit annos, ad ultimum usque Neronis Imperatoris impij, qui duo Ecclesię clarissima lumina Petrum, & Paulum glorioso mortis genere occæcavit.

Quæ vera temporis ratio.

8 Iuxta hanc verò supputandi rationem videtur asserendum eodem tempore, & anno, quo Iacobus Apostolus mortem subijt, captum, & in vinculis detentum fuisse Petrum, & é custodia divinitus liberatum, se Romam protinus contulisse. Faciunt

Act. 12. fidem Actorum capitis 12. verba. Eodem autem tempore misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia; occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio, videns autem, quia placeret Iudæis apposuit ut apprehĕderet & Petrum quem cum apprehendisset, misit in carcerem &c. Eodem itaque tempore alium Hierosolymis occidit, alium Antiochiæ apprehendit. Quare à Christi Domini passione ad martyrium Iacobi Apostoli undecim, vel duodecim interiecti sunt anni, quibus Petrus Hierosolymis fuit, & Antiochię. Vnde non parum temporis relictum est Hispaniarum Apostolo, quo posset nostris in Regnis concionari, & ecclesias instituere, quod in Lusitania palam fatetur ab eodem instituta Bracharensis. Neque Apostoli in Orbem scilicet universum amandati, tantas uno in loco serebant moras, ut ex Pauli epistolis notum est; Ita siquidem eos divini spiritus ardor insitus impellebat, & cursu celeri in varias ferebat provincias: aliquando volentes ire longiùs cohibebat, prout magis Ecclesiæ inserviret, ut legimus Actorum 16. Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bythiniam, & non permisit eos spiritus IESV.

Act. 16.

Iacobi in Hispania discipuli.

9. Multos in Hispania Apostolus habuit discipulos, & inter alias Regionis provincias, cum Bracharensis eidem videtur excipiendo cælestis doctrina semini opportunissima, in ea primam posuit Ecclesiam, eidemque Petrum ex discipulis unum præfecit, quod Bracharæ Archiepiscopi nunquam satis laudarunt, suam nimirum inter cæteras Hispaniæ Ecclesias primam,

mam, ab Apoſtolo ſanctiſsimo primum Archiepiſcopum accepiſſe; Quod plures alij generalibus in hiſtorijs teſtantur palam; Idque manifeſtè ſcripſit æquè eruditus, & antiquus Dexter: Anno ſcilicet quadrageſsimo ſecundo humanæ ſalutis (coincidit cum nono à Servatoris Aſcenſione) Iacobum Zebedæi filium Civitatibus Hiſpanię perluſtratis, & aliquibus erectis templis, nec non initiatis Epiſcopis, primum Eccleſię Bracharenſi Petrum diſcipulum præſulem aſsignaſſe; Et alios ab hoc, idem author eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopos numerat ſeriatim.

10 Suam ſtatim ſanctiſsimus Epiſcopus ſuſcepit provinciam, & ex Apoſtoli præſcripto, feliciſsimi proventu Euangelij culturam inijt, quæ ſerentis ex animo procedens in dies fructus uberes pollicebatur. Nec multum proceſsit temporis, quin totius provinciæ Regina Epiſcopi doctrinæ aures, & animum ultrò aperiens, ſalutaribus ab eo præceptis inſtituta ſacrum baptiſmatis fontem ingreſſa fuerit; Simul matrem filia eſt inſecuta, quam Epiſcopus lepra mundaverat. Eo animi ardore devota Princeps ſe Deo obtulit, ut nuptias, & voluptates renuens maritales, ſe libentiſsimo caſtitatis voto ſponſo immortali mancipaverit. Ab his caſtitatis floribus Bracharenſis ager primas cœpit primitias ſuo reddere conditori; ſtatimque novæ alię Principes tam caſtimonię laudibus, quàm Regio ſanguine germanæ, & martyrij tandem gloria inſignes Luſitanam Chriſti Eccleſiam honeſtarunt: Itaque felix ager iſte ſanctiſsimi tandem paſtoris ſui Petri cruore irrigatus, uberrimos cœpit ex ſe emittere fructus illos, quos Tertullianus ſcripſit è martyrum ſanguine pullulare. *Tertul. in Apolo. c. 50.*

11 Cauſa verò necis Petro illatæ fuit eiuſmodi. Bracharenſis Rex, uxorem, & filiam ex Epiſcopi doctrina Chriſto devotas cùm videret, ægrè quidem id animo patibatur, verùm illud ægriori, quod una dotalis filia, quę domum iure hæreditario foret adeptura doctoris ſui monitis nuptias conſtanter adeò reſpue- *Martyrium Petri primi Archiepiſcoporum Bracharenſium.*

reſpueret, nec parentis imperio obediret. Animo igitur incenſo, ſimulque barbaris flammas itidem excitantibus ita in Epiſcopum amens excanduit, ut iuſſerit ſtatim virum ſanctiſsimum detruncari, ferens iniquiùs caſtam filiam, quàm lepra fœtidam intueri. Duodecim ferme à Brachara milliaribus fuit Petrus interemptus; ibidem ſepultus manſit, ab anno quadrageſimo quarto noſtræ ſalutis, ad milleſimum uſque quingenteſimum, ac quinquageſimum, quo ſacras Divi reliquias ab Eccleſia Ratēſi eidem Epiſcopo dicata, in qua tam diu fuerant aſſervatæ, in Bracharæ templum maximum Baltaſar Limpus Bracharenſis Archiepiſcopus tranſtulit.

Dynaſtæ aliquot antiquorum antiquitus Reges dicti.

12 Neque aliquis, hæc cùm legerit, me fumos vendere arbitretur, cùm Bracharenſem dicam Regem, conſtet verò tota in Hiſpania, ætate illa cùm Romano Imperio ſubiacebat, nullos fuiſſe Reges, niſi eiſdem Romanis ſubditos, proindeque nec quenquam in Luſitania fuiſſe. Eſt quidem luce clariùs, nullum Regem alium appellari in Europa præter illos, quibus nomen foret Regium à Romano Senatu conceſſum. Regem tamen iſtum Bracharenſem antiquiſsima nuncupant monumenta; Quin imò preces Horariæ, quæ Bracharenſi in Eccleſia Petro Epiſcopo ſuo recitantur, non ſemel tyrannum illum antiquo ex more Regem nuncupant, uti etiam ſanctiſsimæ Martyris Engratiæ Luſitanæ Principis parentes, apud antiquos annales Regio ſunt inſignes nomine. Potuit forſitan fieri ex popularium in ſuos Dynaſtas amore, ut Romanis conniventibus Reges ex more patrio appellarent; Fidem iſtam, glorioſumque illius triumphum, illuſtribus Martyrijs nobilitarunt præſtantes Epiſcopi Bracharenſes, qui Petri veſtigia ſunt inſecuti, Baſilius, & Ovidius; Hi enim eodem authore Dextro, Petro proximè ſuffecti fuêre.

13 Quamvis Bracharenſi Eccleſiæ Luſitanæ & Hiſpanæ omnes primatum deferre debeant, non tamen ea ſola primo Euangelij ſemine felices Martyrum coronas protulit. Certè illius fœcunditatem æmulata Regio ſtatim Tranſtagana ſuos etiam

etiam obtulit Narciſſos Martyrij gloria vernantes; Ebora ſiquidem illius provinciæ caput ſatis nobile, ſuum vidit ſtatim concionatorem, & cælitus miſſum Apoſtolum Manſium fuſo ſanctentem ſangnine, quod verbis docuerat Euangelium. Hic Romanus genere, eodem, qui Apoſtolos impulerat, ſpiritu ſuadente in Luſitaniam delatus, in ea præcipuè regione, quæ Tagum interiacet, & Anam, commoratus Eboram tenuit (Eboram dixêre olim Iuliam liberalitatem, ſive antiqui Latij municipium.) Nec ibidem ſe continuit, quin ſimul in conterminas egreſſus Regiones, Chriſtum populis enuntiaret, donec (ut ex antiqui Martyris Torpetis conſtat hiſtoria) illuſtrem pro Chriſti nomine mortem oppetijt.

Manſius Eborenſis Mart.

Torpes antiquiſſimus Martyr.

14 Torpes verò inſignis Chriſti Martyr (ut ex itenere eius brevem notitiam relinquamus) Neroni Imperatori fuit valde charus, à quo tandem maximum beneficium eſt adeptus, quando Piſæ pro Chriſti fide fuit crudeliſsimè interfectus. Nec in demortui corpus furoré tenuit Imperator; quin imò veteri impoſitum & exeſæ Cymbæ iuſsit ut nullo adhibito Rectore maris arbitrio committeretur. Cælitibus tamen naucleris felicem Cymba curſum fecit, & ingreſſa fretum Gaditanũ, à Mediterraneoq; in Oceanum mare delata Sinenſem tenuit Portũ Eborenſi ſubditũ diecœſi. Nec in portu defuit hoſpitium navi, cui ſævientis pepercerant maris undæ; Nocte ſiquidem ad monita cælo matrona nobilis, & Chriſti famula, corpus ipſo in portu religiosè conditum ſepelivit; quo poſteà in loco erectum eſt templum Illuſtriſsimo Martyri conſecratum. Vnde ſatis apparet, non infugiferam fuiſſe Luſitaniam, quæ recens commiſſum ſemen proventu triplici compenſabat. Commouit ſtatim morum ſanctitas, & incorrupta piorum Religio Tyrannorum rabiem, qui ſuum exhaurientes ingenium, & tormentorum artes innumeras, nunquam à rabidis pectoribus inſanam iracundiam penitus exhautiebant; Quare locus ipſe me admonet aliquorum facinora, quibus tam ſe, quàm fidem, patriamque ſuam condecorarunt, paucis dare.

De Martyribus, qui in Lusitania, & Regnis eidem subditis egregiam pro Christo mortem subiere.

1 Etsi omnes Christi Martyres mutuum à Christi fidelibus amorem repetant suo iure, nec paucis nominibus; quandoquidem egregij nostræ fidei propugnatores, de barbara tyrannorum potentia triumphantes, cœlestis Curiæ Senatores, & sanguinis proceres patricij, regiam sibi purpuram suo intingentes sanguine, per illustrem supremi Imperatoris excelsis in sedilibus complent Senatum, illi tamen nobis magis curandi sunt, qui (ut ait divinus Ambrosius) in nostris domicilijs proprium sanguinem profuderunt. Nam licet universi sancti ubiq; sint & omnibus prosint, specialiter illi tamen pro nobis interveniunt, qui & supplicia pertulêre pro nobis. Martyr enim cùm patitur, non sibi tantum patitur, sed & civibus. Sibi enim patitur ad præmium, civibus ad exemplum. Sibi patitur ad requiem, civibus ad salutem. Cuncti igitur Martyres devotissimè percolendi sunt, sed specialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adiuvant, isti etiam adiuvant passione. Cum his autem nobis familiaritas est. Semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur; hoc est, & in corpore nos viventes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Sic D. Ambrosius.

Nostræ patriæ Martyres à nobis maiori iure coli debent. D. Ambros. serm. 77.

2 Ex hac igitur Ambrosij doctrina, peculiari ardore animi, & amore nostrorum Martyrum, illustres victorias recensebimus, tam quæ temporis iniuria penè consopitæ iacent, quàm illas, quæ recenti adhuc calent sanguine, & tam Regno nostro, quàm eidem iunctis commercio, aut iure belli, interituræ nunquam decus spirant immortale. Quod si antiquiores aliquot omittamus, id maiorum oblivioni detur vitio, qui suos posteros tanto patrimonio defraudarunt; Si verò recentiores omnes non referamus, famæ culpetur tarditas, quæ cæteroqui velox

lox, pigra de illorum triumphis ad noſtras ādhuc aures non devenit.

3 Illuſtrem Luſitanorum Martyrum triumphum ducit Petrus, primus Bracharenſis Eccleſię Archipræſul, qui exercitus honeſtiſsimi anteſignanus, pulcherrimam pro Chriſto mortem obijt, ſui paſtoratus initio, uti ſuperiùs ſcripſimus; obijt verò noſtræ ſalutis anno quadrageſimo quarto, cùm Pontificatum inijſſet duos tantùm ante annos. Neque poſtmodum egregij duo alij, Baſilius, & Ovidius, præſules pariter Bracharenſes viam à tanto apertam duce reliquerunt, gloriosam etiam Martyrij palmam adepti. Illorum, quæ abundant, virtutis exempla, ſciens omitto, annalium Bracharenſis Eccleſiæ ſcriptoribus.

Petrus Bracharenſis præſul.

Baſilius, & Ovidius item Archiepiſcopi.

4 Conſimilem gloriam emeritis ducibus eſt aſſequutus Tyro adhuc adoleſcens, niſi velis ex hoc capite triumphum dicere pulchriorem. Inſignis ille fuit Cathecumenus adhuc Victor, puer Bracharenſis (vulgò ſanctum Vitourum appellant) qui Victoriam, quam ſibi inditum nomen felici omine ſpondebat, animo concipiens, tyrannum contempſit imperantem, florida uti munuſcula Idolo offerret adoraturus, & in tantæ virtutis prȩmium ſui ſanguinis lavacrum meruit. Fratrem ſoror Suzana, & Cucufas comitati (ex antiquorū ſcilicet memoria incorrupta) eodemque animo interfecti eandem gloriam ſunt aſſequuti. Eorum corpora viſuntur hodie prope Compoſtellam apud Gallacios in templo Divorum nomini dicato, in quod illa tranſtulit è Brachara Archiepiſcopus Compoſtellanus Iacobus anno noſtræ ſalutis milleſimo, centeſimo, ſecundo. Sub idem tempus paſſus eſt pro Chriſto Archiepiſcopus Sylveſter, & Bracharenſes alij, quorum nomina antiqua oblivione interiêre.

Victor, Suzana, & Cucufas, germani Bracharenſes.

Sylveſter Epiſcopus Bracharenſis Martyr.

5 Inter primos illos Chriſti ductores, qui fidem ſuo ſanxêre Martyrio, numerandus Tranſtaganorum Apoſtolus Mancius, qui ſub Validio præſide fortiter pro Chriſto prœliatus occubuit. Martyris corpus quodam in prœlio ſepultum fuit,

Mancius Martyr Eborenſis.

neque aliud poſtea nomen accepit locus ille ſicuti theſaurum alium non excepit, ex quo nomen ditius lucraretur, hodieque ſancti Manſij prædium nuncupatur. Felici hoc in agro diu fuit ſacer is theſaurus abſconditus, ibidemque in Martyris laudem Iulianus comes templum excitavit, circa illud turrim condidit, in qua longa annorum ſerie ſervatum eſt corpus, donec Abderrameno Maurorum Rege Eboram cum exercitu oppugnante Chriſtiani arrepto Divi corpore ceſſerunt loco; Noſtra vero ætate Camporum tellus ſacrum potitur theſaurum in D. Benedicti conditum Monaſterio. Eborenſe prope forum, eſt pila quædam parva incluſa cellula poſitis circum cratibus ferreis, & lampade appenſa, quam mortales religiosè, ac piè venerantur, quòd pilę aſtrictus fuerit Chriſti martyr, cum flagellis cæderetur. Theotonius Brigantinus Eborenſis Archiepiſcopus, Philippo Rege Hiſpaniarum ſecundo ſuam interponente authoritatem, Divi brachium accepit, & in templo maximo eborenſi ſolemni pompa, & civitatis communi tripudio collocavit.

S. Vincentius & ſorores.

6 Eadem in Civitate Eborenſi Daciani gladius viam cælo aperuit ſancto Vincentio (Sororum appellant Vincentium, ob Sabinam & Chriſtetam ſorores duas, quæ eandem fratris cauſam tutantes in tyranni rabiem incidere) Non illę quidem ſua in patria Chriſto vitam obtulere, ſed Abulæ, quo perſequentis timor eas compulerat, ut quas patria viderat parum fortes, tellus aliena fortiſsimas intueretur.

Engratia mortē proxime obit Cæſar-auguſtæ.

7 Eadem Daciani perſecutio ſponſam Chriſto peperit amantiſsimam Luſitaniæ principem Engratiam. Hęc Regio ſanguine inſignis in Galliam Narbonenſi principi ſponſa ierat, ut marito traderetur; at in itinere illuſtriùs inijt matrimonium, ſiquidem Cæſarauguſtæ tyrannum offendit, qui illam cum Regio ſimul comitatu pro Chriſti nomine interfecit, ac tandem homini deſponſa, fuit divino caſtitatis thalamo ſociata. Neque cælum eſt ingreſſa Nuptura Chriſto ſine regio comitatu; Eadem ſiquidem in Civi-

tate

tate octodecim equites, flores Lusitani sanguinis, qui virginem Comitati ibant in Galliam, vitam pro Christi fide amisere. Horum aliqui è clara virginis progenie ortum trahebant, ejus nimirum patruelis Lupertius, quem insecuti Optatus, Successus Martialis, Cæcilianus, Iulius, Vrbanus, Quintilianus, Publius, Frontonius, Felix, Emantus, Primitivus, Apodemius, & quatuor Saturnini, quos communi hoc nomine Prudentius poëta numerat Leges Saphici carminis ostendens, ut prima Syllaba Saturnini, quamvis Metri præceptis repugnaret, licenter tamen brevioris vicem sortiretur, quo allusit ubi cecinit, Renuente Metro; Vnde mentem poëtæ non attigit gravis historicus, qui existimavit Prudentium innuisse Martyrum nomina poëticis legibus repugnare, ea siquidem (ex Divo Eugenio) sunt Matutinus, & Faustus, quæ duo nomina carmen Saphicum omninò non excludit. *Engratiæ socij Lusitani.*

8 Chorum Engratiæ principes aliæ heroinæ adimplerunt, quamvis ætate, & Martyrij gloria anteierint; Principes illę quidem multis nominibus: tam genere, cùm parentem agnoverint Lucium Catilum Severum consulem à Brachara oriundum: a Romanisque Lusitanię, & Gallæcię provincijs præfectum: Matrem verò Celsiam eiusdem Lucij uxorem. Quod si natalium claritudine principes, iure maiore laudem principem meruere, quòd inter Hispanicas mulieres priùs suam immortali sponso devotam corporis integritatem, martyrio sanxerunt; una tantùm pręcedente Reguli filia, quam supra retulimus à Petro Bracharensi præsule dicatam Deo. Proinde sexus fæminei primitias horto ex Hispanico dicemus sorores istas, quas cælum fructuum postea legendorum gratissima delegit pignora. Neque verò suam tantùm patriam illis voluit honestare, sed in universum penè orbem illarum exempla evulgavit, uti maiorem sibi laudem, & sponso gloriam pareret immortalem, dum fidei constantiam effuso viriliter sanguine seminabant, unde fæcunda virginitatis seges pullularet. Illarum

rum ſiquidem morte pro Chriſto ſex ſubiere in Europa, in Africa alia, in Aſia tandem alia, ut inferiùs palam fiet. Virginum æternitati mandanda nomina, hæc ferè ſunt. Geneuera, ſive Genaura: Eumelia, ſiue Euſemia: Victoria, Germana, Gema, ſive Marina, Quiteria, Baſiliſſa, Vvigifortis ſiue Liberata.

Octo eiuſdem partus germanæ Chriſti Martyres.

9 Omnes hæ Virgines eodem partu mirabili ſunt editę, quod non Vulgaris illarum gratiæ manifeſtum extitit documentũ. Puduit matrem partus inſoliti, & ne maiorem evulgatus pudorem gigneret, ab obſtetrice poſtulavit, uti puellas omnes recens editas enecaret; Obſtetricabat parienti Calſiæ Chriſtiana mulier Sila, quę tam religione, quàm mira puellarum venuſtate capta omnes domum attulit, & luſtrali baptiſmatis aqua expiavit, ac diverſis in locis ſecretò tradidit educandas. Res ad Ovidium ſanctiſsimum Bracharæ Pontificem delata eſt, cujus monitis ſalutaribus, & religioſa diſciplina annorum, ac virtutis pariter ſubiere incrementum, donec Romanorum acerba perſecutio in Chriſtianos devenit Bracharam, ubi ſacræ Virgines ſuum agnoſcentes genus, & quod à Deo acceperant, beneficium, ut gratum animum exhiberent, eodem omnes conſilio ſtatuerunt, efferis tyrannorum viribus indicare, quid virtus maſcula poſſet vel fœmineo pectore incluſa cælitus. Omnia undique vel intima ſcrutabantur latibula tyrannorum miniſtri, ut Chriſti famulos, ſiqui fortè laterent, in apertum darent, communique ſpoliarent uſura lucis. Hoc dum graſſantur ſtudio, in clauſam domum devenere, ubi conditum theſaurum invenere ſeptem virginum, quę eodem virginitatis, & ætatis inſignes flore, eiuſdem conſortes fidei, idem incolebant domicilium. Attoniti rei miraculo qui Virgines primùm videre, Catilum admonent præfectum, qui in Tudenſi Civitate id temporis morabatur. Non uſitato percitus ſpectaculo Catilus à Virginibus quæſivit, quibuſnam ortæ parentibus, aut cui forent deditæ religioni? Omnium ore Genevera (cuius ſub umbra degebant reliquæ) paucis reddidit. Genus ſi quæris & pa-

Inſolitus partus matris iuſſu necandus eraditur.

Geneuera ſuam fatetur religionem.

& parentes, filias agnoſce tuas, quæ Chriſto eiuſque addictæ præceptis vel morte ipſa nomen ultro teſtabimur Chriſtianum. Geneveram ille idem Calend. Novemb. Martyrij gloria decoravit, quem ſacræ Virgini feſtum Eccleſia dicavit diem. Eulemia, ſive Eufemia mortem etiam pro Chriſto obijt Calend. Decemb. Abobrigæ, fuit hæc antiqua Gallaciæ civitas. Gema, ſive Marina 14. Calend. Auguſti obijt Amphilochiæ; græca olim fuit civitas in Aurienſi diœceſi, non verò Antiochiæ, quod ſunt aliqui falsò opinati: Virgo Vuilgefortis, ſive Liberata, anno Domini 138. Caſtralencæ, in Luſitania; Victoria Cordubæ; Marina Toleti anno 155. Baſiliſſa in Syria Calend. Novemb. Germana Carthagine in Africa.

Geneueræ Martyr.

Eufemia interficitur.

Marina.

Vuilgefortis.

Victoria.

Baſiliſſa.

10 Quiteria ex aliquornm ſententia obijt Margaliſæ Toletanæ diœceſis 12. Maij, anni Domin 130. Vel (quod in Luſitana Monarchia ſcribitur lib. 5. cap. 19.) in Luſitania, ubi parentis Catuli juſſu eſt interfecta, germano eius nuptias appetente, qui virginem cùm videret in montem ſe triginta cum virginibus recipientem, ubi vitam pariter religiosè ducebant, eius nomen vel ex hoc crimine detulit ad tyrannum. Cæterùm eo ex monte Virgo Quiteria, non ſuę tantum, ſed aliarum proſpiciens ſaluti, Chriſto numerum non exiguum lucrata eſt, qui temporum concuſsi motibus parum firmam præſtiterant Chriſto fidem; hos inter Regulus traditur Luſitanus (Lucianum dixere) ac Martialis, & Valentinianus Epiſcopi duo, qui à Chriſto ſecuti Regulum defecerant, ſuiſque tandem ante Deum precibus adepta fuit, ut eandem cum illa martyrij gloriam compararent. Eodem tandem in monte triginta illæ virgines pro æterno, cui ſe devoverant, ſponſo vitam effudere: nec non alij plures, quorum nomina temporum decurſu periêre.

Quiteriam germanus ad parentem defert, à quo pro Chriſti fide interficitur.

11 Vnam tantum vetuſtas meminit Columbam, Quiteriæ aſſeclam, quam Principem aliqui ſcripſêre, ob genus clarum à quo illuſtrem originem deducebat. Ex viris, ſuis traduntur nominibus Simplicius, Remigius, Columbanus, cum prædictis Luciano, Regulo, & Epiſcopis, qui omnes gladio ſunt interfecti.

Columbæ Quiteriæ comes.

Pœnas luunt nefandi sceleris Quiteriæ & sociorum interfectores.

cti. Neque tanti sceleris longè abfuit vindex cælum, ita enim repente cælo undiquè fulgurante, fœdissima orta est tempestas, ut nullus spiaculi particeps fuerit, qui pœnas debitas non sentiret: Alij enim subitò interiere; alij insana rabie seipsos morsibus acriter absumebant; alij ad insaniam adacti quandiu vita superfuit, eandem phrenesim passi sunt; alij attoniti ac paventibus similes, quin tanti unquam pavoris originem aliam persentiscerent, meritas insontibus dedere pœnas. Divorum corpora eodem Martyrij loco sepulta sunt, cœlitus monito Eustachio æquè nobili, ac pio homine. Illud de virgine Quiteria proditur memoriæ, quod de Areopagita Dionisio veteres tradidere scriptores; caput scilicet abscissum manibus gestasse ad locum usque ubi sepulchro fuerat asservandum; illic tandem Angelorum voces auditæ suaviter modulãtes dulcem Ecclesiæ cantilenam, Veni sponsa Christi accipe coronam, quam tibi prœparavit in æternum. Ecclesiæ Conchę, & Segontiæ Quiterię & columbæ festum agunt 22. Maij die, omnes verò hos martyres satis constat è Lusitania oriundos, & in Lusitania educatos.

Quiteria interfecta caput abscissum portat manibus.

Eita obstetrix Martyr

12 Neque verò Virgines sanctissimæ obstetricem Silam oblitę sunt, à qua tantum fuerant adeptæ beneficium, ab sponso suo eandem illi martyrij gloriam consecutæ. Neque authores desunt, qui Nabantio in oppido Lusitaniæ eius corpus scribant religiosè asservatum. Est in monasterio S. Francisci à Sancta Sita numcupato corpus Divæ eiusdem Sitæ, temporis autem vicissitudine, huius divæ memoria est abolita. Quod cùm audirent religiosi viri qui eodem in Monasterio degebant ab alio eiusdem familiæ Franciscanæ ex Italia illuc appulso petiuere, ut in patriam reversus, si quam Sitæ memoriam inveniret, inde sedulò ad se mitteret. Quod Religiosus præstitit, exindeque eandem Sitæ historiam sacris in precibus recitant, cùm illa longè aliter se habeat, quod apud authores inveni probatę fidei, qui ex antiquis monumentis fide publica, quod suis in libris tradunt, transtulere.

13 De his

13 De his ſacris Martyribus ſcripſêre Ambroſius Morales lib.1.cap.18. Villegas, qui eaſdem nulla ex cauſa Galliæ adſcribit; nec non frater Bernardus Brittus parte 2. Luſitanæ Monarchiæ lib.1.cap.18. duabus tamen in rebus longè fallitur: ætate ſcilicet, cùm annos centum, & quadraginta, recentiores faciat, quàm revera fuerunt: & patria, quando Bracharenſes negat fuiſſe, cùm omnia ſuperiùs tradita apertè conſtent cura ſtudioſiſsimè adhibita in conferendis ſacris precibus Eccleſiarum Bracharenſis, Toletanæ, Conchæ, & Segonthiæ, cum ſcripturis probatæ fidei, quę Toletano in archivio aſſervantur, ſimulque ad id collatis: Quod Dexter graviſsimus ſanè author teſtatum reliquit commentario manuſcripto, quod in bibliotheca ſancti Laurentij ab Eſcuriali videre eſt. Idem etiam ſcripſit Iulianus Archipresbyter Toletanus author fidei non vulgaris, cuius opera Gothicis ſcripta caracteribus in eadem bibliotheca cuſtodiuntur. Longiora ad faciendam fidem argumenta rerum Eccleſiæ Bracharenſis ſcriptoribus conſultò mittenda cenſeo.

Authores qui de his Martyribus ſcripſere.

14 Luſitano item ex Regno oriunda fuit Eufemia virgo ſanctiſsima, cuius corpus apud Gallacios in præſentia religioſè aſſervatur Aurienſi in Eccleſia. Diu tamen Interamnenſi in provincia conditum fuit, in valle, quam Caldi fluminis appellant. Inde verò cęlo indicante, in Aurienſem Eccleſiam eſt traductum. Traductionis origo fuit huiuſmodi; Quædam cum parente cuſtos pecudum ijs fortè in vallibus agebat gregem, cùm cælitus demiſſa vox paventium auribus intonuit; Quod iſta in valle corpus conditur, virgo, & Martyr Eufemia inter mortales ſpolium dereliquit; Quocirca omni cura adhibita & obſequio, illud in ſanctæ Marinæ templum religioſè traductum piè ſervate. Ibidem annorum longo decurſu fuit ſitum, cumque Gallaici illud furto auferre ſæpiùs conarentur, ſemper inſolito miraculo in ſepulchro, quod priùs ſibi delegerat, ſanctæ Marinæ templo reperiebatur. Tandem apud Luſitanos imperante Alphonſo I. Epiſcopus Petrus Seguinus, qui ſingulari ſtudio Eufemiam virginem proſequebatur, Deum ſuis

Eufemia virgo ac Martyr Luſitana.

Eufemiæ corpus furto ablatum ſemper in primo ſepulchro repertum fuit

precibus exoravit, & à virgine obtinuit, vellet tandem ſua in Eccleſia permanere, ubi deniq́ue anno ſalutis humanæ 1153. conditum corpus remanſit ultro. Fuit tranſlatum virginis corpus 7. Auguſti ſupradicto Chriſti anno, ut Epiſcopus Petrus, & qui proximè illum eſt inſequutus Alfonſus item Epiſcopus teſtatum reliquere in precibus huic virgini ſanctiſsimæ recitandis. Ita fermè narrat Luſitana Monarchia part. 2. cap. 23. & Ambroſius Morales lib. 10. cap. 27.

Vlyſſipponenſes martyres.

15 Quemadmodum Vlyſippo inter Luſitaniæ civitates primatum tenet, ita principem Martyrum coronam Deo obtulit nulli ſuorum gloria concedens; illa ſiquidem penè innumeram ſuorum civium multitudinem cælo intulit, qui diverſorum ſub tyrannide inſigne ſuę virtutis ſpecimen præbuere. Omnes inter valde prȩcelluit Veriſsimus duabus cum germanis, Maximа, & Iulia; Vlyſipponenſes illi, qui acerbiſsimis expoſiti tormenti generibus ex tyrannorum libidine, ac per civitatis plateas tracti indecorè ſuaves Deo iterabant cantus, donec tandem lapidibus verberati, capita ferro pariter demittenda, ac cœlo coronanda tradidere. Divorum corpora lapidibus illigata gravibus, quo faciliùs imum attingerent, in mare deiecta ſunt, quod ipſum theſauri adeò pretioſi non avarum in littus depoſuit miraculo non vulgari. Ibi Divorum nomini templum poſteà dicatum fuit, quod nomen adhuc ſuis à tutelaribus ſervat, appellaturq́ue hodie, Sancti Veteres (Santos o velho) ut diſcrimen ſit à templo Regio (Sanctos hodie novos dicimus) in quod Ioannes II. Portugalliæ Rex à ſe conditum, Divorum oſſa munificè pariter, ac religiosè traduxit.

Veriſsimus & Germanæ Maxima & Iulia.

Sanctos Veteres.

Germani, Galli, Angli & Luſitani Martyres Vlyſippone.

16 Piè etiam & religiosè pro Martyribus coluntur Vlyſippone (ut re ipſa haberi debent ex Angelici Thomę doctrina) illuſtres illi equites Germani, Galli, Angli, ac Luſitani, quorum reliquiæ in Deiparæ templo aſſervantur, quod dicimus ex Divorum memoria ſancta Maria à Martyribus. Vitam præſtantes viri iſti amiſere in Vlyſipponenſi expugnatione, quando non

non tam Imperij acquirendi causa, quàm studio urbis liberandæ à duro Mahometis servitio, & Christo iterum lucrandę, arma in Mauros sumpsere, urbemque suo emptam sanguine Christianę pietati reddidere. Non censet Doctor Angelicus in dubium vocandas Martyrum coronas, quæ militari opera comparantur, quando milites non mortali pro stipendio, ac præmio præliantes cadunt, sed Christo tantùm reiq; Christianę prospicientes, eius in gloriam militant, & amorem. Horum numero ascribendi sunt (inquit D. Thomas) ij qui infidis hominibus aditum occupantes, ne in Christi segetem noxia effundant doctrinæ semina, mortem oppetunt; & illi denique omnes, qui pro tutanda vel instauranda Christi fide arma capiunt, quod egregij milites decorè admodum in Vlysipponensi oppugnatione præstitere.

Ex doctr. D. Thom. martyres illi qui pro tutanda fide pugnantes cadunt.

D. Tho. 2. 2. q. 124. a. 5 ad 3.

17 Quantùm verò illorum mors honestissima Deo placuerit, manifesto cælitus documento fuit eques insignis Henricus Germanus, natus Bonavillę, quatuor à Colonia Agrippina abest leucis oppidum adverso Rheno. Conditũ fuit demortui corpus in templo S. Vincentij, Lusitanis immixtum, non suis, qui in templo S. Mariæ à Martyribus sepeliebãtur, sive id vivus adhuc Henricus postularit, ut ex animo cum Lusitanis initam testaretur amicitiam, sive id posteà curantibus Lusitanis viri sanctitate illectis. Neque diu cælum hominis eximiam sanctitatem cælavit, miris eiusdem in sepulchro editis operibus, ut demortui virtus miraculis patefieret. Prius verò miraculum illud fuit, quod in duobus adolescentibus eiusdem Henrici classiarijs visum est; Horum alter surdus, mutus alter à natalibus uterque. Ad Martyris sepulchrum ambo procumbentes, opem submissè precabantur; Ecce tibi gravi somno opprimuntur, & in somnis Henricum hilari, ac facili oris habitu vident eosdem blandè intuitum, & sic paucis hortantem; Gaudete, & lætamini: loquimini & audite meritis: siquidem horum Martyrum, qui hoc sub tumulo acquiescimus, hoc vobis beneficium confert cælũ. Hęc cùm diceret, homines

Henricus Martyr Germanus.

Primum Henrici precibus miraculum.

deſeruit; Atque ſubito exciti ſomno, ſurdus qui fuerat mutum anteà, loquentem audit, non maiori ad invicem gaudio, quàm eorum, qui noverant ex re inſolita, ſtupore. Nec longo poſteà elapſo tempore, Henricus idem, ſeniori cuidam Eccleſiæ miniſtro ter apparuit, cui juſsit ſuum propè ſepulchrum collocaret fidelem ſervum, cuius opera uſus fuerat inter vivos, ut qui eodem pro Chriſti amore occubuerant, eodem ſimul loco demortui accubarent.

Palma mirabili in ſepulchro Henrici.

18 Illud verò manifeſtiùs ſanctiſsimi equitis gloriam indicavit, quòd eius è ſepulchro palma pulcherrima exorta fuit, miro frondium virore comata, quæ illarum ſpeciem referebat, quas ætate illa manu ſolebant geſtare, qui Ieroſolymę ſepulchrum precabundi inviſum ibant. Huius è foliis, remedium quærebant præſentiſsimum ægritudine aliqua laborantes, vel tantillum collo appendentes, vel comminutum in pulverem epotantes, ut vires affecti corporis de integro reſarcirent. Ob tanta tamque inſignia rerum miracula Alphonſus Luſitaniæ Rex primus mirum equitis Henrici, ſociorumque amorem piè colebat, ut ſi aliqua corporis tentaretur ægritudine, eorum ſtatim procumberet ad ſepulchrum, ubi præſentem ſibi opem irritis numquam precibus ſentiebat.

Diuturnitas fidei Luſitanæ.

19 Meorum ergò in ſolatium libet paucis contemplari prima noſtri Regni incunabula, ita divorum reſperſa ſanguine. Quod ſi minùs ſtabile Chriſtus Eccleſiæ ſuæ poneret fundamentum, niſi tot Martyrum cadaveribus, & ſeipſo Martyrum capite, ac vivo lapide innixum foret: quis de Luſitanæ fidei cæmentis dubitet, tot cùm videat infrà depoſitos quadratos lapides? Tribus quas Luſitanum Regnum Metropolitanas numerat, Eccleſijs: Bracharenſi, Vlyſiponenſi, & Eborenſi, tot Chriſti Martyres qui videbit, talem, procul dubio inibit rationem: Ita cum noſtris actum à Supremo fuiſſe Conditore, quia iam tunc vellet futurę poſteà ſegetis decimas antecapere & palam facere è tribus veluti Luſitaniæ arcibus annis labentibus egreſſuros, qui ſuo ſanguine in remotiſsimas orbis provincias ſuis

ducibus

ducibus victricia inferrent vexilla, ac se fortes è fortibus creatos exhiberent.

20 Nabantium Lusitaniæ antiquum oppidum, suo sanguine reddidit perilluſtre, sicuti suo sepulchro Scalabim, virgo Irene, à qua dicitur Sanctarem, quasi sancta Irene. Cuius de corona singulari, & cælituum manibus tumulo fabrefecto inter Benedictę familię insignes proceres ex merito aliquid perstringemus. *Irena virgo.*

Multis posteà elapsis annis Irenem animi constantia, pudoreque virgineo expressit Conimbricæ virgo Columba. Patriam habuit oppidum, quod vulgò dicimus Lamas d'Orelham, spectat verò ad judicialem conventum Vimarani, unde metu Mahometanorum, qui tunc Lusitaniam occuparant, sese proripuit. Virginis cædes non longè à Conimbrica edita fuit, ubi nostra adhuc ætate parvum visitur sacellum, quod virginis retinet integram memoriam, eiusque imprimis ob propugnatam castimoniam, Martyrium testatur honestissimum. *Columba virgo & Martyr.*

Decorum item fuit inter prima Eliæ monachi Maryrium (sive Eleum velis nuncupare cum Vsuardo) Lusitanus Elias genere ac patria, duobus sui Consilij adolescentibus comitatus suam honestavit patriam Martyrij gloria, quòd Cordubę insigni virtutis constantia Mahometanorum gladio est assecutus. *Elias monachus Martyr.*

21 Pax Iulia non parum sibi gloriæ meritissimo usurpabit suo ex cive Sisenando Christi Martyre egregio qui patriæ suæ modo inter cælites tutelam suscipit. Cordubam petijt Sisenandus literas humanas pariter ac divinas ut addisceret; ibi sacro Diaconatus ordine insignitus sibi persuasum habuit à sanctissimis Christi Martyribus, Petro & Vualaburo manifestè ad similem coronam invitari, quo incitatus studio eodem inflammavit ardore Paulum diaconum, de quo effusè Divus Eulogius scripsit. In carcerem delatus Paulus invenit eodem inclusum Tiberinum Lusitanum, qui viginti ab annis illic *Sisenandus Martyr. Ex D. Eulogio lib. 2. Memor. Sanct. c. 5. Tiberinus.*

ſervabatur falſum ob crimen impoſitũ. Carcere tandem Pauli induſtria liberatus ſuam in patriam Pacem Iuliam remeavit, ubi floruit ſanctitate. Siſenandus verò ultro judicem adijt, coramque liberè Chriſtum profeſſus, infamem deteſtatur Mahometem; quocirca properè abreptus in carcerem, ibidemque admonitus, quo die martyrij coronam foret accepturus; Nec multis poſt diebus, exceptis priùs libenti animo vulneribus multis gladio caput obtulit ſexto Iulij anno ſalutis noſtræ octingenteſimo, quinquageſimo primo. Eius ſanctiſsimæ reliquiæ à pijs fœminis religiosè fuerunt aſſervatæ in ſancti Auſeli templo, ubi Siſenandus literas addiſcebat. Theſaurum adeò pretioſum Cordubenſis Eccleſia cum Pace Iulia Siſenandi patria partita eſt. Anno ſiquidem 1602. brachium Martyris ſanctiſsimi ad illam miſit. Fuit tantum munus à Civitate exceptum ſolemni admodum pompa communique tripudio, ab eaque potiſsimùm die ſuum agnoſcit tutelarem, plurimis ob Divi memoriam popularibus à ſummo Paſtore indulgentijs elargitis.

Martinus Martyr.

22 Non debet involvi ſilentio tantis digniſsimus præconijs Martinus vir ſanctiſsimus Souri oppidi quatuor à Conimbrica leucis diſsiti Archipresbyter. Qui Taraſiæ Portugallenſis Reginæ primi Alphonſi matris ætate obſcuro detentus carcere Cordubenſi, qui Chriſtum vel invitis Mahometanis fatebatur, eodem ex ergaſtulo in æternam cæli Regiam evolavit.

Theophylus, Saturninus Revocatæ fratres.

23 Vianæ ad Minij os ſalutis humanæ anno 260. mortem pro Chriſto obiêre Theophylus, Saturninus, & Revocata, ut Dexter ſcriptum reliquit, Minervio adiudicante ſub auſpicijs Valeriani; Horum verò Martyrum authores plurimi & annales meminere.

Mar-

Martyres alij qui noſtra proximaque ætate Luſitanum nomen honeſtarunt.

1 Non antiquis tantùm ætatibus,& heroicis Mahometana rabies cælum noſtris hominibus honeſtavit, ſed iſtis etiam temporibus hoſtilis gladius magno cum decore Luſitano, cæleſtem ditavit Curiam. Proximo Emanuëlis Luſitanię Regis imperio,eiuſque filij Ioannis III.germani duo fuêre Gonçalus, & Ioannes Vaſæi Mahometanis parentibus in Africa nati ignobili pago prope montem Benargafate, qui ab Arzilla ſex tantùm leucis recedit. Fuit Gonçalus ſuopte ingenio bene moratus,oris colore ac lineamentis Luſitanũ potiùs ,quàm Mauritanum præferebat: procero,ac lacertoſo corpore, & firmo ſatis Cæleſti afflatus Numine inſignis eques Gonçalus animum Chriſto adiunxit, & illius militibus nomen dare percupidè exoptabat, cùm verò iam familiari conſuetudine noſtris hominibus eſſet notus, ſæpiùs Arzillam cautè ventitabat,ac ducem noſtrum, Borbenſem Comitem de ſuorum conſilijs admonebat, quid virium,quantaſvè copias in Luſitanos apparārent. Qua ex cauſa noſtro à duce perquàm familiariter excipiebatur, illius ingreſſum nullo alio ſubodorante, uno excepto , qui occulta excipiens porta ignotum, ad Comitem deducebat; Portę verò claves habuit idem Gonçalus, & Luſitanus alius eodem nomine Arabici peritus idiomatis. His ad noſtros ingreſsibus , & egreſsibus eam cum illis conſuetudinem eſt adeptus, ut non multò pòſt Arzillam ſecum attulerit & uxorem. Quæ ſe intra Chriſtianorum mœnia ubi vidit, de marito graviter queſta fuit,quòd immeritã ultrò in captivitatis ergaſtulum intromiſerit, aliud in Alcaçer oppidum commentus iter. Borbenſis Comitiſſa, cuius tam genus ſanguine, quàm ingenium virtutibus apprimè clarum fuit,mulieris mœrorem cernens blandè ſolabatur afflictã, illiuſq; curam iniunxit maioritanæ fœminæ honeſtiſsimę ſibi à cubiculo monens, mæren-

Gonçalidum Mauri eſſet,ingenium.

mærentem levaret & quo posset consilio ac blanditiis nostræ assuefaceret religioni.

Eius ad fidem conversio.

2 Gonçalus Vaseus Christo statim nomen dedit Mahometem detestatus; baptismatis ablutum fonte salutari Comes Borbensis, ac reliqui proceres Lusitani magnis honoribus sunt prosecuti, nec exiguis muneribus locupletarunt; ob usum verò familiarem, & quam cum Gonçalo contraxerat amicitiam, dum arcis portam ingrediebatur, eius in baptismate elegit nomen. Vxor Virum ubi vidit Christianorum sacris imbutum, eiusdem instituit vestigijs, & suscepto Marię nomine Christianam pariter suscepit legem, ab ipsiusque ducis ædibus veri iam coniuges prodiere munificè prębente Comitissa supellectilem. Fuit postea Maria matronis Aczilensibus insignis fæmina, & magni habita à fæminis popularibus. Ob assiduas in Maurorum fines excursiones Gonçalus magnas agens prædas sibi non contemnendas opes comparavit, quibus ædes amplissimas exædificavit. Cùm verò semel iret prædatum vitricum, fratremque cepit quatuordecim agentem annos; Illum verò dimittens, quod se parentis cura nutrivisset, istum Christo mancipavit, in veram asserens libertatem, nomenque indidit Ioannis: qui fraternam Gonçali indolem, moresque germanis moribus adumbravit. Evenit fortè ut Gonçalus suo muneri navans operam crus infringeret, & ex amicorum Consilio Tingim peteret, ut pręstantis chirurgi auxilio uteretur. Ibidem quatuor ferè mensibus moratus est benignè admodum ac liberaliter à duce & primoribus urbis acceptus.

Capitur à Mauris.

3 In pristinam igitur redactus sanitatem suorum desiderio ad Arzillam voluit pelago remeare, dehortantibus Tingitanis civibus, duce potissimùm, qui navigio diffidens minùs firmo quinquaginta equites itineris socios præstabat. Lembum tandem ascendens à Mauris inter navigandum capitur, cum ijs qui simul vehebantur; cæteri pecunia redempti sunt, uno excepto Gonçalo, quem Mauri captum summopere exoptabant, tam damnorum quę illis quotidie inferebat, quàm abiu-

rati

rati Mahometis cauſa, ut crudeles de prophetę ſui deſertore pę-nas ſumerent. Qui navim ceperant captivos omnes adduxere Tituanum, ubi nulla unquam præda maiori cum gaudio excepta eſt, vel ob unum Gonçalum, quem ut viderent, omnes undique confines populi confluebant: nec minori videndi, quàm illudendi aviditate, ut prophetæ ſui gratiam promererent.

4 Vocant Mauri ſuo nomine Gazibam, ludum, quem in legis ſuæ transfugas exercent, quam potiùs diram appellaveris carnificinam. Accurrunt undique & miſerum afflictantes nihil putant gratiùs Mahometi, quàm illius transfugam ictibus macerando publicum eidem omnes ſupplicium infligere, & qui ſanguinem expreſſerit, animi ſalutem certam ſe exiſtimat comparaſſe. Mandarimus (is Maurorum omnium crudeliſsimus id temporis oppido imperabat) vinctum, exutumque medio in foro iuſsit alligari Crate ad id muneris parata. Multa ad ſpectaculum confluxerant hominum millia, quos Gonçalus inſtar victimæ circumſpectabat. Advolat illico mater, germanique fletibus enixè deprecantes, ut in antiquam, & primo cum lacte exceptam Mahometis legem rediret. Nulla tamen vel blanditiarum, vel tormentorum vires Chriſti militem inflectere potuerunt; Quinimo lingua (quod unum habebat expeditum membrum) promerita in Mahometem, illiuſque Oratores convitia expromens totum ſe Chriſto deditum ſtrenuè fatebatur: & ob illius amorem plura identidem ſibi tormenta ingeminarent, hortabatur, quo ſimillimum duci ſuo militem efficerent, neque ſibi maiorem poſſe dari pœnam dicebat acerbius infligi ſupplicium, quàm ſi tormentis immanibus modum aliquem adhiberent. Comoçadar, circumſtantium unus, qui Laniſtæ obibat munus, prior Gazibam orſus eſt, omnes ilicò pro cuiuſque ſtudio iacentis corpus fædè incipiunt lacerare; Non tamen vulnera ita Gonçali corpus affligebant, ut Martyris lingua carnifices cruciabat, dum piè admodum & religiosè Ieſu

Maurorum carnificina in Gonçalum.

ac Mariæ nomina ſacroſancta compellabat, & infamem Mahometem convitijs onerabat nullis deterritus tormentorum ictibus, quæ in loquentem acerbiùs ſęviebant. Nec id ampliùs paſsi carnifices linguam conati ſunt evellere, forcipibuſque, & ferreis alijs inſtrumentis loquentis labia extorſerunt & effractis dentibus diſruptum os fœdiſsimè deturparunt. Quamvis tamen vocis ſonum præpedirent, non utique cordis clamorem, quem vel tacente lingua fortiùs ingeminabat, & ſupremi Numinis pulſabat aures ſui militis conſtantiam proſpectantis, neque inconditæ adſtantium circa voces tantam illi poſſent facere audientiam, quàm mutæ Gonçali voces ex intimo cordis ſacrario evibratæ. Vngues carnifex ſtatim à pedum, manuumque digitis extrahit, & digitos abſcidit minutatim; Tantùm in oculos non eſt ſævitum Mandarino ita iubente, ut poſſet viſis tormentorum generibus acerbiùs afflictari: Hæc inter ſupplicia, Chriſti miles ſtrenuè biduo perduravit, quin diu noctuque ulla fuerit intermiſsio cruciandi, donec exhauſto iam ſanguine, evaneſcentique virtute corporis, integra animi conſtantia triumphalem accepturus coronam in æternum capitolium evolavit, noſtræ ſalutis anno ſexto decimo ſupra milleſimum, quingenteſimum.

5 Huiuſce pugnæ, decoriq; triumphi teſtes fuêre oculati plures Chriſtiani, qui apud Mauros ſervitio tenebantur: & mercatores, qui per id temporis in oppido agebant mercaturâ, quorum teſtimonia publicè ſuſcepta ad Regem Emanuelem miſſa ſunt. Curantibus arcium ducibus Luſitanis, Meneſio Septæ, Ioanne Cotinnio Arzillæ, Eduardo Meneſio Tingis, Roderico Diaſio Soſia Alcaceris. Contendit ſedulò Rex Emanuël uti Pontifex Maximus Leo decimus ex Martyrum numero Gonçalum declararet, & Horarias preces Eccleſiaſtico ex more proponeret recitandas, illius tamen optatis mors obſtitit immatura.

Goncali Martyrij teſtes.

Ioannes Martyr Africanus.

6 Ioannes Gonçali frater, cuius virtutem ac pietatem conſectabatur, eam ob interfectum germanum animi contraxit ęgritu-

ægritudinem, ut Maurorum ſanguine nunquam poſteà iracundiam ſatiarit; in quos ita acerbè ſæviebat, ut captos nullo pretio divenderet, ſed pedes, ac manus amputaret, neque priùs deſtitit hoc conſilio, quàm eundem vita deſtitueret. Illius verò obitus fuit huiuſmodi. Fezenſi Rege Arzillam obſidente ab hoſtibus Ioannes capitur, & ad Regem properè ducitur, qui vitam largiùs decoram promiſsis capto offert, ſi Chriſtum, cui adhærebat deſerens, ad Mahometem quem deſeruerat, verteretur. Vt verò pectus invictum juvenis teneritudine demolliret, matrem, & conſanguineos adducit coràm, ſi quâ poſsit Chriſti militem expugnare. Qui præſentem animum tormentiſque maiorem præſeferens, ob illud tantùm ſibi fore ægritudinem fatebatur, ſi aliqnam in ſe miſericordiam exercerent, neque omnes expromerent in ſeipſum tortorum vires, uti reipſa indicaret, quem corde intimo ſervabat, Chriſtum; ſibi ad tolerandum maius meſſe robur, quàm carnificibus ſævitiem, aut iracundiam: & ad ultimam vitæ periodum faſſurum Chriſti, quam ſuſceperat, religionem. Hanc dicendi libertatem acerbis primùm verberibus tortores immaniſsimi caſtigarunt, & ſæviſsimis tormentorum additis generibus, demum aridis illigatum ſtupis, pice, & naphtha deſuper illitum palo validè aſtrinxêre, lentum ſubdentes ignem, ut acerbiùs conflagraret. Hoc crudeliſsimę mortis genere inſignis Chriſti miles Imperatori ſuo ultimam magna cum laude navavit operam, omnia abundè explens tam Chriſtiani, quàm magnanimi equitis munera, ſui maximum relinquens deſiderium commilitonibus, à quibus ſummoperè amabatur, florida obijt in ætate, adhuc enim quintum à vigeſimo annum non exceſſerat. Quanta verò accreſcit laus Cultori ſummo, quando à Maurorum ſpinetis dulces adeò flores colligit, ab infidiſsimis hominum tantam ſyncera in religione conſtantiam?

Triſtanus Attaidius Mart. in Africa.

7 Tingi præerat Triſtanus Attaidius Ludouico Laurerio demortuo ſuffectus, cùm civitatis portam ultrò pulſavit Maurus eques inſignis inter ſuos, ducemque adiens Luſitanum,

rogavit ſibi concederet Chriſti militibus aggregari, eo ſiquidem animo illuc veniſſet, ut Mahomete abiurato Chriſti religionem ſequererur. Luſitanus non citò credendum ratus Mahometano homini, paululùm eius moratur votum, ut animum probaret experimento. Interim ſuadet, ſe exinde Chriſtianum dicat, & Chriſtianorum dogmata paulatim ebibat, ſuo iam notus nomine, proinde Triſtanus vocetur Attaidius. Noſtri ducis mentem agnovit Maurus, & ut ſuum re ipſa ſtudium magis teſtaretur, nihil tantoperè curabat, ut in Maurorum fines infeſtus ire, & illis quâ poſſet, incommodare. Eò devenit audaciæ, ut ante Xariphum Regem, ſuorumque in oculis dum extra Marrochium ſui Paſchæ aderant ſacrificio, Mauros quoſdam captos traheret ad Luſitanum. Xarifius iracundia exæſtuabat, cùm tantam ſui nominis ignomiam intueretur; omnes igitur movet artes, maxima indicit præmia ſuorum fortiſsimo, qui audacem ac protervum ad ſe ſe hominem vivum traheret. Fortè accidit, quod ſæpè aliàs egerat Attaidius, ut ab hoſtium finibus victor ad noſtros remearet, cùm ab intentis in ſe unum hinnitu equi agnoſcitur, & belli caſu comprehenditur, ac tutò ad Xariphum ducitur, à quo avidiſsimè expectabatur. Rogatus verò, quæ tanta foret dementia, ut ſui oblitus generis adeò barbarè ſuam in patriam deſæviret, intrepidè reſpondit, ſe Maurorum habere nihil præter nomen vetus, & patriam: cæterùm ſe animo, ac religione Chriſtianum, acriter Chriſti hoſtes ad ultimum uſque interitum inſectari: Illicò iuberet Rex eius pro Chriſto conſtantiam experiri, numquam enim Chriſti nomen ſibi ſanctiſsimum ullo tormenti genere extortum iri. Rex ira percitus iubet caput illi ſtatim demetant, quod parvis ictibus ad doloris ſævitiem abſcindebant, dum interim ſuaviſsimè IESVS, & MARIAE nomina inclamaret infamem deteſtatus Mahometem, ſuumque ipſius ſanguinem contractis excipiens manibus, in caputque effundens precabatur, ut pro aqueo ſibi denegato

negato ſanguineum illud Chriſtus baptiſma vellet ſuſcipere: Dem ortui cadaver Mauri ex inſito odio lapidarunt, & canibus obiecere, qui per dies quadraginta circa tranſeuntes, & ſacrum venerati pignus morſu penitus abſtinuere: donec Chriſtiani hominis induſtria, qui Maurum pretio ſolicitavit, corpus terræ mandatum eſt, occultoque in loco cuſtoditum, dum Angeli manifeſto in cælis plauſu victricem animam excipiebant.

8 Non minorem Chriſti fides triumphum egit in Mauritania, noſtra ætate, anno ſcilicet octogeſimo quinto ſupra milleſimum & quingenteſimum, quem Luſitanus Orator Franciſcus à Coſta apud Xariphium Marrochij Regem ſatis locuples ſcripſit teſtis: & Pater Antonius à Conceptione ex ſanctiſsimæ Trinitatis familia, ad Albertum Cardinalem Archiducem Auſtriæ, Flandriæ modò Comitem; Res verò ex eorum ſcriptis ita habet. Inter Muleivacæ captivos fuêre adoleſcentes ſeptem, quorum maximus duodevigeſimum annum non exceſſerat. Erant illi magnis à Rege habiti in delitijs, à Deo tamen longè maioribus; Horum cura fuit precipua ex Hebræorum antiquo documento apud Regiam Nabuchodonoſor, ieiunijs, precibus, & eleemoſynis ſe exercere. Nullo externo magiſtro, uno eterni Numinis intimo magiſterio intermicantem fidei ſequebantur ſplendorem, eodemque conſilio decreverunt, quacnmq; oblata occaſione ſe vitam Chriſto ſtrenuè oblaturos. Ex his unus Hiſpano ortus patre à Malaca oriundo infami Chriſtiane fidei deſertore, Mauram referebat matrem: Natus ſiquidem Marrochij quintum decimum vix attigerat ætatis annum. Hunc cura præcipua Mahometanis dogmatis imbuendum Xarifius ſuis tradiderat Doctoribus, quòd optimum ingenij, & indolis ſpecimen prębuiſſet. In regia educabatur puer, divinis adeò oculis gratioſus, ut ſupremo afflatus Numine mirum in modum Chriſtianæ religionis ſtudio exardeſceret, eoque animi ardore brevi toam à pueris Luſitanis, qui in aula captivi verſabantur, ſanctam didicit

Septemadoleſcentum in Africa Martyrium.

Franciſcus.

didicit catecheſim, omniſque pietatis exercitatione mirum in modum profecit Franciſcus ab Spe, quod illi nomen inditum fuerat. Omnium primus virilem animum præferens ante annos coram Rege Xarifio liberè Chriſtum profeſſus: Eundem, Dynaſtaſque aulicos inſolito rei miraculo in ſtuporem penitus convertit, & iracundiam; qua percitus Xarifius illico iuſsit invictum Chriſti tyronem ſtrangulari. Antequam verò illigatus funiculus guttur frangeret, bis in fruſta raptus eſt, ut acerbius mortis genus mercedem pareret ditiorem.

9 Franciſcum ſecutus eſt puer alius Luſitanus Simon à Freitas Cetobricenſis, qui reliquos inter communem agebat Doctorem, alioſque & monitis incitabat, & exemplo. Nomina patriæque horum iuvenum fuêre Antonius Stephanius, ſive Sylvius, ut vocant alij, Cetobricenſis; Maurus ab oppido Collares, de quo mira pietatis, & conſtantiæ traduntur documenta; Dominicus ab oppido Gouvea; Ioannes à Pariſijs in Gallia, qui infelicem Sebaſtiani Regis expeditionem ſecutus Maurorum devenit in ſervitutem. Numerum explevit adoleſcens Ferdinandus Geneſius: Luſitanum dicunt aliqui ab oppido Monſonio: Gallaicum alij, & veroſimiliùs ex Baiona. Omnes hi decoram appetivêre mortem, Chriſtum inter barbaros teſtati, & laqueo intra Regiam ſtrangulati, Marrochienſi in civitate, Regni capite.

Simon.
Antonius.
Maurus.
Dominicus.
Ioannes Gallus.
Ferdinandus.

10 Non multo inde tempore interiecto clarum eadem in Vrbe pro Chriſto egit triumphum Dominicus à Turribus Luſitanus Mazagani popularis. Magnam hic cum quodam Chriſti transfuga ex uſu contraxerat amicitiam, quam ut meliùs exerceret, literis perditum hominis ingenium pertentabat orans, ac monens ad antiqua iterum ſupremi Imperatoris caſtra remearet, pollicitus dignos divinæ clementiæ amplexus, ſi reſipiſcens illam voluerit experiri. Ob iſtud crimen Xarifius vivum iuſsit ſolo obrui, quod mira animi voluptate Chriſti miles paſſus eſt, cruribus priùs ſecuri detruncatis, ne in extra-

Dominici Martyrium

hendis

hendis compedibus tortor immaniſsimus moram faceret. Horum Martyrum reliquias Orator Luſitanus apud Xarifium procuravit, & in Luſitaniam adducte magno fuêre habitæ in honore: Illarum partem maiorem Philippus Rex in D. Laurentij ſacrarium in Eſcuriale deferens pro ſtudio ac religione, qua Divos iſtos proſequebatur, loculis eleganter decoravit. Divorum præſentem operam ægrotorum plurimi experti ſunt, deſperatam aliàs eorum precibus adepti ſanitatem.

11. Non æquum cenſeo Marrochio excedere, ſilentio obvolvens egregios Chriſti teſtes, qui ſuo ſanxere ſanguine, quam pectore conceperant pietatem. Per idem ergo tempus Maurorum inſignis dux divino adductus numine Chriſtum amplexus, infamen deſeruit Mahometem; Quam verò laudem meruerat poſtea inconſtantiæ nota deturpavit, indecorè promiſſam denegans Chriſto fidem. Vt tamen hanc ignominiam maiori gloria compenſaret, ultro ſeſe obtulit tyranno conuitijs lacerans Mahometem, ſeque ipſum non minoribus, qui ſervatorem Chriſtum nuſquam talia de ſe meritum deſeruerit. Marrochiani ſtatim mænibus affixerunt ſuaviſsimè Chriſti nomen inclamantem & fædiſsimum prophetam agentem probrijs, donec Mauri linguæ impunitatem ægrius tolerantes, illam concionanti auulſere, caput cuſpede tranſverberantes: Petrum Nauarrum poſt Chriſti agnitum appellabant. *Petri martyrium.*

12 Eadem pariter in Civitate pro Chriſto obijt Hieronymus de Avila Hiſpanus à Guelua oppido. Millies Virum immani fuſte infra ſtomachum Mauri verberarunt, quo tormentigenere efflavit animam, quin aliquod inconſtantis, fractivè animi ſignum indicaret; ſed quo vires aſsiduo verbere languebant magis, eo validiùs & cordis, & oris virtus Chriſti nomen, ac Religionem fatebatur. *Hieronymus Martyr.*

Qui in India, aliſque Luſitanorum provincijs pro Chriſti fide ſuum ſanguinem effudere.

Multitudo eorum Martyrum.

1. Hactenus de Martyribus egimus Luſitanis, & ijs, qui in Hiſpania, vicinaque Mauritania ultro ſervatori Chriſto vitam offerentes, integram illi fidem vel & ſuo ſanguine præſtiterunt. Reſtat, ut exintegro Lectorum deſeruiam pietati, inculcare decora illorum facinora, qui apud Indos, & provinciales reliquos Luſitaniæ noſtris hominibus nomen grandius, & Chriſto Domino non minorem gloriam illuſtri obitu peperunt. Tenellos veteranis, & emeritis intermiſcebimus, ut maior inde gloria ęterni Imperatoris eluceat, cùm videbitur non Luſitanos tantum, & antiquæ fidei homines, ſed vel in fide novitios, & vix luſtrali ablutos Baptiſmatis ſacramento invictam morte Conſtantiam præbuiſſe. Vtrique ergo quo longiùs noſtris à Regnis triumpharunt, eo triumphum noſtros ante oculos referent clariorem: Neque enim Indicis margaritis parum conciliat venuſtatis, qua magis oculos intuentium aucupantur, longinquis è Regionibus importari.

Rodericus Martyr Luſitanus.

2 E Luſitanis Martyribus locum obtinet eximium Rodericus Botus. Armuziæ in regno Rodiricus Eduardo Meneſio prætore Indico Barenſis apothecę ſcribam agebat regium, ſub annum ſalutis humanę 1521. Inſolitum Mauri Perſarum tumultum in noſtros homines concitarunt, ubi ſeditiosè capitur Rodericus, & validis oppugnatur tentamentis; Modò promiſsis onerant, modò tormentis quatiunt, niſi Chriſtum deſerens turpiſsimo ſerviat Mahometi. Omnia verò Luſitanus invicta animi virtute habuit deridiculo, nec pectus illud adamante firmius ulla potuit vi aut arte expugnari, quin ſupra hominis barbarorum expertus rabiem tam ſe præbuerit robore Luſitanum, quam ad ultimum vitæ ſpiritum cęleſti virtute Chriſtianum.

3 Diſtat oppidum Catifa inſulam Barem reſpiciens è regione,

gione, ab Armuzia decem ferme leucos ſupra centum; Ibidem anno 1550. Martyrij gloriam eſt adeptus quidam germanus (Ioannem appellabant ab Agrippina Colonia oriundũ) qui varijs caſibus devenerat ad infelix ſuæ ſalutis infortunium, ſed Deus maximis è ſceleribus aliquãdo maxima ſolet hominibus commoda meditari, quo ſuam in nos magis clementiã manifeſtet. A Chriſto defecerat Ioannes Mahometi adhęrens, illiuſq; ſectę hominibus perutilem navabat operam, pulverem præparans tormentariũ, & tormenta librator inſignis diſplodens in Chriſtianos. Illius forſitan ad aures venit per univerſam Arabiam diſperſa Gaſparis Berzæi Belgę fama; Vnus iſte fuit è ſocijs Xaverij, & prioribus noſtrę Societ. hominibus, qui miro virtũtis, & operum inſignium ſplendore clarus plurimas in Chriſti Domini horreum fruges recipiẽs, non tantùm ſalutis ignaros monebat primùm, ſed plures etiam Chriſti deſertores ſanioribus conſilijs in frugem revocabat meliorem. Horum Germanus factus certior, tacitè ſupremo tactus Numine, in quam devenerat ſalutis aleam aſpexit, & ſuæ illum ſortis tædere cæpit, intimoque cordis ſacrario gemebundus divinam iterum ſtatuit clementiam experiri, & in rectam, à qua fœdiſsimè deflexerat, regredi ſalutis viam. E pulvere tormẽtario conficiens atramentum Gaſpari ſcripſit Latino, Gallo, & Belgico idiomate, orans enixè vellet perdito mederi, & afflicto: & rectum pœnitentiæ aditum aperire: ſibi nihil potiùs, & optatiùs, quàm eundẽ convenire, & ſuſcepto pro flagitijs ſupplicio Chriſto iterũ deſervire; Proinde daret operam cum Luſitanis, ut reſipiſcenti homini apud ſe liberum eſſe effugiũ paterentur: velle ſiquidem ire Armutiam, & Chriſti transfugam Chriſti militibus aggregari. Magnam nuntius Gaſpari lætitiã attulit, & reſcribens ilicò Luſitanorum gratiam illi certò promiſit, ſupremi verò Regis certiorẽ.

Ioannes Germanus Chriſti Martyr.

P. Gaſpar Berzæus Belga.

4 Cùm verò longè aliud foret Dei conſiliũ, vt priùs Ioannem ſibi voluit nullo internuntio conciliare, ita Gaſparis direxit epiſtolam, ut priùs in Turcę Catifę ducis manũ deveniret, qui lecta in ſævam excanduit iracundiam; Ioannem properè acciri iubet, rogat cui obtẽperet religioni? Non hęſitãter, inquit Ioannes,

nes, vultu hilari, & intrepido. Meam si rogas mentem, paucis habeto. Numquam à me Christum desertum iri, cui semper integrum cor dicaui, licet Mahometem fædissimum ore mentitus falso fuerim habitu insecutus, quod à me turpiter admissum piaculum, spero fore, ut clementissimus condonet Pastor, deuiam suum in ouile admittens ouem, extra quod via nulla salutis. Vix loquentem audierant Barbari Turcæ, cum efferatis animis distringunt gladios, & sæviſsima in Christi hostiam ingeminantes vulnera, diram sævitiem satiabant; neque tamen Ioannis explebant desiderium plura subinde appetentis, ut à quibus tantam inconstantię acceperat notam, sublimiori constantia amissum decus largiùs resarciretur. Vulneribus cadaver saucium abscisso capite detruncarunt, & cuspide affigentes supra murorum pinnas erexere. Ne tamen vindictam tanti sceleris cælum differret, illuc Lusitanam direxit classem, qua Antonius Noronia Arabicam illustrabat oram, ut latrocinijs perpurgaret. Eò igitur delatus Catifam oppidum expugnat, Turcarum præsidium ferro conficit, & arcem militibus diripiendam prębet, ubi Turcæ ducis in scrinio, Gasparis epistolam reperit, quam accipiens cum Martyris capite Armusiam detulit, patriąque donavit. Caput Gaspar religiosè veneratus, publica per civitatem deduxit pompa, & in templo maximo collocavit, insigne Ioannis, & divinæ gloriæ monumentum.

Ioannes Martyr, & sexalij.

5 Non decorum minùs egit triumphum Ioannes Perezius Lusitanus, annis maturus, fide maturior Christiana; nec non sex alij eiusdem laudis participes, cuius nomina æternis digna præconijs temporis iniuria periêre. Omnes hi in Diançi arce à Turcarum præfecto Solimano obsessi acriter pro tuenda arce ab infestissimis Christi hostibus decertarunt, illius custodiam obtinente Antonio Sylveria, uno è primoribus Lusitaniæ. Cùm verò belli casu quoddam à Turcis propugnaculum caperetur, illi summo in muro Mahometanum vexillum erexêre, crucis, quod ibidem fuerat, fœdè abiecto. Hanc Ioannes nostrę salutis signo iniuriam illatam ferens ægrè, divinoque incensus

ardore

ardore, ſuos affatus Commilitones: Iſtud nè patientur homines Luſitani? Ergonè à Chriſto dicimur Chriſtiani, & inuſtum tantum noſtro Imperatori dedecus inultum æquis animis tolerabimus? quò Luſitanum genus, quò fides, quò virtus, quò nomen excidit Chriſtianum? quo maiori vendendam pretio vitam ſervabo: vel quando mors illuſtrior vitam honeſtabit? Hæc inter ardentis animi ſigna præcipiti conſilio vexillum dejiciens Mahometis, crucis iterum erexit intrepidè; properè accurrunt Turcæ: noſtriſque terribilia minitati, crucis ſignum detrahentes indecorè infamis iterum attollunt prophetæ ſignum. Vix illud appoſuerant, cùm ſenex ſtrenuè ſuis comitibus ſtipatus deiecto, iterum victricem tertiò crucem extulit; Quartò denique, ac ſæpiùs inſtitere morti devoti potiùs, quàm paſſuri de crucis tropheo turpè Mahometis vexillum triumphare. Neque dum Chriſti milites vitam duxêre, Turcæ victoriam ſunt aſſecuti, donec falcatos nudantes gladios in conſtantem ſenem, eiuſque ſocios irruere, & ad unum omnes barbara ſævitia laniantes, demortuorum cadavera in mare proximum demiſere. Cùm tamen Deus ſuos poſt mortem vellet manifeſto miraculo honeſtare, quando illi divinam tuentes gloriam ita gloriosè fuerant præliati, adverſo maris æſtu, fluctuque reciproco abſiſtente, Divorum cadavera noſtram circa arcem Cælitibus ducentibus directo remigio adnatarunt, & æſtuarium ingreſſa, ad Luſitanæ arcis portam ſunt expoſita. Tantæ rei miraculo exciti Luſitani præſto accedunt, ſacroſancta ſuorum ſpolia excepturi, ſibi victoriam cæleſti promiſſam ſigno ad invicem gratulantes, quam poſteà per ſummam Ottomani nominis ignominiam, nec minorem claſsis ſtragem ingenti virtute ſunt adepti.

Ioannes Rebellus Martyr.

6 Recentem adhuc ſpirat gloriam celeberrimus ille triumphus Ioannis Rebelli Luſitani, qui Ciaulum in India, in qua uxorem duxerat, incolebat. Anno octogeſimo quinto ſupra milleſimum, quingenteſimum à Turcis captus Ioannes, Luſitanique alij; Illam enim oram prætervecti Turcæ prædones

Ciaulenſes mercatores incautos oppreſſere, & nihil ſimile cogitantes, quando hoſtes ſubitò ingreſsi portum nullo ſuorum periculo naves duas ſublatis anchoris magna cum præda, & captivos ſupra ducentos avehentes, eorum in numero Ioannem capiunt, navium præda ad centum & quinquaginta aureorum millia fuerat æſtimata. Ioannes Rebellus in gravem incidit ægritudinem, quocirca illum Turcarum dux Mombaſam à triremis ſcalmo miſit, non ut ægroti tantùm valetudinem, quantùm ſuum uti commodum procuraret, magno enim ſperabat pretio redimendum. Ingenti ardore febrium ægrotus æſtuabat, quem ut aliquo mitigaret ſubſidio, petijt, ſibi daretur ſaccari fruſtulum madidum, quo ſugendo ſitim levaret, id præſto ſe facturos omittunt Mauri, & omnia, quibus indigeat ægritudo, liberaliter largituros, ſuæ ſi conſulat valetudini conſilia ſecutus ſaniora, & Chriſti doctrinam reſpuens, atque ſancta Mahometis dogmata amplexans; Addunt multis id nominibus in deſperata valitudine fore commodum; & quamvis alia non forent, illud unum prudentem debere virum impellere, quod novos & opportunos eo facto ſibi amicos iungat, qui ſuo iam, & egregiè de ſe merito in ultimo vitę diſcrimine opitulabuntur. Numquam ego (miro animi robore ęgrotus reddidit) tanti unquam exiſtimavi ducendam vitam, ut tanto foret pretio redimenda. Tanti ſcilicet conſtat veſtrum ſaccarum. Id iuſtum aquę pretium ęſtimatis? Iſtam ſi canitiem, & quos illa teſtatur annos, penſitaretis, non incaſſum daretis operam, ut meum ſenium deturparetur. Quid meus in me Chriſtus admiſit ſceleris? quid non præſtitit beneficij? quid non ſpondet largiùs præſtiturum? Illum ego pro turpiſsimo deſeram Mahomete? eo me dementiæ miſerum vitæ impellat deſiderium, ut æternam, cuius mihi obſes, & ſponſor fidiſsimus extat Chriſtus pro fallaci commutem, & incerta, quam vates ſpondeat mendaciſsimus? Turpem, & infamem prophetam turpiſsimi hominum colite illius ſimilem vitæ exitum habituri: mihi mortem iucundiſsimam

mam cum meo mihi finite crucifixo. Mauros cerneres truculentis oculis, rabidis corporis motibus debacchantes. Cumque lingua concionantis eos acerbiùs afflictaret, pro saccaro, dulcique aqua, quam postularat, salsam afferunt, & dicentis os arena obturant, guttur reste obvolventes: Et equorum illigantes caudis per civitatis vias raptant Christi Martyrem, qui acerba in tortura Deo gratissimam efflavit animam. Ne verò diutiùs Barbari homines tanto tamque nefando facinore lætarentur, paulò pòst suæ perfidiæ dedere pœnas, funditus evertentibus Lusitanis Mombaçam urbem. Eo siquidem Martinus Alfonsus à Mello classem appulit, ex qua milites in littus exponens civitatem æq. avit solo, Regemque tyrannum Stambur, nullo suorum superstite iugulavit.

Ioannes insignis puer Christi Mart. Castellanus.

7 No. meritos tantùm, & annis graves, sed tenellos adhuc pueros flosculorum instar ager Indicus suo obtulit cultori. Hos inter nomen meruit perillustre Ioannes Castellanus à Methimna Campi ex domestico Laurentij Almeidę Lusitani proceris ministerio. E Goa Ciaulum vectus lembo, in quo heri servabat sarcinas, à Malabaribus inter navigandum capitur. Puerum Malabares forma ubi viderunt apprimè venustum, & liberalem (erat siquidem inter Goenses pueros oris, & morum elegantia valde clarus, nec tertium decimum expleverat ætatis annum) specie ducti pro munere non contemnendo Dynastæ Mauro obtulerunt. Capitur ille etiam forma pueri, & ingenio, quod notæ adeò liberales non dissimile promittebant; Captivum fovet, blandeque solatus monet de se optima sperare; ducturum uxorem suam ipsius filiam, quam illicò advocavit mundo muliebri eleganter percultam; Vnam tantùm ab eo dotem exigi tanto pro coniugio, Christum scilicet uti deserat, & famuletur Mahometi; hanc patere viam à servitio ad Imperium. Videres subitò liberalem illam, & ingenuam oris elegantiam obducta quasi nube hebescere, & torva, severaque oculorum nictatione terribilem pueri faciem, mitem alioqui, & innata gratia com-

mendabilem. Mauri promissa detestatur; Ante omnia Mahometem, cuius ille turpissimum Christiano obtulerat famulatum. Non destitit incepto Maurus, sed omnem denuo movet lapidem, nunc tela blanditijs illita, nunc promissis gravia, nunc denique minis horrida in tenerum pectus iaculatur, quæ turris instar adamantinæ reiecta crepidine, inani impetu cecidere.

Maurorum crudelitas in puerum.

8 Ad rabiem igitur conversi hostes omnia sævitiæ ante oculos expediunt instrumenta, ut puerilem constantiam, vel terriculamentis expugnarent. Inducias puer intrepidus postulavit, quas illi perquàm libenter concessêre, rati videlicet, quo maius cogitandi spatium præbuissent, eò validiùs à duro mortis metu pectus concutiendum puerile. Longè tamen aliud pueri consilium feliciorem exitum promittebat; Omne siquidem illud insumpsit temporis in exorando flexis genibus, & erectis in cœlum manibus supremo Numine, à quo suæ diffisus virtuti, vires & robur grandius exoptabat.

Pueri concio ad Lusitanos.

9. Ad Lusitanos dehinc versus cõcaptivos: Ne vos aliqua mei percellat (inquit) miseratio, Illustr. viri; nihil enim, ut scitis optatius Christiano quàm inter fædissimos Christi hostes robur, nomenque testari Christianum. Illud vos certissimò vellem scire, mihi nunquam maius fuisse oblectamentum, iucundius vitæ delitium, vel gaudium immortalius iis, quæ modò meum pertentant pectus. Angustam pectoris custodiam cor emicans iam pulsat crebriùs, ut tardam videatur tormentorum rabiem irritare. Nonne vos ex Lusitanica disciplina semel, ac centies experti estis, quantum prædulce decus valeat in certamine? Quid honesta morte iucundius? quid maiore dignum laude, quàm per densissima telorum nomen quærere gloriosum? si fucata, & fallax gloria apud mortalium pectora tantùm valet? quid immortale decus apud Christianum hominem non valebit? Istud nobis opposita tormenta pollicentur. Quid agimus Christi milites, dum maturum nobis triumphum immoramur? Tortores ergo intuitus erecto animo;

Agite(

Agite(inquit) veſtras in me vires expromite,quid ceſſatis? Corpus ultro præbeo lacerandum. Me tantùm pœnitet,quod mihi non inſit tantum corporis ad laborem , quantum erga Deum meo ineſt cordi ad amorem. Non una tantùm vita foret ſatis, multas pro Chriſto effundere exoptanti, quando brevis adeò,& inſtabilis certiſsimam lucratur aliam immoto decurſu temporis duraturam. Quæ vos tenuit ignavia? qui torpor detinet? In corpus ſęvite,compedes huiuſce animi,& compages carceris effringentes liberum præbete effugium ſupernàm in patriam volaturo. Feroces Barbari clamantem puerum comprimentes , ſummis à manuum pedumque digitis incipiunt decidere minutatim,& parva ſecantes in fruſta eo acerbiùs amputant, quò ſuaviùs audiunt ſanctiſsima IESV, & MARIAE nomina inclamantem , & lætiſsimis teſtantem vocibus nunquam ſibi maius ſolatium obtigiſſe, nec tormenta ſibi videri, ſed iucunda potiùs oblectamenta. Ita cœleſtis illa victima Maurorum manibus ęterno Chriſti convivio oblata inter delicatiores epulas fuit habita.

10 Vt his antiquo è Chriſtianorum ſanguine Martyribus, poma veluti recentia adiungamus , aliquos è novitio Chriſti grege apud Indos æquum erit recenſere. Martino Alfonſo à Sofia Indiæ prætoram agente ſupra ſexcentos hoſtili gladio periere in Inſula Manar, quòd ſe Chriſto aggregaſſent ſuſcepto Baptiſmatis Sacramento. Vbi Iafanapatani Rex, crudeliſsimus Chriſti hoſtis inſulanos agnovit vulgò noſtrę religioni nomen dare,acerbo ſupplicio decrevit illuſtre edere documentum,ut poſteris eſſet terrori , ne deinceps impunè alij dogmata ſequerentur, quæ ſibi tantoperè diſplicerent. Armatorum ingentem manum expedivit, qui inſulanos promiſcuè trucidarent,& indiſcretè, quotquot Chriſtum ſuſcepiſſent. Actutum parentes dicto in mitiſsimas Chriſti oves irruerunt feroces lupi,& quos audierant Chriſtianos nullo ſexus , ætatisvè diſcrimine iugularunt. Atrox iſtud facinus Chriſti Martyribus fortunatum, per totam Indiam Patinum oppidum illuſtre reddi-

Sexcenti eodem die Martyres.

dit

dit, quod à feliciſsimis oppidanis, antiquum nomen magno cum fœnore immutavit, vocant enim modò oppidum à Martyribus.

Ceilani in Inſula tres principes Chriſti Martyres.

11 Ceilani in Inſula (dixere veteres Taprobanam) cum primis nobilis fuit triumphus Regis filij natu maximi, qui tacitè cum Luſitano agens, uti ſibi baptiſmatis piaculare concederet lavacrum, à patre nobiliùs meruit honeſtari; Non enim aqueo, ſed ſanguineo ablutus eſt, à patre trucidatus; Tanti principis corpus pro ingenti theſauro excepit Luſitanus, & honeſto condidit in ſepulchro. Cælum ſtatim Martyris gloriam indicavit ingenti in aere Crucis ſigno, quod ex æquo alteri ſupra tumuli ſaxum effigiato reſpondebat; iſtud barbari ſæpius obliterarunt, ſed toties expreſſum denuo apparebat. Inſolitum adeò, & manifeſtum rei miraculum, multos incolarum commovit, ut ſacroſanctum Baptiſmatis adirent fontem, quos inter principis quidam fuit germanus, & frater alius patruelis ex Regis ſorore ortus, ad quem ex patrio Regionis iure Regnum proximè ſpectabat. Itaque tres eadem orti progenie in terris principes, eandem in cælo coronam ſunt adepti.

In ora Piſcaria plures à Mauris trucidantur.

12 Milleſimo, quingentiſimo, ſexageſimo ſexto decurrente anno in ora Piſcaria, cùm aliquot exirent Chriſtiani de more gentis piſcatum uniones, à Mauris intercepti, minis à perfidis hominibus oppugnari cæpti ſunt, ni Chriſtum exuentes Mahometem amplectantur. Eos tamen experti nullis vel precibus tractabiles, vel terroribus, ſperantes longiori ſupplicio poſſe domari, catenis onuſtos miſerum detrudunt in ergaſtulum. Hoc ſibi iucundiſsimum Chriſti milites teſtabantur; hilari vultu fœdam carceris intrantes domum, impellétibus Mahometanis, pugnis, colaphis, ac vulneribus nihil avidius exoptantes. Donec Mauri irritam ægrè paſsi operam mollibus pertentant artibus, id ſolum poſtulantes à captivis, uti precarios globulos, ſuæ religionis collo appenſa inſignia exuerent, & quam vellent deinceps tenerent religionem. Nihil tamen omnibus hiſce machinis apud firmiſsima pectora profecêre; palam

palam testantibus Christianis, nullo mortis genere, vel intra pectus conditam, vel signis exteriùs manifestam deposituros esse Christi fidem. Eo efferati responso Mahometani districtis adoriuntur ensibus defixis in cælum oculis, & sublatis manibus quinq; Christi testes, se se ultro acceptissimam in hostiam offerentes; Et quo invaserunt impetu, quinque abstulerunt capita coronis immortalibus novello ex agro fidei iam matura. Illorum nomina quo magis mortalium ex annalibus interire, eo vividiora æternis servantur monumentis.

Mulier apud Moluccas Insulas à Mauris Christo immolatur.

13 Apud Molucas Insulas uno ante millesimum, sexcentesimum anno, Christiana mulier à Mauris consanguineis agitabatur, ut abiurato Christi nomine vanum coleret Mahometis. Masculæ tamen virtutis fœmina in nomen, prophetamque fœdissimum expuens ad insanam impulit iracundiam consanguineum falsa suadentem. Is verbis subitò corripiens, ac verberibus, pugione tandem intrepidam transadigit, & confossum cadaver in mare dejicit. Illa tamen fide, ac stabili cœli statione conquiescit.

Sacerdos Lusitanus Martyr.

14 Mori in Insulis (sexaginta leucis absunt à Moluccis) pro Christo glorioſum obijt mortis genus Simon Vaseus sacerdos Lusitanus. Morum petierat Simon Ioannem Mori Regem, Christo recens aggregatum comitatus, qui Tornati Baptismatis lustrale adierat sacramentum. Cùm Mori incolæ fœdè promissam Christo negarent fidem, quam non erant hominibus exhibituri ingratæ mentis significationem? in sacros irruunt Christi ministros, qui alienę salutis causa, suæ extorres patriæ ultro transmiserant ad alienam; Et beatissimum Simonem conficientes parum abfuit, quin socium malè mulctatum, & fœdissimè saucium interfecerint.

Plures apud Moluccas martyres.

15 Quamdiu bellum Molucenses inter deseuijt, & Lusitanos (triginta annorum id fuit spatium) innumeros è populanibus Mahometana rabies mactavit Christo, qui iustiùs vitam acerbissimis tormentis dare, quàm pactam Christo fidem frangere ducebant. Quot, quamque acerba exhauserint supplicia

plicia nunquam ſatis recenſebimus; Ea quivis ex hoſtium ingenijs coniectabit. Alios enim niſi ſanctum fateantur Mahometem, in fruſta minutiſsima diſſecabant, & vivos ignibus ingerebant, ut carnificum in oculis nullo miſericordiæ veſtigio deflagrarent. Alios vivos, integroſq; figebant verubus, alios infando mortis genere exenterabant; gravidarum ſcindebant alvos, & fœtum viuæ matris viſceribus avellebant, matrem ſimul cum fœtu quem nondum enixa fuerat, illuſtri martyrio coronantes. Editos in lucem pueros ad lapides matrum in oculis allidentes, informi ſpectaculo lacerabant. His, ac ſimilibus ſævitiæ generibus Mahometani hoſtes in tenerum Chriſti ovile debacchati horribilem ſtragem edidere; Conſtat ſiquidem epiſtolis noſtræ Societatis Chriſtianorum abſumpta ſupra ſexaginta millia.

Octodecim in Banda Inſula Martyres.

16 In Banda Inſula anno ſeptimo ſupra octogeſimum, milleſimum, & quingenteſimum, 18. pro Chriſto obiere Chriſtiani, quos inter ſacerdos quidam fuit, Patrem Bonum appellabant. Nominis tanti aliquando oblitus ille (eam ſiquidem in Inſulam ob peccata aliquot fuerat relegatus) Boni tamen nominis omen fortunam adimplevit, non ſibi tantùm in morte Bonus, ſed ijs etiam, qui illius apud Deum patrocinium imploraverint.

Apud Mogorem veneno infans extinguitur

17 Magni Mogoris in Regia noſtrorum patrum, qui ibidem degebant in vicinia, duo habitabant Mahometani cõiuges mirum in modum ſuæ dediti ſuperſtitioni; fœmina cumprimis, quæ marito nuſquam voluit ſociari, antequam ex gentilium ritibus decedens Mahometi nomen daret. Puerum mulier, dum vir externæ militiæ daret operam, enixa eſt, & iuvenis pagani adhuc, ſed noſtris dediti, ſuaſione puellum duos natum dies ad patrem Emanuëlem Pinarium duxit, ut Baptiſmatis illum ablueret ſacramento; quod pater ingenti ſui, ac Chriſtianorum lætitia præſtans, matri reddidit ēducandum. Rem conſanguinei, & familiares ubi primùm agnovere, matrem appetunt convitijs, nec ulla verborum abſtinent contumelia,

quòd

quòd grande adeò in se, ac filium piaculum admisisset. Frangitur mulieris animus, cui masculæ veræ pietatis vires deerant, eoque res tandem venit, ut pueri avia Mahometicæ doctrinæ religiosa nimium observatrix puero venenum præpararet, & felicissimi in os cibum tabificum immiserit, nisi medicinam dicas potius salutarem, quæ vitam animo peperit immortalem. Vbi mater ex infantis crebris singultibus epotum venenum deprehendit amore tacta materno ad templum properè ducit, si quod tanto foret malo deprecans medicamen. Oblatum pater excipit, & ex anhelitu anxio haud dubiam puello mortem sentiens impendere, ad sacrum defert altare, ubi puer semisopitos aperuit ter ocellos Christi effigiem intuens sacrosanctam, quasi eundem oculis quæreret, quem paulò pòst soluto foret animo quæsiturus; statimque sacerdotis in manibus sacra veluti hostia Deo oblata expiravit, eodem die, quo humanæ salutis assertor de morte triumphum referens victor ad cæleſtem Curiam remeavit. Infantis corpusculum adeò remansit pulchrum, & iucunda colorum suavitate gratiosum, ut vel infidelium oculos insueto rei miraculo in se conuerteret. Illud pater apto in loco decenter pro tempore collocavit, magni, ut par erat, faciens thesaurum innocentiæ, nec non pulcherrimum florem martyrij, vel matre testante palàm ob Christianum nomen obijsse: alijs confirmantibus manifestè ob odium novercale adversus Christum Emanuëlem puerum interfectum.

Tres & viginti mortem pro Christo obeunt.

18 Anno item octogesimo supra millesimum, quingentesimum à Mauris capti viginti Lusitani egregiam solverũt Christo fidem acerbis prius oppugnati tentamentis, ut Mahometis dogmata, Christi posthabita doctrina sectarentur. Fœdissimi tamen Impostoris nomen meritis lacerantes iniurijs, tormentis afflicti primùm, pedibus, ac manibus colligantur, & æstuantes incenso oleo deiecti in lebetes ad amænum Christi viridarium abiere.

19 Eodem pro Christi nomine, non decorè minùs adoles-

Duo martyres in Sunda.

centes duo pugnantes cecidere; prioris triumphi origo ita habuit. In Sunda Insula infamis quidam Christi transfuga, qui ab incolis mixtam sanguinis trahebat originem, totum se adeò studiosè tradidit Mahometi, ut suam magis ex animo testatus impietatem quos poterat acutioris ingenij adolescentes in unum cogeret, ac dogmatis suæ perfidiæ erudiret, uti eodem veluti è magisterio dispersi in varias regiones seminarent quam à suo magistro ebiberant disciplinam. Horum quidam Alcorani præceptis instructus satis populum concionarurus frequentem convocat & Mahometicam religionem, qua valebat facundia summis usque ad cœlum laudibus extollebat. Concionatori ignotus Christi miles aures dabat; cùm verò animo latentem ignem non posset diutius simulare, quo vera illum religio impellebat, prorupit tandem, & omnium in oculis intrepidè surgens apprimè fortis adolescens, quę pro Mahometis ineptijs alius attulerat, facilè diluit argumenta, & in Christi effusus laudem manifestè comprobat, eius tantùm sub signo qui mererent æternum posse stipendium obtinere, neque alij nisi Christiano unquam patuisse in cælum viam. Suas ubi vidit amentias Mahometanus orator argui manifestè, neque adversus solem, quod aiunt, loqui posse, ex antiqua suorum consuetunine ad arma versus, nihil reluctantem gladio conficit Christi militem.

Laponius ibidem martyr.

20 Sexto tantùm à Baptismate mense adolescens alius Laponius eadem in Insula fortiter admodum pro Christo obijt. Cuidam serviebat Lusitano, cuius iracundiam veritus, quam commmoverat casu aliquo, ad Mahometanos se contulit eorum professurus instituta: parvo deinde tempore elapso superno attactus lumine, suæque melius saluti consulens ad Christum redijt, animum spondens firmiorem; Christianos igitur repetens suam arguebat inconstantiam, postulans uti meliora de se in posterum sperarent. A Egerrimè tulit Rex transfugium, & nihil exoptans aliud, quàm Laponium sibi darent, de quo debitas pœnas sumeret: omnes statim, qui in portu erant, apprehen-

prehendit Lusitanos, eorumque res iubet illico detineri minitans omnia, nisi adolescentem restituant, amissuros. Eos Iaponius ubi videt tot sua tantùm causa discrimina subeuntes, ratus sibi divinitus oblatum tempus, quo suæ posset notam diluere inconstantiæ, sese ultro offert in quodcumque sors tulisset, præsentem animo, ac firmum satis. Hominem Lusitani, viribus adhuc teneris diffidentes tentant retinere, omnia tamen suæ, ac suorum postponens saluti, Regem adijt spontaneus: se, suamque incusat levitatem, qui Christum optimè de se meritum pro turpi deseruerit Mahomete; proinde hortatur, ut firmiùs iam in nova prælia pectus quatiat visurus palam, quid mascula iuvenili possit in pectore Christi virtus. Iubet actutum Rex qua fuerat ira percitus, nudum hominem flagellis cædi, & probris onustum unco suspendi, gutture immanissimè transfossum. Ita collo suspensus Christi Martyr IESVM sæpius inclamabat, & illius fidei symbolum repetens bis, ac tertiò victricem addidit cælo animam. Felicissimum Divi cadaver multo redimebant pretio Lusitani, nulla tamen vel arte, vel pecunia, ab hostibus tantum excipere thesaurum valuere.

21 Tertius ijs è Regnis oriundus Mahometanis adhæsit iterum, quorum iam dogmata cum Christi fide commutaverat. Meliorem tamen in mentem, & consilia se recipiens saniora, ad veramque reversus pietatem liberè Christi nomen professus, se apertè Christianum prædicabat: paratus quidquid eidem tyranni rabies imponeret, præsenti constantia sustinere: Quod reipsa indicavit, cùm Rex Christi tantùm causa suspendi laqueo imperavit. Dum verò per publicam ad supplicium viam duceretur, Christianus quidam verbis illum accommodis solabatur, quem lætis intuitus oculis: Illud, inquit, mihi solatij est abundè, quod in patibulum properantem præconium antecedit. Quis enim suavior concentus mortis acerbæ casum dulcius poterat delinire, quàm vox illa, quæ servatam Christo fidem felicis indicat mortis causam?

Alius martyr ibidem.

22. Ad oram Piſcariam anno milleſsimo quingenteſsimo octogeſsimo à Mahometanis duo intercepti iuvenes: Luſitanus aliùs ibidem ortus alter; Varijs tentati machinamentis, ut à Chriſto tranſfugerent ad Mahometem, nuſquam à ſententia deiecti ſalutari mortem conſtanter ſubiere. Luſitanus verberibus primùm aliiſque afflictus ſævitiæ inſtrumentis, tandem caput obtulit ferro hoſtili decidendum. Chriſtianus alter à ſuis tentatus popularibus, ut ad avitam ſe converteret religionem, cùm renuiſſet conſtanter, ſtipiti alligatus, & Sebaſtiani exemplo ſagittis confixus aligerum cælo emiſit animum.

Duo in ora Piſcaria Martyrium adepti.

23 Eandem prope Maris oram ijdem Mahometani hoſtes Chriſtianorum naviculam armis cęperunt, & captis inſtantes acriter ſuadebant, ſuæ vellent ſaluti deſperatæ iam conſulere, Chriſtum exuentes animo dum Mahometis ſubeant famulatum; digna tamen veræ virtutis reſponſa dantes diſtrictis invadunt gladijs, & tria eodem impetu matura coronis immortalibus abſcindunt capita. Quidam è ſocijs Chriſtianus, qui fragile prima oppugnatione robur oſtenderat, ab hoſtibus vita donatus, in ſuumque reverſus oppidum, ſubito neruorum torpore captus eſt, nec poſteà ad antiquam redijt corporis ſanitatem, ſed lecto decumbens ſenſit diuturno experimento, quàm incertam noluiſſet amittere vitę ſortem pro certiſsima, quam brevi ſalutem fuerat excepturus.

Quatuor item ibidem pro Chriſto mortem oppetunt.

24 Per idem temporis miles Chriſtianus in magno Bengalæ portu in Maurorum deveniens poteſtatem, uno tantùm nomine vitam ſibi poſſe lucrari ab hoſtibus monebatur, ſi Chriſto abiecto infamem vellet prophetam conſectari. Meliori tamen proſpiciens vitæ Chriſti miles ultro ſe morti obtulit, quam conſtanti robore paſſus eſt. Haud multo deinde interiecto tempore cùm Luſitanorum navigium ab Acenis poſt multam editam utrinque ſtragem tandem belli fortuna expugnaretur, illico qui capti fuerant, acriter oppugnantur, ut falſa Mahometis dogmata, pro Chriſti tutiſsimis amplectantur. Reliquos inter Navarchum, & Nauclerum ſecum deferunt

largis

largis ſolicitant promiſsis, ut in ſuam pelliciant ſententiam fortes viros. Qui ante omnia promiſſa convicijs appetunt Mahometem, & Ieſum, eiuſque legem ſanctiſsimè commendantes, hoſtilem in ſe armant ſævitiem. Illi, ut eo acerbiori ſupplicio, quo foret lentius, Chriſti milites macerarunt, intra pedum, manuumque ungues acutiſsima arundinis haſtilia affixere; Cùm verò nihil tantus dolor Divorum conſtantiam imminueret, ſed quo magis invaleſcebant cruciatus, eo firmiùs Chriſtum exangui in pectore aſſervarent: tormentis indies geminatis, hoſtes crudeli mortis genere invictos paulatim extinxere, vitam donantes aliam vel inviti, nullis tyranni viribus extinguendam. *Lusitani duo Martyres.*

25 Nonageſimo ſeptimo noſtræ ſalutis anno poſt milleſimum, quingenteſimum ad Malabaricam oram Chriſtiana à Mahometanis capta navi, vir ac mulier ſimul capiuntur vetitam per licentiam ſuæ ſalutis immemores agentes vitam. Etſi tamen mores colerent minùs pudicos, puriſsimam coluere Chriſti fidem, dum vitam libentiſsimè obtulerũt ſuæ fidei nobile documentum, ne Mahometanis vitam ſub Mahometis ſervitio donantibus obtemperarent. Chriſtus enim (quæ in nos benigna ſemper fuit eius clementia) ex immundo vitiorum cœno pretioſas ſelegit margaritas. *Duo coniuges martyrium paſſi ad oram Malabaricam.*

26 Eandem circa oram Luſitanis aliquot eodem ferme caſu interceptis, inter eos militem Luſitanum, & è Franciſcana familia ſacerdotem in agrum duxere Chriſti hoſtes, & nullis arbitris fortiter quatiunt pectora adamantina, nullis parcendo minis, aut artibus, ſi qua poſſent à Chriſto transfugium ſuadere. Attamen magna animorum conſtantia teſtantur, ſe alacriùs vitam millies amiſſuros, quàm ſemel Chriſtum. Mauri eo efferati reſponſo in militem primò ruunt infenſis gladijs, & ſæviſsima infligentes vulnera minutatim lacerabant Chriſti nomen ſuaviſsimè compellantem. Interim ſacerdos in idem paratiſsimus afflictum ſocium hortatur, donec corpore diſſecto undique beatiſsimam efflavit animam. Ad mortem ſubeundam *Sacerdos e Franciſcana familia & plures aliquot.*

eundam pro Christo fortiter non deerat animus sacerdoti nihil avidius exoptanti, eius tamen optatis obfuit hostium avaritia, qui pro captivo ingens precium expectantes, pecunia redimendum conservarunt.

Puer Hispanus egregiam pro Christo mortem obijt.

27. Malabaricis item in Regnis Hispanum puerum fortunæ alea Mauro tradidit in servitutem. Filium Maurus habebat eosdem ferme natum annos; Exconsuetudine, ut fit facilè inter æquales, captiuum puer puerum teneriùs adamabat. Vt parens captivo filium libentiùs crederet, tentavit blandis primùm pectus hortamentis, vellet nato reddi similior pariter serviens Mahometi; ita apud se liberam fore servitutem: Nec servi sed liberi potiùs habendum loco. Non voce Christianus, sed sputo in dicentis barbam turpissimę suasioni responsum dedit. Iniuriam dominus simulavit, ut vel patientia ferocem pueri animum emoliret. Eisdem ergo victorem semel, secundò aggreditur tentamentis; Eodem tamen responsi genere à constanti puero reijcitur, qui sæpius in domini faciem, & in fędum Mahometis nomen expuebat, testatus se nullis umquam artibus à sanctissima Christi Religione dimovendum. Vi tamen Maurus luctantem apprehendit, atque in Mahometis fanum introducens, & Mauricum imponens capiti tegumentum, monet suæ iam insanię ponat modum: neque enim posse illius leges contemnere, cuius capite gestaverit insigne. Direptum tamen capite pannosum illud involucrum invictus puer in domini os coniecit, omnemque ademit spem in sua aliquando vota concedendi. Puerum ergo in agrum deferens sævissimis tundit fustibus, & crura ferro incidens crudelissima puero infligit vulnera, hæc virili constantia ante annos subeunti, donec inter acerba tormenta victricem reddidit cœlo animam.

Alius puer à Cunnale pro Christo interficitur

28 Quo tempore sęvissimus pyrata Cunhalius per mare Indicum Christiano infensus nomini grassabatur, nulli parcens immanitati, ut se quo magis crudelem Christo, eo pium magis, ac religiosum præstaret Mahometi; Christianum cepit puerum matre Indica, & parente ortum Lusitano. Duodecimum

mum annum attigerat puer, quem pyrata blanditijs, ac ſplendidis promiſsis voluit impellere, ut ſuo ſe prophetæ dederet: ita ſiquidem ſuis meliùs rebus proſpecturum. Senili tamen maturitate animi ingenuus puer, eius promiſſa, & infamem riſit prophetam, & Mauro tantum excitavit ſtomachum, ut ibidem ſuis ipſe manibus Chriſto hoſtiam abſciſſo capite immolarit.

29 Tunc etiam à Malabaribus Luſitana navis fuit intercepta, & cùm prædam victores partirentur, ſorte obtigere captivi quinque Mauro cuidam ingenij peracerbi, qui miro ſtudio ſuum proſequebatur Mahometem. Omnes igitur (pluris faciens pietatem in ſuum prophetam, quàm pecuniam, quæ ſibi à captivorũ pretio deveniret) ad maris oram deducit, ubi duos primùm adortus Luſitanos hortatur blandè, velint potiùs clementem dominum, quàm ſævitiem experiri, proinde ſecum reputent, quid ſit utilius; Mahometem colere; an, ſi renuant, ſuum illico pati (quem diſtrictum habebat) falcatum enſem? Illius tamen gravia dicta nihili facientes Luſitani Ieſu nomen ſanctiſsimum elatis vocibus celebrantes eodem ſtatim in loco repetitis vulneribus iugulantur. *Quatuor pro fide vitam effundunt.*

30 Duo reſtabant: alter Indus, alter ex genere Cafrum, ſicuti vocant; hunc primò invadit Maurus vitam pollicitus, ſi velet ſuæ ſectæ adhærere. Amore proſequebatur Cafer peculiari D. Antonium, decus unicum, & columen Luſitaniæ; Rogat proinde mira ſimplicitate, numquid Mahometani ſuos inter Divos Antonium haberent Luſitanum? Reſpondent, nuſquam ſibi Antonium ſanctum comparere: ne prudens, ac vigilans ridicula inſomnia curaret. Si veſtra, inquit, religio meum non colit Antonium, neque ego veſtrum umquam ſuſcipiam Mahometem; ſequar enim conſtanter ad extremum uſque vitæ exitum legem illam, quæ D. Antonium obſervabit. In dicentem irruit ferox hoſtis, & felicem crudeliter obtruncat ſervum falcato enſe reſecans in minuta; Hoc fortunato mortis genere ſervus in veram eſt aſſertus libertatem, verus nunc D. Antonij ſoda- *Duorum, ex ſuperioribus Martyrium.*

ſodalis,cuius precibus, ut par eſt credere, adeptus eſt quam vivus aliquando tam ardenter optarat, vitæ ſortem.

Vltimus illorum.

31 Quartum iam ad ſupplicium immanis laniſta properabat, in Chriſtianum incurrens Indum, cui quartum ſors dederat pugnæ locum. Socium ille imitatus rogat pariter, num Mahometani ſuos inter Divos Mariam Virginem ſanctiſsimã Dei colerent genetricem? Cui Maurus ſimile reſponſum dedit; Ego verò Indus retulit, quam Maria Virgo tenuit, fidem tenebo, nec diſsimilem ſuſcipiam religionem, paratus utique pro eadem, Deoque filio quidquid tormentorum fuerit, ſubire alacris. Quod ſtatim re ipſa eſt exequutus; felix nimium, qui ſuæ fidei fidem Virginis ſanctiſsimæ ſuſceperat exemplum.

32 Quintus deerat tantùm hoſtili gladio immolandus, cui tamen inſanientis domini pepercit ira: Mauro, qui illac tranſierat, ſuadente, ne furenti animo habenas omnino ſolveret; quinque igitur è ſocijs unus ſuperſtes manſit Luſitanus, cuius votis gladius, non animus defuit.

Martyres Iaponenſes.

Gaſpar, & Iacobus Martyres.

1 Vt ſupremus Eccleſiæ vinitor Iaponiam redderet pinguiorem ſuorum ſanguine ubertim irrigavit, quo fructum redderet lætiorem. Inter primores Chriſti martyres, qui ſuum ultro ſanguinem effudere, nobilis fuit in Xique Regnis Gaſpar, quem regionis Dynaſta inſtanter urgens, ut ad priſtinam parentum rediret, quam pro Chriſto miſerat, religionem, nihil ſuis profecit tentamentis. Quinimo Gaſpar quo poſſet liberiùs Chriſto ſervire, Nangazaqui exilium ſibi delegit ſpontaneum, ibique ſuis cum liberis, & uxore ingenti lætitia exulabat. Sed vel in exilio Chriſti hoſtes numquam fortunatum exulem deſerebant, & quo erant incenſi odio in Chriſtianos, Gaſparis adoriuntur domum, eundemque, & Iacobum filium interficientes, totam incendio domum, cum tenui ſupellectile evertunt.

2 In

2 In Firandi Regno annum prope ſeptuageſimum primum poſt milleſimum, quingenteſimum, martyrij palmam præripuere Iaponij duo, qui vitam potiùs obtulere morti, quàm ſemel divinę legis præcepto contradicere. Ex his alium iuſsit interfici ex paganis Matrona quędam, eo tantùm nomine, quod eius dicto parere noluiſſet, Chriſtianam coniugem, quam ſanctè duxerat reſpuendo, ut alteri contra fœdus coniugale adhæreret. Cùm verò lethale vulnus foret excepturus, flexis genibus oculos affixit cælo, quo animam erat ſtatim emiſſurus, ubi meritam martyrij lauream obtineret. Alium Barbari iugularunt, quòd ſervile opus feſta Domini die, ut pagani reliqui, nollet exequi, quo virtutis exemplo mirum in modum tenellos adhuc tyrones Chriſti firmavit. *Iaponij duo in Regno Firandi necantur.*

3 In oppido Xaqui quædam adverſus Chriſtianos tempeſtas exorta eſt, qua idola cogebantur venerari, ubi ſuam magis conſtantiam comprobarunt, parvi facientes patriam, ac rem familiarem, ut Chriſti divitem pauperiem conſervarent. Hoc conſpirantes animo ſtatuerunt Nangazaquim civitatem petere exulatum, nec diutiùs viginti immorantur, quin patriam mutent exilio. Id tyrannus ſuam reputans iniuriam tulit ægerrimè. Armatos igitur mittit, qui incautos dolo adorti interficiant ad unum omnes. Nec res caruit eventu, ſiquidem omnes fermè pro Chriſti nomine perierunt. Illorum corpora noſtræ Societatis ſacerdos Melchior à Figueredo ſepulchro condidit aliorum adiutus opera, qui in exilio perquam libenter degebant. *In oppido Xaquim viginti occumbunt.*

4 Milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo, ineunte anno paganus quidã Iſafai (ita populares appellabãt) duos è clientibus iuſſit interfici Chriſtianos, quod falſis nollent Pagodibus (ita falſa vocant Numina) obtemperare. Noſtræ Societatis homines, qui inter Iaponios id temporis prædicandæ fidei dabant operam, Martyrum corpora adepti ſunt, & quanta potuit fieri maxima curarunt pompa, ut novos inter Chriſti milites martyrij magis triumphum honeſtarent. *Ibidem duo ſervi Chriſtiani interfecti.*

Trx item in Vomura occiſi.

5 Vomurenſi in Regno ſub annum ſeptimum, ac ſeptuageſimum ſupra milleſimum, quingenteſimum, cùm perverſi hoſtes Chriſti vellent duo evertere Crucis trophæa, quæ diſsitis in locis erecta bellum inferis legionibus indicebant; non defuere duo ſtrenui milites Chriſti, qui ſuum ante vexillum decoram vellent tanto pro ſigno mortem ſubire, quàm ſuo quiſque in loco, noſtræ ſalutis ſignum propugnantes ſubiere.

Ancilla martyr.

6 In urbe item Funai puella homini Chriſtianis infeſtiſsimo ancillabatur, qui ſæpiùs Chriſti famulæ interminabatur, ne Crucem inviſeret, cuius mulier miro afficiebatur deſiderio, & ſæpiùs religionis ergo inviſebat. Illam herus obſervabat ſedulò, nec minùs illa ſuo ſtudio ſerviebat, donec cùm rediret aliquando domum religiosè crucem venerata terribilem in ſe deſtricto gladio herum offendit, cuius ictibus ultro devota glorioſum martyrij decus comparavit.

In Bungo Iordanes cum uxore & duobus filijs conſtanter obit.

7 Noſtræ ſalutis anno undenonageſimo, milleſimo, quingenteſimo Bungenſis Rex improvidus adoleſcens, & totius Iaponiæ Imperatoris minis, & patrui monitis, nec non aliorum à conſilijs victus averſam à Chriſto accepit mentem, illiuſque gregem adhuc tenerum ſuorum tradidit rapinæ, liberam faciens poteſtatem Chriſtianos afflictandi. Primùm in Funai civitate aggreſsi ſunt ſatellites Ioannem, ſive Iordanem ſexagenarium notæ iam virtutis, & fidei emeritę Chriſtianum. Sacerdotum ac magiſtrorum Ioannes vices obibat, quorum pro re ſua munus graviter exequebatur: Chriſtianorum filios ſalutari Baptiſmate abluendo, ægrotos blandè conſolando, demortuos ſepulchris condendo; paganos ſermonibus inſtimulando, & Chriſtianos ad virtutis conſtantiam muniendo. Certior factus Iordanes ſententiæ in ſuum iam prolatæ caput facili poſſet negotio concedens tempori tutiori receptu ſuę ſaluti proſpicere, & inimicorum paratam rabiem devitare. Id tamen ſuæ indignum exiſtimans fidei; & illius, quam de ſe præbuerat, opinionis, aliud longè conſilium inivit. Suos videlicet

emittit

emittit domo, & in noctem, quam noverat ab hoſtibus definitam, ædes comitatu vacuas, ſe ipſum pugnæ offert ſtatariæ nullis hoſtium viribus loco pellendum. Timentes illi ne Iordanes armatam ſuorum manum domi haberet ad iniuriam depellendam, centum armatos pariter ducunt ſecum. Cùm tamen domum accederent, nullum ſentientes ſtrepitum putavere de ſuis actum conſilijs, quando Iordanes eludens omnia fuga ſibi proſpicere maturaverit; ſuam inertiam invicem incuſabant. Eos Iordanes è domo ubi ſenſit colloquentes: Ne vos, inquit, turbatio percellat, à fuga prorſus alienum mihi eſt conſilium; ſi quem nomine iſto dolorem contraxiſtis, deponite, adſum enim ad vos excipiendum paratior, quàm vos in me tenditis expediti. En libens veſtrum propero in occurſum: Alacris igitur è loco ſurgẽs, ubi flexis genibus ſteterat, precabũdus, ſacram cum globulis è collo demittit bullam, & album induẽs amiculum, veſtem ſacris miniſtris familiarem, qua ſepeliendis præerat Chriſtianis, beatiſsimæ deinde Virginis effigiem, & crucem manu præferens, oſtium libens aperit hoſtili turmæ, & quod ſtatim futurum viderat, conſtanti animo opperitur. Poplitibus affixus ſolo corpus telis objicit inimicis, ſuaviſsimè Ieſum, & Mariam elatis clamoribus implorans, donec vulneribus certatim ingeminatis, quinto Calend. Auguſti victor occubuit pro Chriſti nomine. Martyris cadaver iuſsit ſtatim Rex à cruce appendi, collo demiſſam ſacroſanctam Marię Virginis ſervans effigiem, quam mortis inter acerba vulnera geſtarat manu. Nec multò pòſt Regis conſiliarij Iordanis uxori, duobuſque filijs, qui ſupererant, & alijs duobus alacrioribus Chriſtianis intulêre mortem, quam illi conſtanti virtute pro Chriſto læti ſubiere.

Paulo poſt duo alij occiduntur.

8 Eodem prorſus eventu fortunato, pro Chriſti fide in Noſe civitate obijt Ioachimus ſimillimus Iordani, & ita charus omnibus, ut communis parens vulgò haberetur, cui nulla fuit cura antiquior, quàm parvum pro re ſua fovere Chriſti gregem. Domi ſuæ habuit ſacellum divinis precibus dicatum, ſuoque

Ioachimus in Noſe urbe Chriſto mactatur.

ſuoque ſtudio valde accommodum, ubi fideles excipiebat de rebus animi conſulturos, inter quos ille magiſtrum agebat: illos, qui convenerant, ſedulò monens, qua pollebat facundia. Neque ſolùm Chriſtianis proderat, ſed multis etiam alijs, qui ipſius ſuaſionibus rectam ſemitam agnoſcebant. Hoc cùm duceretur ſtudio, ab hoſtibus dolo capitur, & in campum inſidioſè delatum, quo exarſerant Chriſti odio, crudeliter trucidarunt, anno undeſexcenteſimo ſupra milleſimum.

Sex & viginti Nangazaqui crucidantur

9 Illud verò illuſtrius Iaponia cælo præbuit ſpectaculum ſub annum milleſimum, ſexcenteſimum, cùm Nangazaquij ſex & viginti martyres pro Chriſto gloriosè admodum triumpharunt Taicoſama imperante, in quem Iaponiæ Regnorum ſex & ſexaginta omni liberum conſortio imperium delatum eſt. Sex inter omnes viſebantur Seraphici Ordinis, noſtræque Societatis tres, qui uno, & eodem conſilio, apud Iaponios verſabantur. Illos barbarus Imperator, quòd Chriſtum prædicarent Crucifixum: alios quòd magiſtrorum monitis obtemperantes, antiquas Maiorum ceremonias deſererent, affixit cruci. Videre fuit inter extremos barbaros Chriſti memoriam tot recentibus monumentis innovari, ſublatis longo tractu tot cruciibus, unde cælum tot opimis ſpolijs tantum exciperet incrementum.

In Fingo ſex martyrij laurea donantur.

10 Apud eoſdem Iaponios anno Domini tertio ſexcenteſimo ſupra milleſimum Fingi in Regno cùm ſæva in Chriſti milites ſeditio oriretur, Regis Cõiugedoni in noſtros odio, laudatiſsimo mortis genere triumpharunt nobiles duo milites, qui Chriſtianæ etiam militiæ nomen dederant: Simon alter, Ioannes alter audiebat: ambo præſtantes animis, & conſtantia præſtantiores; ubi tyranno fortiter oppugnãte, ut Chriſto terga verterent, nec quam promiſerant, ſervarent fidem robur, invictum præſtitere. Ioanni caput abſciſſum eſt Sumomati, Simone in urbe Iateuxiro ſuas intra ædes oppreſſo; ſequenti die eadem in civitate patibulis fuere ſuffixæ, Ioanna Simonis martyris

tyris parens, & Agnes illius uxor, itemque Magdalena martyris Ioannis uxor, ac Ludouicus filius septennis; Huic interfuere spectaculo, etsi noctu fuerit exhibitum, ad triginta hominum millia. Fuit martyrum triumphus perillustris ob insignia exempla virtutum, quæ toti Iaponiæ clarissimum præbuere documentum. Horum plurima misit Iaponensis Episcopus Ludouicus Cerqueira Philippo Regi Hispaniarum tertio multorum testimonio comprobata.

Plurimi martyres recentissimi in Iaponia.

11 Ab illa tempestate persecutio vehementissima concitata fuit in varijs Iaponiæ Regnis, ubi quàm plurimi vel in exilio vitam posuere, vel apertas sanguinis effusione illibatam fidem sunt contestati. Quorum eędem, & illustria facinora primitivę ecclesiæ ardori simillima, si non ęqualia, duxi satiùs non attingere, quàm stylo contractiori deterere. Interea noscì poterunt ex libro, quem Hispano idiomate composuit P. Ludovicus Pinarius nostræ societatis, Lusitanus, complectentem acta ab anno millesimo, sexcentesimo, duodecimo, ad millesimum, sexcentesimum, decimum quintum. A quo tempore multi alij gloriosè obierunt, ut ex epistolis Iaponicis nuperrimis accepimus; numerus illorum, quos liber ille recensęt, ad centum, & viginti Martyres assurgit, diversarum ętatum, ac sexuum, plerosque sanguine, omnes fide integerrima nobilitatos.

Christophori à Gama illustre Martyrium.

In Arabiæ piam mittitur.

1 Huic martyrum classi, æquum erit claram imponat coronidem clarissimus Christi Martyr, in quem unum claris honestandum insignibus omnia laudis argumenta confluxere. Insignis ille fuit dux Lusitanus Christophorus à Gama è primoribus Lusitaniæ dynastis vel à parentis Vasci laude satis inclytus, quando illius virtuti, & fælicibus auspicijs patefactum Orientis comercium orbis universus acceptum refert. Indię præturam

turam obtinente Stephano à Gama cum eodem Lusitani iunctis in unum viribus ad rubri maris sinum ultimum penetrarunt Turcas quęsitum, quorum classis ingentis famę per Indicum mare dispersa fuerat. Ex militibus classiarijs quadringentos in id delectos in AEthiopicum exposuit littus Lusitanus prætor, quibus præfecit Christophorum fratrem germanũ, uti foret auxilio AEthiopico Imperatori Christiano quidem, cęterùm à Romanis aliena dogmata obseruanti. AEthiopicus premebatur hostilibus postissimùm armis Gradameti Zeilę Regis, & Adelis Mauri Mahometicę perfidiæ valde dediti. Consilia, ac vires Maurus iunxerat cum Christiano (Radaganam dicebant) qui ab Imperatore defecerat, à quo Tygris prouinciam moderandam acceperat. Excensione facta, Lusitani sua explicantes vexilla ex militari disciplina, inistructo agmine per Abassiam iter faciunt. Antequam verò suas cum Imperatore iungant copias, illius suo in agmine excipiunt Matrem, quæ in valido Tygris prouinciæ oppido seruabatur; dum verò ita instructi, & in quemcumque fortunæ casum expediti incederent, Claudij Imperatoris quærentes castra à Rege Mauro compelluntur aperta acie decertare: Suas igitur explicantes copias Lusitani (tenues illæ quidem, cęterùm victorijs assuetę) quibus ingens Maurorum exercitus neutiquam pauorem intulit, sed laudis potiùs prębuit argumentum; siquidem à nostris fusus, & magna fuit suorum strage profligatus. Suos à fuga recipiens Maurus, ac maioribus firmans auxilijs belli aleam secundò experitur, & eodem eventu maiorique nostrum gloria è Campo saucius propulsatur. Hisce victorijs cœlum ducis Christophori inuictum nomen illustrabat, Maurorum vires infringentis, & bellicam virtutem minuentis, qua feroces, & effrænati Christianis hominibus insultabant.

Christophori, & Lusitanorum victoriæ.

2 Satis iam inter mortales clarus tot triumphis Christophorus, cœlestibus maturior visus est, ad quos viam straverant victoriæ, quas ab infidis hostibus reportarat: Deo siquidem ad martyrij gloriam vocante bellum tertio longè dispari apparatu in-

tu ingressus est. Rex suas valido bellatorum præsidio auctas in aciem eduxit copias; venerant siquidem barbaro mille auxiliares Turcæ sagittarij & sclopetarij, aliudque præsidium ex Babylonia cum tormentis curulibus bello maximè opportunis. Nihil ista Christophori ingenitam virtutem minuere, sed quo robore consueverat, parvam suorum manum barbarorum cohortibus opponit; neque aliàs nostrorum robur invictum, & feroces animi illustriùs patuere, quàm in hoc certamine, ubi sæpiùs hostium impetum sustinentes, sæpiùs illorum aciem impellentes, vires mortalibus maiores ostenderunt, donec ferrearum glandium, pilorum, ac sagittarum imbre obruti, & ab hostibus fuere dissipati. Attamen nostrorum iam acie fusa Lusitanus dux ex antiqua sui generis gloria, & quam sæpius testatus fuerat, virtute animi; numquam fuit sui muneris, aut sanguinis immemor. Quin strenuè prælians iustam in Christi hostes iracundiam satiabat: neque unquam vel lethaliter saucius se è medijs inimicorum armis recepisset, nisi illum sui compellerent, curantes ne dux clarissimus in hostium deveniens potestatem barbaris hominibus cederet in ludibrium. Interdiu latuit in sylva densis undique arboribus consita, ex qua egressus est siti compulsus, quam exhausto sanguine arentes venæ accendebant: Dum igitur prope fontem vulneribus curandis, & levandæ siti lassus incumberet, aniculæ proditur indicio armatis equitibus eius undique vestigia obsidentibus. *Capitur ab adversarijs.*

3 Captus ilico dux illustrissimus, ad barbarum trahitur Gradametum. Vel adversa, & infima fortuna, suam Lusitanus constantiam, & generis sublimitatem indicabat, quæ si in barbaro homine humanum aliquid inveniret, longè honestiùs exciperetur suum semper virtute locum obtinente. Illum tamen intuitus Gradametus, humanæ sortis oblitus probris, & verbis onerat indecoris, ac ducem apprimè nobilem, & strenuum, vestibus nudat, palamque, & suorum in oculis fœdissimè iubet flagellis cædi, nec non deformi spectaculo nudum circa exercitum circumduci. Animo ita intuebatur Christopho- *Christophori tolerantia.*

rus, ut vel inermis hoſtium cohortibus metum inferret, recentem adhuc illorum animis ſtragem innovans, quam armatus ediderat inter profligatos. Omnia verò Luſitanus præ oculis geſtans, Chriſti documentum, eo maiori ſubibat gaudio, quo maioribus affectus probris ſuo ſibi duci ſimilior videbatur: neque minùs ſe clarum putabat vim nunc ferentem, quàm nuper inferentem. Authores, qui noſtrorum AEthiopicam expeditionem ſcripſere, nihil addidere amplius, quàm ab ipſo barbaro Rege duci clariſsimo abſciſſum caput, & Turcarum Imperatori, ut munus gratiſsimum oblatum; ſed longè gratius, par eſt credere, ſupremo cælitum Imperatori illud priùs cæleſtes aulicos obtuliſſe.

Teſtimonia de Chriſtophori martyrio.

4 Vnum tamen inſtar omnium, authorem habeo, cui iure ſuo integra debetur fides, Melchiorem à Sylva, qui primatis Goenſis in AEthiopico imperio vices egit, & illuſtriſsimo Antiſtiti Alexio Meneſio illuſtrem huiuſce rei narrationem miſit, ut refert Reverendiſsimus Theologiæ Magiſter frater Antonius à Gorevea, Eremitarum ſancti Auguſtini Goenſi in cœnobio tunc Præfectus, nunc Perſidis Epiſcopus, eo in libro, quem ſcripſit de ſacra Goenſis Archiepiſcopi in Malabaricam regionem expeditione. Conſtat igitur his incorruptæ fidei monumentis, apertam fuiſſe Chriſtophori à Gama mortis cauſam, quæ triumphum martyrij reddidit clariorem.

5 Captus ſiquidem (uti diximus) & ante barbarum conſtitutus, ſpecioſo primùm nomine oppugnatur: priſtinum ſi velit decus maioribus cumulare titulis, id facturum Mahometi dum ſerviat, tunc enim totius exercitus imperium penes ipſum futurum, quo poſſet pro ſui roboris magnitudine nomen illuſtrius comparare. Si mea (inquit Chriſtophorus) tibi tam parvi fit animi virtus, ut armis infractam ab inani gloria duxeris infringendam, te ſaltem monere debuit, & Luſitanum nomen, & quod non minoris æſtimo, gentilitium, ne verba mandares vento, quæ meas ad aures vix audeant pervenire. Quòd ſi genus forem oblitus Luſitanum, quod unum in me

Mahometanorum promiſſa, & Chriſtophori reſponſio.

virtus

virtus nobile ſatis calcar habet, numquam ſanè, quod à parentibus mihi nomen eſt hæreditarium, amiſiſſem. Nomen verò decorum adeò, & liberale Chriſtophorum argueret aliquando vitam degere indecoram? Non id parentum gloria, non id Gammæ cognomen, non quam gelsi perſona ſuadebit. Chriſtum ſcilicet Chriſtophorus uti deſerat? Aliud potiùs tanti nominis omen inaugurat, me ſemper Chriſtum animo relaturum. Deerunt tibi, hoſtis acerbe, vires, ac robur: deerunt tormenta, dum mihi patiendi animus, & infracta conſtantia abundabit. Mahometem mihi ſanctum? Aut turpiſsimo cum ſervitio, vel totius orbis imperium Gammæ aliquando honeſtum fore? Quod ſi foret exoptandum tanto exercitui imperare, in quem forent acies dirigendæ? In quem libranda tormenta? In quem minaces gladij rotandi? In quem contorquendæ haſtæ, curvandi arcus, dimittendæ ſagittæ, infligenda vulnera? In Chriſti ſcilicet phalangem? In Chriſti milites? Vt quot fuerint meis è caſtris ſagittæ in oppoſitos expeditæ, tot Chriſtophorus dicatur Chriſti pupillam, vel intimum cordis ſacrarium petijſſe? Sævitiam in me potiùs barbaram expedite, diſtrictam mucronum aciem, & ſi quid habetis virium. Veſtra in me tormenta quid valebunt, probate impigrè; ineſt Chriſtophori in pectore robur grandius, ineſt virtus, honeſtam quę ſciat morte emere vitæ ſortem. Mihi hoſtes ignavi quandiu parcitis, tandiu partum animo triumphum denegatis. Alij fœdiſsimum Rex commemora Mahometem: tibi ſimillimo ſanctum dicito, ut turpes famuli prophetę turpiſsimo pareatis. Hoc barbarus reſponſo efferatus, regia dignitate depoſita, laniſtam egit caput ſuis manibus amputans invicto duci, in collum demittens validè falcatum enſem. Neque martyris prętantia alium cædis ſuæ miniſtrum niſi regium poſtulabat, ut hoc etiam nomine mors illuſtriſsima tanto Proceri honeſtiùs obveniret.

6 Ita in cælum martyrij laurea inſignis abijt, neque ulli fas eſt de martyrio illius dubitare, ut Chriſtianorum in Æthio-

Ab AEthiopibus colitur ut verus martyr.

pia religio adhuc teſtatur; in Tygri ſiquidem provincia, & confinibus ſolemnis habetur annis ſingulis dies, qua pro Chriſti nomine vitam obtulit. Quòd ſi manifeſtè adeò illius mortis cauſa aperto teſtimonio non conſtaret ex Angelica doctrina D. Thomę, quàm ſuperiùs inculcavimus, martyribus foret adnumerandus Chriſtophorus, qui in Chriſti hoſtes arma inferens occubuit, illorum potentiæ obſiſtens, ne Mahometicum ſub iugum univerſa cederet AEthiopia, in quam ferox tyrannus ſæviſsimè graſſabatur, non maiori cupidine imperandi, quàm prophetæ ſuo ſerviendi, cuius erat religioſus admodum obſervator, & inter ſuos Regem agebat pariter, ac ſacerdotem.

Infans Ferdinandus.

7 Non abs re eſſet aliquid ſubjicere de Principe Ferdinando Ioannis primi filio, quem diuturna inter Mauritanos laborum toletantia martyrem reddidit, ſed recurri poteſt ad peculiarem ipſius anacephalæoſim.

De Religioſis hominibus, qui tam in Luſitania, quam illius in provincijs pro Chriſto martyrium ſubiere.

Ex Benedictinis D. Irene, & Eleus.

1 Ex ſacra ſancti Benedicti familia accepit Luſitania illuſtrem virginem Irenam, cuius inſignis obitus, & Angelicum ſub Tagi fluctibus ſepulchrum non parum noſtræ patriæ important laudis; nec non ex eodem inſtituto martyrem ſanctiſſimum Eleum ſuprà retulimus, qui inter Cordubenſes pro Chriſti nomine interfectis nomen decoravit Luſitanum.

Ex Canonicis D. Auguſtini, Martinus, & Nicolaus

2 Divi Auguſtini illuſtris Canonicorum ordo, duos etiam Chriſti martyres inſignes protulit (antiquo atteſtante Canonicorum obitus libro, qui Conimbricæ in S. Crucis cœnobio aſſervatur) vocabant alium Martinum: Nicolaum alterum; Apud Marrochium ambo pariter ſunt interfecti.

Ex Franciſcanis quinque martyres Marrochienſes.

3 In eadem urbe præſtantes illi quinque magnæ Chriſti gloria decertarunt (vulgò dicimus martyres Marrochij) ex Seraphico ſancti Franciſci ordine ab Hetruria in Luſitaniam profecti, ut inde in Africam tendentes, priùs vitæ exemplis ſuum

cętum,

cætum, maximè cœnobium Ierabricæ honeſtarent: & poſt obitum ſuorum corporum theſauro Conimbricam. Quare noſtro videbimur iure noſtros, tot ex nominibus appellare.

4 Horum quinque ſunt veſtigia inſequuti eiuſdem familiæ quinque alij, quod antiqui illius, & iuniores memorant annales, nec non D. Antonius Archiepiſcopus Florentinus. Marrochium petiverant Chriſti milites eodem animi ardore Chriſtum barbaris hominibus nuntiaturi, quòd dum præſtarent ſedulò, & in ſacro Mariæ Virginis ſacello facerent rem divinam, à Mauris inſanabili in Chriſtianos accenſis odio, cum his qui intererant, ſæviſsimè iugulantur. Eoque inſaniæ devenere, ut per civitatem paſsim curſitantes, nulli mortalium generi parcerent, obvios quoſlibet Chriſtianæ pietatis cultores ad unum conficientes. Martyrum illuſtrem gloriam (etſi nomina interierint) cœli manifeſta præconia declararunt: quando eodem in ſacello, ubi demortuorum iacebant corpora, ſuaviſsimus Angelorum concentus eſt exauditus, qui barbaris Chriſti hoſtibus clarum exhibuit teſtimonium. *Quinque alij martyres Franciſcani.*

5 Anno vigeſimo ſeptimo poſt milleſimum ducenteſimum, uno vix elapſo, à Seraphici patris obitu, ſeptem eiuſdem filij, Septæ Maurorum, gladio cecidere Chriſtum profeſsi; antequam Septa victricibus Ioannis primi expugnata armis ſub imperium veniret Luſitanum. Divorum nomina ita habent. Fr. Daniel, Fr. Angelus, Fr. Samuël, Fr. Romulus, Fr. Leo, Fr. Nicolaus, Fr. Vgolinus; omnes in beatorum civium relati numerum à Leone decimo Pontifice Eccleſiæ cathedram obtinente. *Septem alij.*

6 Longo deinde annorum ſpatio interiecto, eiuſdem Seraphici ordinis Fr. Andreas ab Spoleto apud Mauros martyrij lauream adeptus eſt, Ioanne tertio Luſitaniæ imperante; Septæ noſtris cum hominibus verſatus eſt aliquandiu, magnum religioſi animi præſtans documentum, donec divini amoris incendio excitatus Lybiam eſt ingreſſus, Chriſtum efferis gentibus nuntiaturus, & fœda Mahometis mendacia, veriſsimo ſyn- *Martyrium Fr. Andreæ ab Spoleto Franciſcani*

ceræ fidei teſtimonio convicturus; quod re ipſa illuſtriùs adimplevit Chriſtum glorioſo mortis genere ita profeſſus, ut Rex Ioannes toti familiæ Franciſcanæ literis tantum martyrem fuerit gratulatus.

Tudecim alij.

7 Franciſcus Gonzaga illuſtriſsimus præſul Mantuanus, & Cardinalis, è ſacra iſta familia numerat plures alios martyrij claros inſignibus, in quibus non ultimi cenſendi erunt Frater Paulus Azevedius haſtis confoſſus apud Indos; ſagittis Frater Melchior Vlyſipponenſis Iafanapatani, cuſtos cœnobij; Frater Antonius haud initiatus, ſimiliter in India interfectus; duoque alij ad Malabares. Receus adhuc in Iaponia ſanguis ſpirat clariſsimorum ſex martyrum è Franciſcanis, quos acerbiſsimus Chriſti hoſtis Taicozama in urbe Nangazaqui affixit crucibus, cum duobus pariter è noſtra familia ſocijs, uti ſuperiùs inculcavimus.

Ioannes Sobrinus Carmelita.

8 E ſacro ordine montis Carmeli Tritemius F. Ioannem ſobrinum refert Luſitanum, ſuæ ætatis concionatorem apprimè clarum. Apud Anglos ſuam miro ſtudio facundiam impendit falſæ, aliquorum doctrinæ obſiſtens: ubi inſignem, qua præſtitit, eloquentiam, & ſacram ſcientiam indicavit. Inde in patriam reverſus ſuis non vulgare commodum apportavit; Tandem ab hoſtibus fidei Chriſtianę veneno eſt abſumptus; neque enim ęquis animis patiebantur ſuas ineptias adeò manifeſtè diſsipari.

Martyres ex Prædicatoribus.

9 Clariſsima Prędicatorum familia, quemadmodum apud alias regiones Chriſti nomen maximè honeſtaverat, ſuis potiſsimùm, qui doctrinam à ſe verbo traditam firmiùs ſuo ſanguine conſignarunt; ita noſtris etiam in Regnis ſingulare documentum præbuere. Magna Chriſtiani nominis gloria Fr. Hieronymus à Cruce Dominicanæ familiæ Sionis in Regno cæleſtis verbi ſemina ſpargebat: Mahometani verò uti in Chriſtianos homines ſunt animati ſanctiſsimum Chriſti nuntium, à quo ſibi tantam indies videbant iacturam fieri, odio plùſquam Vatiniano inſectabantur. Quo igitur poſſent ab infeſtiſsimo

Fr. Hieronymus à Cruce.

ſtiſsimo ſibi pœnas ſumere, tumultuariam cum Luſitanis miſcent rixam, ubi cùm Hieronymus tumultum excipiens furentium animos ſedare aggrederetur, quem Mauri in Luſitanos animum ſimulabant, in unum Hieronymum convertêre, & crudeli impetu confixerunt. Ingentem attulit triſtitiam ſanctiſsimi hominis mors immatura, non Chriſtianis tantùm, quorum ille parens communis, & magiſter putabatur, ſed barbaris etiam, & infidelibus, quos mira ſuavitate ingenij, ac doctrinæ conciliabat; Quin & Rex ipſe tam iniquè Hieronymi necem tulit, ut Mauros omnes tanti ſceleris artifices, ſupplicijs affecerit peracerbis. Beatiſsimi martyris corpus religiosè ſuſceptum ad Malacam fuit addductum, ubi ingenti pompa, prout tanti viri poſtulabant merita, per urbis plateas effuſus populus ſacrum proſequebatur theſaurum; Comitatum illuſtriorem reddebant Malacenſis Epiſcopus, & urbis Præfectus, cum reliquis Proceribus Luſitanis. Detecta vero capſa, ubi ſacra vehebantur oſſa, ſuaviſsimum quotquot aderant, odorem ſunt experti. Omnia Malacenſis Epiſcopus Georgius à ſancta Lucia eiuſdem ordinis Prædicatorum in Luſitaniam miſit, fide ac publico teſtimonio comprobata.

10 In eodem Sionis Regno, parvo interiecto tempore, interfectus Frater Antonius à Peſtana Luſitanus, qui ibidem pios ſanctiſsimi martyris Hieronymi à Cruce labores proſequebatur, Chriſto adiungens barbaros illos, à quibus tantum beneficium accepit pro labore indefeſſo, quo illorum tantùm vitæ ſtudebat. *Fr. Hieronymus à Peſtana.*

11 Illuſtriſsima Eremitarum Divi Auguſtini religio nobilitata fuit anno 1598. inſigni martyrio Fratris Auguſtini à Roſario nati Goltijs in Luſitania, qui in India à Mauris captus, & delatus ad Cunhalium famoſum ea tempeſtate prædonem, & acerrimum Chriſtiani nominis hoſtem, cùm ferre non poſſet feſtivas barbarorum acclamationes, & laudes, quibus in conditè pſeudoprophetam Mahometem proſequebãtur ob naves Luſitanię prędam, neq; blaſphemias impuro ore in Chriſti fidem *Ex Eremitis D. Auguſtini.* *Fr. Auguſtinus à Roſario.*

fidem intortas, in illos vehementissimè est invectus ex imo navigij gurgustiolo, in quo vinculis detinebatur, & intensa voce, Dei, & Christi Domini præconia, maxima verò opprobria Mahometis, & illius sectatorum, renuentibus Mauris ingerebat. Illi ergò furore perciti, in infontem advolarunt, & calcibus insultantes, post fustes, ac alapas, in superius navigij tabulatum funibus extraxerunt; Ibi hasta transfixum, & multis gladij ictibus transverberatum, abscisso capite dignissimum sua familia, & Christi professione martyrem reddiderunt.

F. Nicolaus à Melo.

12 Apud Moscovitas anno millesimo, sexcentesimo, decimo quinto vivus in ardentem pyram iniectus fuit, eiusdem Ordinis Fr. Nicolaus à Melo Lusitanus, igneæ cuiusdam fidei, ac pietatis, qua incensus ex patria in Mexicum ad fidem prædicandam: ex Mexico in Insulas Philippinas, inde Malacam, & Goam profectus, tandem in Persidem, & Moscoviam pervasit. Ex qua glorioso certamine cœlum obtinuit ætatis anno sexagesimo sexto, initæ religionis quadragesimo, captivitatis in Moscovia, quinto decimo, ubi sæpius in vincula compactus, & diversis fuit ærumnis conflictatus.

F. Nicolaus Laponius.

13 Laponium puerum in Insulis Philippinis idem Fr. Nicolaus Christo; dein suæ religioni, tandem lateri adiunxit, & suo nomine insignivit, quem duos ante suam cædem annos proprijs intuitus est oculis martyrij laurea redimitum, abscisso prius capite ustulatum. Illius cadaver Dux Moschorum iussit canibus prædam dari, quod illi, etsi impasti, & humano sanguini, & carnibus assuefacti, nec primis læsere morsibus, sed à carnificibus instigati, veluti venerantes odorabantur, & cum omnium admiratione recedebant.

Marty-

Martyres Societatis Iesu.

1 Iam Christus Dominus suam Societatem in totam Europam, Africam, & Asiam, inter hæreticos, Mauros, Paganosque disiecerat, quin aliquis ex illius assectis martyrij palma exornaretur; octavo tamen anno ab illius in Indiam ingressu; primi sanguinis libamina excipere dignatus est in illius honorem, quem ipse octavo die infantulus effudit, ut magnificum redderet sanctissimi Iesu nomen, quod ipse tunc sibi adaptavit, & posteà eodem voluit nostram Societatem, ultrà quàm dici potest, nobilitare.

2 Primus, quem oblati sanguinis antistitem cæteris præire Deus voluit, fuit Pater Antonius Criminalis Italus in oppido Sisi iuxta Parmam in lucem editus. In Societatem ascriptus fuit anno Domini 1542. in martyrum cohortem anno 1549. Morti causam suppeditavit, & insigne odium infidelium, & insignita charitas, qua vir ille sanctissimus in ora Piscaria, & oppido Punicali Christianos omnibus pietatis officijs demerebatur. Cùm enim impendente barbarorum tumultu, se in Lusitanorum Myoparonem recepisset, inde intuitus ingentem exercitum Badaganum à Rege Narsingæ, & Brathmanis submissor, ad ulciscendas iniurias, quibus Christiani illorum simulachrum, nomine Fricandur, deturpaverant; Igneus illius zelus, & ardens charitas pati non potuit, ut pauperes, nec admodum in fide vegeti Christiani tam sævis hostibus in prædam exponerentur. In terram exscendit, contemptis Lusitanorum obstaculis, & precibus: rectà pergit in templum, ubi anteà horis matutinis divinum sacrificium peregerat, dignum est enim, ut sacerdos (quod dixit aliquando D. Ambrosius) ibi tumuletur, ubi sacrificium offerre consuevit. Ex eodem loco postquam se, ac totum Christianorum gregem Deo consecravit, illos cæpit ad navigium compellere, præmissis mulieribus, & pueris. Mauris tamen, atque Ethnicis densiùs ingruentibus

P. Antonius Criminalis hastarum petitionibus confossus.

D. Ambros. epist. 85.

proceſsit obuius Domini ſacerdos, ut fortiſsimo ſui pectoris muro tumultuantium petitiones retunderet. Illos propiùs accedere conſpicatus Deum precatur, aut teneras illas fidei plantas à barbarorum æſtu tueatur, aut ſe pro illis, vel cum illis obire patiatur. Corporis ſtatu in genua declivi primum haſtæ inflictum, & mox ſecundum, ac ſubinde tertium excepit. Ac ſubitò amputatum illius caput maximis tripudijs illatum fuit in idoliphanum, & eminenti loco ſuſpenſum, non tam ut perfidiæ donarium, quàm ut Chriſtianæ religionis trophæum. Nec dubitari poteſt, quin inter martyrum Centurias referendus ille ſit, qui ſe devovit non ſolùm pro temporali Neophytorũ vita, ſed maximè pro ſpirituali, quam hoſtes potiſsimùm nitebantur vel ſuperſtitionibus inficere, vel armis labefactare; Qui finis ſpectatiſsimum martyrium excudit iuxta ſententiam Angelici Doctoris à nobis ſuperiùs adducti.

Nonius Riberius veneno extinctus.

3 Eodem anno fœcunda fuit Societas nobili partu Patris Nonij Riberij, qui in Molucis Inſulis apud Amboinum ob converſionem Ethnicorum, & Neophytorum conſervationẽ, inauditos labores, naufragia, pericula, & Maurorum infeſtationes exanthlavit. Quibus cùm ingratus eſſet uberrimus ille fructus, aliquando ignem tugurio, in quo hoſpitabatur, ſubiecerunt. Cumque ignis non fureret ex illorum voto, venalem quendam hominem pecunia corruperunt, ut inopinantem aut ferro tolleret, aut ueneno: quo per fraudem hauſto interijt omnium iudicio 22. Auguſti die, anni 1549.

Ludovicus Mendezius capite cæſo.

4 Sub idem tempus Ludovicus Mendezius, qui miro animi ardore Chriſtianos in ora Piſcaria excolebat, (in quam à Beato Franciſco Xaverio deſtinatus fuerat, cùm ad Sinas profectionem adornavit) poſt duos ictus lethales, ab infidelibus incuſſos, ab illis tandem in templo noctu ante aram vigilans, detracto capite amplior eſt reditus, & Martyrij corona exornatus.

5 Anno milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo quarto,

quarto, cùm ante quinque Societas in Brasiliam pedem intulisset, ibidem Deo obtulit duorum filiorum sanguinem, quem barbari sagittis expressérunt. Vterque inter primos in ea Provincia Societatem est amplexus; Alter Petrus Correa dicebatur claris ortus natalibus, qui sicut cùm priùs Regi militaret, maximis incommodis Ethnicos attriverat, ita postquam Dei militiæ nomen dedit, se totum divino obsequio, & incolarum auxilio dedidit, varias excursiones in mediterranea faciens, ut ad molliorem ritum illos traduceret, & Euangelij splendore illuminaret; Alter, Ioannes à Sousa antiquæ innocentię, & simplicitatis alumnus, quem Dominus inter medios cleros, vel ut alij transferunt ex Hebræo inter lebetes dormientem, ex culinę semiustulatis lignis, ollis, ac fuligine, ad deargentatas coltimbę pennas, & auri fulgore pallescentes, ob martyrij lauream traduxit. Incentor huius cædis fuit homo Castellanus inter Indos efferatus, & odio in omne societatis nomen mirè sæviens, quod unus ex nostris, cui & vitam, & libertatem acceptam referre debebat, concubinam avulserat, & iusto matrimonio collocaverat, cum Brasillide eodem, atque illa interficiendis, & ferino convivio absumendis cogitarent. Hanc ob causam homo teterrimus totam illam colluviem in duos Dei servos incitavit, eos & periuros, & omnis boni disturbatores prædicans, & nihil aliud moliri, quàm Brasili populi servitutem & vastitatem.

In Brasilia Petrus Correa, & Ioannes à Sousa.

Psalm. 67. v. 14.

6 Quid extrà mare in novum orbem ad barbaros transcurrimus? Intra Lusitanię fines portentum repertum fuit, quod Patri Emanuëli Fernandio Tingitano, ardentissimo prædicatori, & lectissimo animarum administro mortem indignissimã importavit. Heluijs (quæ nobilis est civitas in Provincia Transtagana) nostris functus ministerijs, plurimos à vitæ impuritate ad sanctitatis desideria, vitamque integriorem transtulit; Inter cæteros fęminam & genere, & sceleribus nobilem à publico & infami contubernio dimovit. Quid non mortalia pectora cogit infamis amor? Nefarius ille contuber-

P. Emanuel Fernandius arena sacculis in ipsa Lusitania contusus.

nalis ultionem animo induit: in furorem agitur: Dei ſervum vita dejicere conatur lethi genere inſolenti, & eo ſerviori, quo lentiori. Regrediebatur optimus concionator in Collegium Eborenſe plenus laudatiſsimæ ſegetis manipulis; ſed Deus illi fructum centeſimum vel ex arena ſterili præparabat. Ex obliquo in eum incurrunt aliquot ſicarij velato vultu: irruunt, & ſacrilegas manus Dei ſacerdoti admoliuntur: in terram dejiciunt, pedibus proculcant, & extractis arenę ſacculis in eum finem anteà conſutis, pietate omni abiurata, tundunt, ac molunt. Ex diro hoc Phalaridis, an Buſiridis, invento, ita contuſus remanſit, ut brevi animam egerit, cùm tamen interea, neque levem querimoniam emiſerit, neque verbum extulerit, unde in minimam ſuſpicionem authoris quiſquam deveniret. Conſtanti tamen fama, ubique pervulgatum fuit, hanc cædem illi irrogatam, quòd animas peccatorum nexibus exolveret. Peculiaria virtutum exempla, & admirabilis illius charitatis, qua poſtquam ita verberatus, & commolitus fuit, ſicarios blandè increpuit, eoſque ad peccatorum dolorem, & exomologeſim pertraxit, qua unum ex illis ſtatim expiavit, in Societatis annalibus deſcribentur.

Alius cuius nomen in curia interiit.

7 Quendam ex noſtris nondum ſacris initiatum, in promontorio Comorino Chriſtianos ſanis præceptis imbuentem Indi in odium fidei, pro alio Societatis religioſo ibidem gnaviter laborante peremerunt; grato quidem ipſi, & opportuno errore; neque enim credibile eſt fraudandum præmio, quod alter obtineret. Nomen illius apud homines eſt in oblivione, apud Deum æterna memoria commendabitur.

Martyrium Patris Alfonſi de Caſtro.

1 Pater Alfonſus à Caſtro Vlyſipponenſis poſt novem annos in Molucenſi agro ſtrenuè collocatos, ubi totum illud tempus

tempus ſuperiorem & indefeſſum prædicatorem egit, matutino tempore Luſitanos, veſpertino incolas inſtruens, & pueros ſingulis diebus erudiens catecheſi, cùm aliquando Myoparone ex oppido Tollo in Inſulam veheretur, ſecum deferens ſacrarum veſtium apparatum, ignoranſque indigenarum defectionem adverſus Eduardum de Saa Prefectum arcis, qui illorum Regem in vincula compegerat, obvios habuit duos adverſariorum lembos profectos ex Inſula, quæ Ternati adiacet. Hi in noſtros tantæ novitatis imprudentes impetum fecerunt, & Patrem ſervituti addictum cum duobus pueris Ternatem importarunt. Illius Regulus Mahometana ſuperſtitione recoctus, tantum Chriſtianæ religionis odium imbiberat, ut Patrem Ioannem à Beira induſtrium illius evulgandæ militem occidi curaverit, & oppidum in quod divertere ſolebat ferro, & flammis devaſtari; & quia ipſius ſatellites cunctanter ſe operi accinxerunt, ultra octoginta crudeliter trucidavit. Inſulani conſpecto Patre in rabiem acti, & multò diriùs, poſtquam falſo rumore iactatum fuit, ipſorum Regem ab eodem in ergaſtulum coniectum; ipſum comprehenderunt, & funibus veluti quadrupedem, atque omnibus exutum veſtibus, alligarunt. Sed quia non procul aberat maior Regis filius, maximo ſtrepitu Patrem illò deferendum cenſuerunt. Ille tamen, cùm ita fœdè mulctatum, & dènudatum conſpiceret, commiſeratione ductus, ut illum tegeret, ſuis ſe indumentis ſpoliavit; & enixè exoptans eundem barbarorum furori eripere, in ſuam fidem ſe accepturum ſpopondit: non tamen potuit furentis populi ſeditionem compeſcere. Veriti namque barbari ne Principis benignitas ſuam ſibi prędam extorqueret, illum in Inſulam revexerunt, & collo ponderoſum fuſtem adiecerunt, qua ratione apud noſtrates taurorum ferocium colla ſimilibus additamentis prægravantur.

P. Alfonſus à Caſtro in Molucis Inſulis.

Comprehenditur Alphonſus.

2 Sic manibus & pedibus devinctum veſtibus à Regis filio datis, exuerunt, nudumque ſolis ardoribus, & Iovi frigido expoſuerunt. Menſem continentem hac tortura exercito nihil

Varijs tormentis oppugnatur.

aliud in os inditum fuit, præter aliquot baccas caryophilli, quas furtivè aliqui subministrabant. Sæpiùs etiam, quà promissionibus, quà blanditijs, quà minis tentatus fuit, ut Christianę religioni priorem faceret Mahometanam, quod cùm constantissimè detrectaret, acerrimis verberibus fuit exceptus. Maurus sacrificulus affirmavit, invictum martyrem, totos octo dies, quibus ad eum pervertendum à iacentis latere non discesserat, nil omnino cibi percepisse, & semper labia cõmovisse, ac si perennes preces recitaret; addebatq; in medijs tormentis à se invitatum ad sectam Mahometanam, ut à suo Rege magnũ aliquod beneficium impetraret, nihil ardentiùs expetente, quàm ut Pater in illius partes concederet: & quia notissimus erat, & sociorum maximus: & quia Regem Bachanum suis exhortationibus informatum ita in fide roboravit, ut numquam ad arma contra Lusitanos capescenda adduci potuerit. Pater tamen nullis inflexus hostium machinamentis, Mahometẽ irridens, & conspuens, delatus fuit ad littus, ubi ter ad Deum deprecandum se abjiciens rogavit, num illa futura esset sui sanguinis ara? Idque tanto animi vigore (ut posteà Rex Gillolli testis oculatus fatebatur) ut paulò ante eędem Maurum quendam oraverit, ut sibi ostenderet acinacem, quo statim erat immolandus: eumque ociosè contemplatus petijt; ut retusam aciem cotis attritu asperaret, non ut dolores effugeret, sed ut mortem præcurreret, & uno ictu martyrij palmam, ne quo casu effugeret, tutiùs arriperet. Vlteriùs Mauros oravit, ut manus vinculis liberarent, quo posset in cælum porrigere; Illis verò renuentibus, iterum dixit; exsolvite quæso, exsolvite, ut levare possim puras in cælum manus, & meam vobis obstringo fidem, me fugæ vitæ minimè consulturum, mors enim mhi optabilior est, & pretiosior. Sic barbaros evicit. Mox in genua provolutus, oculos in cælum contorquet, & nudo corpore atque corde divini amoris flammis incalescente, sublatis in altum manibus ita breviter præfatur. AEternæ tibi reddantur grates Domine, ac Redemptor, qui ad eam me perduxisti horam, qua possim inutilem hanc

tibi

tibi vitam sistere; Vtinam mille mihi suppeterent, quas tibi ex integro devoverem. Corpus hostili ferro, animam tuis manibus committo. Sub hæc caput in cippum ligneum devolvit, & carnificibus dixit; vestro munere fungimini. Illico, qui inter eos diriſsimus erat, Patris terga cæsim, & gladio resiliente, suam frontem sævo vulnere sauciavit: Posteà aliud faucibus impactum principium fecit immortalitatis. Sacrum corpus in mare proiectum fuit, sed paucos post dies in eundem martyrij locum divina providentia reductum, vulneribus ita recentibus, ac si tunc primùm excepisset: & ex illis splendor adeò insolitus, & venustas peregrina dimanabat, ut statim patesceret illius fontem esse illud corpus, cuius anima immortali fruebatur felicitate.

Cadaueris miraculum & vindicta de interfectoribus.

3 Corpus ac si vivum foret, alto scopulo insedit, qui pleno æstu aquis in fornicis speciem sinuatis ambiebatur, & sic in multos dies perstitit, quin dissolveretur. Exactis octo mensibus in eodem sancti cadaveris situ reperta sunt ossa albentia, ac planè nivalia, quę in potestatem Patris Francisci Vieiræ concesserunt; isque multis indicijs eadem esse comperit, maximè, quod cranio carebant, quod Indi in altissimas rupes abdidèrunt, nec usquam comparuit, quamvis Rex Ternatensis, & Insulæ Gubernator diligentissimè conquisierint. Intra exiguum temporis spatium varijs supplicijs à cælo dimissis, extincti fuerunt omnes impiæ cædis patratores, nec Regis filius evasit, qui manus polluerat calicis rapina, & venditione: Nam in morbũ grauissimum decidit, & corpore intumescente, glisscentibusque doloribus coactus est, veniam à Deo protentis manibus expescere; &, tam ille, quàm reliqui sancti martyris Alphonsi auxilium magnis vocibus implorabant, ut contestati sunt duo Reguli, Ternatensis, & Gilolensis, qui nullis verbis satis exprimebant invictum martyris animum, erectamque constantiam; edocentes præterea longè ab illo distare enerves, & pervicaces Maurorum antistites. Dies glorioſi illius triumphi incidit in annum Domini 1557.

Marty-

Martyrium Gondicali à Sylveoia & aliorum.

Illius nobilitas, & cædes.

1 Hic nos vastissimum imperium Manomotapæ,& illustrissimum Gondiçali à Sylveria filij Ludovici à Sylveria Comitis Sorteliensis martyrium vocabat, quem continua corporis & affectuum compressio,in vita martyrem,& Maurorum impietas in morte concinnavit. Ad quam gloriam ducebatur intaminatæ vitę zelo, & innumerabilibus laboribus, quos in Lusitania,in India,& intima illa AEthiopia devoraverat ob animarum utilitatem,& conversionem,quas instituit,& lustrali aqua expiavit. Sed tamen,si in harum rerum descriptione immorer, iniurius videbor Doctori Nicolao Guodinio nostræ Societat. qui locupleti volumine tanti martyris virtutes & obitum est complexus. Illud tantùm breviter subjiciam; Ab Imperatore, quem Christi mysterijs initiauerat Maurorum fraudibus alienato, occisus fuit: Mahometanis fauces linteo comprimentibus, & cadauere in flumen proiecto; quod cùm antea crocodilis esset frequentissimum, deinceps illa peste liberatum fuit, & insolita luce perfusum.Illius martyrium peractum fuit 15.Martij anni 1561.

Trium aliorum martyrium.

2. Anno 1568. Lusitanorum nauigium mare indicum ad eam partem,quam Ptholomæus dicit Canticolpum,excurrens incidit in phalangam Maurorum Persarum, atque Arabum, quibus cùm nostri strenuè resisterent, malleolis pice,& sulphure ardentibus in nauigium coniectis compulsi sunt nando ad hostes accedere. Eodem remedio vsi sunt quatuor Societatis religiosi, qui cum cæteris eo lembo vehebantur. Vnus ex ijs presbyter Antonius Dionysius post longam cum fluctibus collcuctationem ad littus euadit; vbi statim vinctus & in tenebricosum ergastulum detrusus catena ad collum præligata diu iacuit,donec pecunia libertatem recuperauit. Tres alij ad Mau-

P. Antonius

rorum

rorum navim, quæ propiùs erat, contenderunt; ij ſolita feritate duos ſtatim è medio ſuſtulerunt in ipſa aqua lanceis confoſſos.

3 Alium cùm viderent capite in coronæ ſpeciem abraſo, ſacerdotem coniectantes, in navem maximis lætitiæ ſignificationibus admiſerunt. Introductum læta fronte, multis honoribus, & benevolo hoſpitio excipiunt. Inſolens fuit Franciſco Lopeſio (ſic enim dicebatur) illa hoſtium benignitas, illa miſericordia, cùm ſe videret ita comiter habitum ab illis, qui in ipſius fratres adeò ſævierant. Statim tamen intellexit, quò tenderet notha illa, & fucata pietas. Nec longa fuit mora, cùm Maurorum pollicitationibus, & blandimentis oppugnatur, ut illorum ſuperſtitioni ſuffragetur, quibus tanta conſtantia ſanctiſſimus martyr refragatus eſt, ut æſtro perciti machęras vagina eductas in illius corpus certatim miſerint, & vita ſpoliaverint. Illuſtria dederat ſanctus hic martyr virtutis ſuæ documenta Goę, Cocini, alijſque Indię in civitatibus, quas & concionibus, & catecheſis exhortationibus, auditiſque confeſsionibus, excoluerat. *P. Franciſcus.*

Martyrium P. Ignatij Azevedi, & quadraginta ſociorum.

1 Ab Orieńte tantillum regrediamur in Occidentem, & mare Athlanticum, quod noſtri anno 1570. decima quinta die Iulij ſuo ſanguine colorarunt, duce Patre Ignatio Azevedio Luſitano, quem accita nobilitas, ſed multò magis quæſitæ virtutes illuſtrabant. Ex Luſitania in Braſiliam multos Comites deducebat duabus navibus, quibus præerat Ludovicus Vaſconcellius Gubernator illius Provinciæ deſignatus. Non procul ab Inſulis Fortunatis fauſta fortuna claſsi affulſit prope Inſulam, cui nomen à Palma, quæ non unam, ſed quadraginta palmas Chriſti martyribus offerebat. Ibi enim ſe dedit obvium Iacobus Soria archipyrata Rupelenſis, Calvinia- *Pater Ignatius Azevedius & ſocij*

næ nequitiæ addictus; qui Ignatij navim reliquarum consortio denudatam in suam redigens potestatem, iussit nostros ferro submitti, & in mare præcipitari, sæpius feraliter inclamans: Perde,perde: Occide,occide perfidos Iesuitas,qui Brasiliam petunt, ut falsam doctrinam in ea disseminent (ita Catholicæ religionis veritatem periurus homo nominabat) nusquam aliàs hæretici clariùs ostenderunt,quanto odio in sanam doctrinam efferantur; nam post triduum, cùm iam rabies non tantùm ponere, sed omninò extingui deberet, abrogatis belli, & humanitatis legibus in nostros animadverterunt, neque senioribus, neque tyronibus pepercerunt, sed alios multis ictibus confectos,alios spirantes adhuc in fluctus demisêre, qui aliquando fluctibus hauriebãtur,aliquando enatantes sublatis in cælum manibus,gratias Deo reddentes,seque invicem vocibus incitantes, & summa perfusi lætitia visebantur. Ad quadraginta victorum numerus excrevit, si illi apponamus nobilem adolescentem, Ioannem nomine, qui cùm alium sibi cognominem deficere à socijs videret, nostrorum vestes sibi induit, & hęreticis imposuit; Illum enim Societatis religiosum arbitrati, neque cæde, neque cędis causa discriminarunt. Ipsa, qua cæsi sunt die, B. Tarasia à IESV,Carmelitarum Excalceatorum parens quadraginta illos vidit cælum ingredi laureatos, & unum inter eos, qui ad ipsam sanguinis coniunctione attinebat.

P. Petri Diazij & sociorum martyrium.

2 Non dispar fuit aliorum exitus, qui prætoria navi velificabant,& conscij coronæ fratrum sancta quadam invidia absumebantur. Dilatum à Deo non tamen ablatum votum fuit. Anno enim insequenti iuxta easdem Insulas Fortunatas cæsi fuerunt à Ioãne Cadaxilio hæretico Gallo, suppetias afferente navigio Anglicano. Licèt enim Ludovicus Vasconcellius fortiter hostium impetum repressérit, vitamque caro satis pretio vendiderit,tandem multitudine oppressus succubuit. Hæretici nautis, vectoribus, & militibus vitam liberaliter indulserunt, omnem tamen benignitatem à Societatis hominibus abstinuerunt,

nuerunt, præcipuè à duobus ſacerdotibus, Petro Diazio Luſitano omnium anteſignano, & Franciſco Caſtrio Caſtellano, quos in ipſo bellici furoris ardore conſpicati hæretici confeſſionibus aures commodantes multis petitionibus gladiorum & miſsilium tranſverberarunt, & cum ijs Nauclerum ſua peccata ad Caſtrij pedes expiantem. Nec tanta diritate exſaturari poterat hæreticorum rabies noſtros ſeductores appellantium, & magnis clamoribus conquerentium, eorum opera, veluti obiectis molibus fieri, ne hæreticorum fluctibus tota Anglia & Gallia reſtagnaret; futurumque ut ſublatis Ieſuitis fieret non unus paſtor & ovile, ſed una hara, & ſuile. Duodecim hi fuêre martyres, quos, ſi adjicias legitimo Imperatori Ignatio Azevedio, duos invenies ſupra quinquaginta, pleroſque Luſitanos, ſed non paucos Aragonios, & Caſtellanos.

Quinque Martyres Salſetani.

1 Decima quinta Iulij dies gemmis, & unionibus debet in Societatis faſtis conſignari; nam præter illuſtre Ignatij Azevedij, & ſociorum martyrium vidit poſt duodecim annos quinque alios in Oriente triumphantes. In peninſula Salſetana ab Idalcane ex pacto dedita Luſitanis, ſunt oppida ſex, & ſexaginta, in quibus ultra octoginta millia hominum plurimi ſunt Brachmanes obſtinatiſsimi ſuperſtitionis Indicæ propugnatores. In ſylvam hanc Societatis prædicatores ſecurim miſêre anno 1580. nec exiguas perpeſsi ſunt difficultates ex Brachmanum odio & fabricis, quæ in cauſa fuerunt, ut Prorex Antonius à Noronia vaſtari iuſſerit, & flammis abſumi ultra ducenta idolorum templa. Hinc barbari vehemens odium in Chriſtianam religionem, & Societatis viros conceperunt, quòd crederent ijs impulſoribus Proregem illam mentem induiſſe. Auxit ſtomachum barbarorum induſtria, & ſedulitas, qua poſteà *Cauſa huius martyrij.*

Pater Petrus Berna, cùm missi essent milites ad ultionem expetendam ab ijs, qui in divinam, & regiam maiestatem deliquerant, curavit, ut nullum non idolorum phanum everteretur. Super omnia usit Ethnicos vaccæ cuiusdam cædes, quam ipsi summa religione venerabantur, & illius sanguine atque visceribus aquas incæstabant, quibus ex antiquo ritu sacrificaturi se abluebant.

P. Rudolphi Aquavivæ nobilitas, virtus & labores.

2 Cùm primùm huic expeditioni quinque illi Patres ascripti fuerunt, omnia iam tranquillata videbantur; eorum tamen præsentia rumor statim in omnia oppida pervasit, timorque inectus fuit barbaris, fore ut uno ictu tota simulachrorum superstitio evelleretur. Ergò tumultuantes magnis se vocibus ad illos trucidandos provocabant. Primos excepit ictus Pater Rodolphus Aquaviva Atriensis in Regno Neapolitano Ducis filius, Iulij & Octavij Patrum purpuratorum frater, quem Pater Claudius Aquaviva Societatis Præpositus generalis oblito sanguinis nexu (erat enim Atriensis Ducis frater) ad clariorem proprio sanguine lauream adipiscendam in Indiam dimisit. Anteà se contulerat ad regiam Mogoris Equebar, qui inter magni Tamerlani nepotes gradu septimo censebatur. Ab illo licèt honorificè cultus fuerit, perspiciens nullum se fructum metere, Goam redijt, & superioribus annuentibus Salsetem commigravit. Prima plaga orantis tibias subnervavit, cùm ipse interea utroque flexus poplite oculos in cælum dirigeret, & collum ad gladium expediret, quod carnifex tribus ictibus contudit, & quarto totum humerum detruncavit; tandem pectore sagitta confixo mortem obijt, ut & ætate Christum Dominum referret (agebat enim annum tertium & trigesimum) & quinque vulneribus (quando totidem in Cruce cælatum fuit corpus ipsius humanę salutis Assertoris.)

Cæditur P. Rudolphus.

Francisci Arancæ martyrium

3 Statim ferocientes barbari lancea latus transfixerunt Francisci Aranię sororio nepoti Gasparis Archiepiscopi, & Metropolitani Goensis, & velut mortuum in terram deiecerunt, inde ingruunt in Patrem Petrum Bernam Italum, quem odio

odio magis inteſtino perquirebant, quia ſuorum damnorum caput arbitrabantur; nam neque à mortuo crudelitatem extremam avertebant. Quarto loco confoſſum fuit pectus Patris Alphonſi Pacieci Caſtellani ex illuſtriſsima Minayorum familia, qui manibus in crucis formam cancellatis ſe extremo ictui intrepidè obiecit. Loco ultimo, non merito, victoria obtigit P. Antonio Franciſco Conimbricenſi, cuius corpus diverſis vulneribus inciſum à Domino obtinuit, quod pia anima ſingulis diebus in ſacra Lithurgia avidè expoſcebat, ne ſibi liceret vita decedere, niſi multis laboribus, & incommodis defuncto.

Nondum animam efflaverat Franciſcus Aranea, cùm omnes barbari turmatim ſemianimem arripiunt, & ſemel, atque iterum circum idolum raptant: poſteà ex arbore ſuſpendunt, altero pede confixo, altero ſoluto; quo tormenti genere illos Indi afficiunt, quos vocant in graviſsimorum criminum quæſtionem. Ita afflictatum urgent, ut ante idolum procumbat. Sed martyr robuſtiſsimus ſanguine, non animi valore exhauſto vocem intendit, non ſolùm ad Chriſtianam fidem profitendam, ſed ſuperſtitiones convincendas; dixit enim inter alia, non ſe doloribus redditum ita mentis impotem, ut cultum vero ac ſoli Deo debitum in ſtipites, & ſaxa furto intolerabili converteret. Hic barbari arcu, & ſagittis armati eum, velut alterum Sebaſtianum, ſcopum fecêre ſui furoris; nec ſagittas tantùm, ſed & miſsilia, & phalaricas intorſerunt. Illud crebrò illudentes, & inſultantes: nunc periculum faciemus, an cruces, & templa ſis evecturus nobis repugnantibus; Ita dij immortales in ſui contemptores animaduertunt: En tibi non datur illorum iracundiam effugere. Tandem triumphantum ſanguinem vanis ſimulacris libantes, illa ex antiquo ritu eodem inungunt, & ſacra cadavera per ludibrium trahentes, in foveam pigra aqua torpentem conijciunt, ne unquam poſſent extrahi à Chriſtianis. *Aranea ſagittis configitur.*

4 Sacrorum Martyrum numerum duo explevere adoleſcen-

Duo Brachmanes martyres.

tes ex Brachmanum genere, noſtrorum contubernales. Alteri Dominico: Alteri Alphonſo nomen erat. Priori infenſi erant Ethnici, quòd index fuit idolorum, quæ Luſitani perdiderunt; ſecundo, cùm extorquere non poſſent, concreditum Patris Alphonſi. Pacieci breviarium, manus præciderunt, ne illi vexillario cederet, qui in Tauri prælio (ut iam ſuo loco ſcripſimus) maluit manus amputari, quàm regium vexillum ab hoſtibus vendicari.

Trium aliorum martyrium.

P. Georgij Fernandij Martyrium

1 Anno milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo primo, cùm ex Goa Molucas inſulas duo ex noſtris peterent, & in Iava inſula Luſitanos confeſsionibus purgarent, à Mauris confixi fuêre venabulis. Alter ex illis erat Pater Georgius Fernan-

P. Georgius Amarallius

dius, Theologus Vlyſipponenſis, qui poſt humaniorum literarum, & Rhetoricæ laudabilem in Conimbricenſi, & Eborenſi academijs profeſsionem, Indiam quęſivit, ut ornatiùs ibi, quàm anteà in gymnaſijs, & aulis publicis peroraret. Alter Georgius Amaralius Viſenſis, ita transfretandi deſiderio incenſus, ut ad profectionem Indicam obtinendam peregrinationem ſuſceperit ad templum beatiſsimæ Virginis intra Caſtellæ fines, quod dicitur à Rupe Franciæ, illiuſque patrocinio, quod anteà non potuerat, exoravit: ut Aprili proximo ſequentis anni 1564. in Orientem navigaret.

P. Andreas Gualdamias Caſtellanus.

2 Pater Andreas Gualdamius Caſtellanus, ſanctiſsimi Patriarchæ Æthiopici Andreæ Ovieti indiſcretus Comes, antiquæ ſimplicitatis & ſpectatæ virtutis heros (ut videre eſt in ſolemnibus authographis, quæ iuſſu illuſtriſsimi Archipræſulis Alexij Meneſij tunc Goenſis Metropolitani, & poſteà Bracharenſis, ac proinde Hiſpaniarum primatis, exarata fuerunt) cùm ſuperioris iuſſu Maſſuam in rubri maris freto ſitam tenuiſſet, à Turcis captus eſt, & in fidei deteſtationem haſtarum ictibus cum Luſitano alio traiectus.

3 Anno

3 Anno 1597. Nangazaquij in Iaponia patibulo suffixi fuerunt tres ex nostra Societate Paulus, Iacobus, Ioannnesque Iaponij, quorum iam superiùs mentio facta fuit. *Tres in Iaponia cæsi.*

Martyrium Patris Francisci Georgij Maronitæ, & duum aliorum.

1 Insula Massua, quæ Andreæ Gualdamij sanguine irrigata fuit, vidit etiam nobile martyrium Patris Francisci Georgij Maronitæ, nati in Syria Bereæ (quæ nunc dicitur Alepus) ex eorum Christianorum numero, qui Libanam incolunt, & vero Pontifici obsequuntur. Ex urbe in Lusitaniam missus, & inde in Orientem expeditus, aliquādiu demoratus est in Montano tractu, quem dicunt Christianorum D. Thomæ, quod linguæ Chaldaicę, qua ipsi utuntur, peritissimus esset. Cùm verò illi nondum essent in Catholicas caulas admissi; quod posteà illustrissimi Alexij Menesesij industria partum est, sed Babylonicum Patriarcham sectarentur, non minimam meritorum segetem S. Maronitæ obtulerunt, ibi aliquamdiu fame ac siti enectus, & solius arboris umbraculo exceptus, quin atri panis bolum ori inderet, sic ad socium exclamauit. Proh quæ diuitiæ? quę delitiæ in sancta paupertate delitescunt? Inde accersitus fuit ad AEthiopicam missionem, in qua præter indigenas Abassinos diuturno schismate ab Ecclesia perigrinantes, non pauci detinebantur Lusitani ex eorum reliquiis, quos secum auexit sanctissimus Martyr, & fortissimus imperator Cristophorus à Gama, temporalium egentes, & tanta spiritualium inopia laborantes, ut unus tantùm illis reliquus esset Sacerdos catholicus ex nostra societate annis, & laboribus confectus. *Illius genus.* *AEthiopicæ missioni destinatur.*

2 Expeditioni re ipsa arduæ, uiam præcludebat, quod paulò ante Pater Antonius à monte Serrato cum socio in eam profectus, positis vestibus communibus, & Turcicis assumptis, duce Mauro, cuius fidei se tradiderat, captus tamen fuit, & vix *Missionis difficultas.*

post

poſt ſeptennem ſervitutem libertati reſtitutus. Duos tamen illos ſocios Maronita excedebat, quo callens eſſet Arabici, & Turcici idiomatis tota illa ora peruulgati; Ad hæc oris lineamenta Aſiatico, quàm Europeo ſimiliora erant; Vt ergo illius profectio eſſet occultior, integrum annum cum ſacerdote alio deſignato itineris comite delituit, qui licèt Arabicæ linguæ toto illo tempore ſtuduerit, quia tamen oris ſpecies Europeum prodebat, commodiùs uiſum fuit ſuperſedere, cùm omnino fallere non poſſet ſagaciſsimos Turcarum exploratores, quibus maritima obſidentur. Cùm igitur opportuna navigandi tempeſtas acceſsiſſet aſſumpto ſocio iuvene Abaſsino navim Mauricam conſcendit ex earum numero, quę cum pacis teſſera in India negotiantur, & in Erythreum fretum excurrunt. Antequam ſolueret, ultimum vale dicere placuit Illuſtriſsimo Mathiæ Albuquerquio Indiæ Proregi, qui totus erat in ea miſſione promovenda. Temperare ſibi à lachrymis ille non potuit, cùm Patrem videret Turcæ habitu amictum ad caput, cętera Armenium; laudatoque ſocietatis inſtituto, & honeſtis ad augendam Religionem machinamentis, illum aliquot muneribus, nec exiguis honoribus cumulavit.

Mutato habitu navim conſcendit.

Profectio in oram maris rubri.

3 Non minor fuit noſtrorum admiratio, & plurimorum invidia, ac proſequendi deſideria, quibus aliqui ſuam ſocordiam incuſabant, omnes verò uberrimæ lachrymas profundebant ante pueri Ieſu cunabula provoluti, (incidit enim illa profectio in ferias Natalitias) nocturno tempore collegium navi mutavit ſub minimè punica Mauri fide, qui velut honeſtum mercatorem honorificè ſemper habuit, & ad condictam Inſulam deduxit; ſed licèt trium tantùm dierum itinere à præſtituta AEthiopia diſtabat, numquam potuit bonus Pater tutam reperire ſemitam, qua Chriſtianos admoneret vel falleret cuſtodes, etſi ut tutiùs graſſaretur, totos quatuor menſes in mercatura per ſimulationem conſumpſerit, ſed cùm virtus diu latere non poſsit, ſeque ipſa ſuo ſplendore in publicum emittat, inſimulatus religionis fuit ante Turcam Inſulæ Præfectum

fectum, & mox ad graviorem alium à quo num Christianus esset interrogatus, viriliter affirmauit. Tibi, inquit Turca, imposita est necessitas amplexandi Mahometem, nisi malis gravissimam facere vitæ in tortura acerbissima iacturam. Ille constantissimè respondit, se Christianum esse, neque umquam fore hac opinione dejiciendum: nihili se, quas simulabat venales merces, nihili Maurorum pollicita, & multò minoris vitam facere, cùm totum lucrum sit in vitę ob Christum detrimento; & insolito quodam dicendi fervore abreptus inconcussis rationum, verborumque momentis, Christianam veritatem constabiliens Mahometanam insaniam proterebat, quam se tanti pendere dicebat, quanti calceum pedibus subiectum. Turcæ, ut olim in Stephanum Iudæi, dentibus stridentes, non iam occidere, sed devorare festinabant. Illorum tamen Præpositus, sive, ut altiùs exploraret, quid simulatus mercator moliretur, sive pecuniæ amore inescatus eundem iussit compingi in turrim munitissimum, ubi sæpiùs solicitatus eandem in dies singulos constantior edebat responsionem: Quare in publicum productum toto populo inspectante ipse Præpositus sua machæra capite mulctavit, non sine maximo divinæ potentiæ ostento. Nam ad primum ictum machæra in duo frusta dissiluit, & alia in prioris locum absumpta, simili eventu est comminuta, donec tertia rem confecit, Deo ostendente, se posse, cùm velit liberare, & cùm placeat coronare. *Cæditur martyr beatissimus.*

4 Hic exitus fuit sanctissimi Maronitæ, in quem maximarum virtutum exemplis, & oratione continua prelusit; nam & Conimbricæ, & in India, per multos dies, cunctis admirantibus, à nostrorum etiam convictu se intra cubiculum secludebat, ut solo Deo frueretur, & semel tantùm diebus singulis exiguum aliquid cibi degustabat. Sepulchri locum illustrare cęlesti lumine Deus voluit, quo per totos quadraginta dies nocturnæ tenebrę vincebantur Mauris stupentibus, & sinistrè interpretantibus, externum illum sacerdotem non solùm flammis in tartaro, sed etiam in tumulo comburi. Per eosdem dies *Prodigia post illius mortem.*

frequentatus fuit tumulus duabus candidis, & inusitatæ magnitudinis volucribus, quæ & impollutæ illius animę nitorem, & agilitatem testabantur, quæ duo illa maxima Christianæ perfectionis præcepta, dilectionis scilicet Dei, & proximi, volatu indefesso est assequutus. Id inficiari neque perfidi Mahometani potuerunt, cùm conspicerent & Turcam Prępositum, & omnes quotquot tanti sceleris administri fuerant, intra eos quadraginta dies, vitæ statione Dei manu deturbatos.

P. Vincentius Alvarus

5 Eodem ferè ritu triumphalem palmam adeptus fuit P. Vincentius Alvarus Lusitanus ex Ferreria in Eborensi diœcesi. Qui cùm navigans ad Maurorum regionem, & Dabul urbem appulisset: ijque animadverterent ab illo non coli festam diem Mahometis, rapto imperant, ut secum sentiat, sin minùs caput ilicò amputandum. Integer tamen fide, & animo adolescens caput neci devovet, quod Maurorum Princeps gladio desectum veriùs Christo dicavit, quàm Mahometi, cuius ante aram mactavit anno salutis humanæ 1606.

6 Loco ultima, non merito, corona obtigit P. Ioanni Baptistæ, nato Angræ in Tertia Insula. Is truncatus fuit Omuræ in Iaponia, 22. die Maij, anni 1617. Cum Iaponio adolescente ipsius discipulo. Socij fuêre tam egregij triumphi tres monachi Hispani; Dominicanus, Franciscanus, Augustinianus. Multi prętera Iaponij in exilio ęternam patriam compararunt.

Quantum Lusitani Reges Catholicam fidem armis propagaverint.

Lusitani ad pellendos Mauros à Deo electi.

1 Quàm infelicia illa sunt arma, quæ adversus Christianos suscipiuntur, quorum damnis, heu quantum posset terræ, cælique parari? ità faustissima sunt illa, quæ in Christiani nominis hostes induuntur. Si enim vincas, magnam facies ditionis, & gloriæ: Si moriaris, immortalis felicitatis accessionem. Hac in re tanta fuit Lusitani Regni faustitas, ut peculiare

liare ipsius stemma, & scopus videatur, Mauros atque Ethnicos debellare, vel à primis cunabulis, in quibus reptans adhuc, non duos, ut Herculem ferunt, sed quinque serpentes ac Regulos Maurorum in Oriquiensi prælio discerpsit, cùm primùm Alphonsus Herriquius auspicato regijs insignibus, fuit inauguratus. Rex deinde authorem Deum sequutus ita Mauros attrivit, ut brevi temporis mora, tota ditione, Mahometanam perfidiam compresserit, cæsis alijs, alijs fugatis, reliquis in Africam, freto transito compulsis. Deinceps in Lusitania germana floruit pietas, Maurorum delubris in religiosa templa, Alcorano in Euangelium, impia superstitione in verum Christi servatoris cultum conversa.

2 Exonerata iam gravissimo Mahometanæ insanię Athlante, vel Atho Lusitania, cùm intra suos fines, quos vinceret, non haberet, coacta fuit in alijs Hispaniæ Regnis hanc venationem consectari: Talem separavit primus Sanctius, qui in Bæticam ad muros Hispalis excurrit; talem Alphonsus ferox, qui socero copias auxiliares adiungens, non vulgarem gloriam quęsivit in memorabili prælio ad Carteiam, quod dicitur à Salato cùm ducenta Maurorum millia ceciderunt; Illos verò tota iam Hispania exactos in ipsis Africæ lustris & speleis nostri Reges solicitarunt, & ut graviùs insultarent, maritima præsidia occuparunt, ex quibus milites frequenter in interiora insiliunt, nec semel Marrochij valvas hastis adactis concusserunt immortali Christiani, & Lusitani nominis laude; tunc potissimùm, cùm nostris sub vexillis, regnante Emanuële, plurima Maurorum millia stipendium merebantur. *In eo munere Hispanis auxiliares fuere Lusitani.*

3 Illis claustris contineri non potuit insignis Lusitanorum magnitudo, sed mari Athlantico emanso, relicta ad sinistram Mauritania totam Africæ oram perlustrarunt, quà varijs sinubus introrsum arcuatur, & quà promontorijs immensum expatiatur: in Guinea, & Peielumnis sub Æquatore: & Gezimba, quæ olim metæ orbi fuit à Geographis descriptæ, posteà non minori animo, & felicitate Bonæ spei promontorium superarunt, *Superstitionem Mahometanam ipsa in Africa opprimunt Lusitani.*

perarunt, quod prominens in Oceanum, ultra Æquatorem, & Cancri tropicum enormi vaſtitate protenditur. Inde ad Aquilonem converſi, neglectis extimę Æthiopiæ barbaris Mozambicum ex adverſo Inſulę S. Laurentij, & tandem in Orientem, Prazio promontorio, & Guardaphuenſi (quod Ptholomęus Aromata dixit) emenſis, appulerunt. Mox mare rubrum, & ſinum Perſicum, quibus Arabia felix in formam peninſulæ cingitur, perſcrutati Indiam tenuerunt, quæ celeberrimis Indo, & Gange fluminibus continetur. Inde Comorinum promontorium præternavigantes ad oram Peguenſem, & opulentiſsima alia regna acceſſerunt, quæ non ignobiles ſcriptores contendunt eſſe terram Ophir, & Tharſis, ex qua Salomonis naves immenſam auri vim in Paleſtinam invehebant. Ita ſibi auream Cherſoneſſum, & in ea ditiſsimum Orientis emporium Malacam ſubdiderunt; ita Ceilanum & Samatram, quibus magna eſt contentio, utra ſit antiquæ Zapobranes appellatione illuſtranda: Geographis iſti, ſed diligentioribus illi ſuffragantibus. Hinc ingreſsi ſunt in vaſtum Orientis archipelagus mediterraneo ignotius, ſed pluribus inſulis conſitum, ijſque opulentioribus, Iava maiori & minori, Timore, Borneo, Banda, Molucis, Celebes, Macaçares, Sunda, Lequeis, Iaponijs; Ne interim continentem Panchaiæ, Siambæ, Cochinchinæ, & vaſtiſsimi Sinarum imperij oram nominemus.

Idem præſtant in India.

4 Has terras, & maria, quorum capedo ultra octo leucarum millia extenditur, Luſitani ſuis navibus explorarunt, nec paucis in locis columnas Luſitanicis inſignibus, & nominibus inſculptas erexerunt, & in India plurima Caſtella, & Regna vi cœpta munitionibus cinxerunt ad duo leucarum millia, ubi, licèt non omnes Regis Luſitani imperio ſubiaceant, omnibus tamen ſummo honori eſt Prorex Indicus, quem multi Reges vectigales ſuſpiciunt; qualis Armuzienſis in Perſide; Ternatenſis in Molucis; in Africa Mombacenſis, & Quiloenſis, alijque plures, in quos habet vitæ, neciſque imperium. Præcipuum hoſtem ſibi deſtinat in Oriente Luſitana militia Mahometa-

Luſitanorum ditio in India.

num,

num, ſive in ipſa (quam propriè dicimus Indiam) Nizamalucum, & Idalcanem, ſive in Malabari, Naiteas, & alios advenas, ſive in Panchaia, & Cherſoneſſo plurimos, qui totam regionem ſua peſte infecerunt.

5 Non ſolùm Ethnici, & Mahometani Indici Luſitanos extrudere conabantur, ſed validiſsimæ Turcarum, quas Rumes dicunt, claſſes, quas noſtri in Mare rubrum inducti ferro, & igni ſubicerunt, totamque oram expilantes è Regione Montis Sina in terram proſiluerunt, fanaticum terrorem Mauris injcientes arbitrantibus, conclamatum eſſe de ſepulcro Mahometis apud Mecham: Sic proſtratis Maurorum viribus, & terra infidelibus, maris fluctuum inſidijs tranquillatis, ignotas, & intentatas ab ævo vias perruperunt, & ita facilem reddiderunt ab Occidente in Orientem commeatum, quem nonnulli inſanam, & temerariam navigationem dixere, ut pueris iocus ſit in Indiam perreptare. *Turcarum damna à Luſitanis.*

Quantum Luſitani Chriſtianam fidem prædicatione provexerint.

1 Tanta hęc in pandēdis, & ſubmittendis externis regionibus felicitas, conceſſa fuit nationi Luſitanæ, ut armis via Evangelicę prædicationi in Oriente muniretur; quam licèt auſpicatus fuerit D. Thomas Apoſtolus, tamen illius ſemen non in omni ſolo radices egit, vel ad meſſem pervenit, ſed maxima ex parte ſuperſtitionis dumetis compreſſum in fructus exiguos erupit: Quare licèt noſtris ex navigationibus nullum aliud honoris & divitiarum lucrum legeretur, abundè ſuos labores compenſari credant Luſitani, dum penſitant, ſe à Deo electos in tam egregij muneris adiutores. Quid potuit Luſitaniæ gratius, & glorioſius obtingere, quàm ex eadem in Africam, in Aſiam, & partem novi orbis Catholicam fidem, velut olim ex Hieroſolymis, & Sionis monte prodijſſe? Ex eadem primùm ſalutis nuntium exijt in caput virile, ubi iacent inſulæ Heſperidum hortis, *Fidei propagatio potiſsimus eſt quæſtus Luſitanorum.* *Iſa. 3. v. 3.*

Fides commendatur Africæ vicinitori.

hortis, & pervigili Dracone adeò celebratæ. Hinc Christianæ religionis assectæ in Insulas, quibus nomen à Materia, & Accipitribus, & in fortunatas exundarunt: & anno 1500. in Brasiliam novo in orbe collocatam. Hinc fides disseminata in totam Africam summa barbarie deformatam, præcipuè in regna Ialophi, Congi, Irei, Angolæ, & Cafrum: fructus uberrimos parturivit. Primam huius gloriæ partem sibi Guinea suo iure vendicat, quę Aforum prima sceptrum & coronam converso Rege, Christo submisit anno 1491. Illum tamen præcurrerat Bemojus Bizanzi Ialophorum Regis germanus inter Canagam & Gambeam luculenta flumina, susceptoribus Ioanne II. Lusitaniæ Rege, & coniuge Eleonora.

De AEthiopia supra AEgyptum fide.

2 Ex portu Vlysipponensi in remotissimam Lybiam, & AEthiopiam supra AEgyptum fides Catholica solvit ad scismaticam pertinaciam comprimendam ducibus duobus sanctissimis Patriarchis, alijsque Præsulibus, & Euangelij buccinatoribus, qui innumeris laboribus pressi, non tamen fatigati, hodieque perseverant. Nec parum Lusitani nominis dignitatem commendat, quod quatuor in Africa Episcopi à Rege præficiantur, Septensis in freto Geditano; In Guinea, Congensis, cuius ditio Angolam complectitur; & duo alij in Hesperidum, & Insula D. Thomæ.

Fides in Asia.

3 Ex eadem urbe Euangelica prædicatio vela fecit in Asiam tanta animarum accessione, ut Goensi Metropolitano, & Primati plurimi Episcopi subjiciantur. In ijs Cranganorensis, cui parent montani D. Thomæ Christiani, quos anteà diximus ab illustrissimo Alexio Menesio à Babylonici Patriarchæ obsequio ad Apostolicum traductos. Is nunc est Franciscus Ros Aragonius, qui nuper fuit Archiepiscopali auctoritate amplificatus. Censentur præterea Episcopi Cocinensis, Malacensis Sinensis, & Iaponius. In omnibus hisce Regnis fœcundissimus est Christianorum proventus, maximè in Iaponia, ubi non solùm populares, sed Optimates, atque Reges fidem amplexi, neque exilia, neque cædem pro illius defensione detrectarunt.

4 Illius

4 Illius etiam albo ſuum nomen commendarunt alij Indorum Reges, Maldivenſis, Tricanamalenſis, Taprobanenſis, Solorienſis, Bachanenſis, Timorenſis, Ternatenſis, Sianenſis, Supenſis in Inſula Macaſſarum, Tondenſis, quem vulgò dicimus Regem Inhambane, quem martyr illuſtriſsimus Gonçalus à Sylveria Chriſto lucratus fuit, antequam in ſuam ſententiam pertraheret Monomotapæ Imperatorem cum matre, à quo poſteà martyrij decus reportavit. *Indorum Reges Chriſtiani.*

5 Sed tum maximè propagata fuit Religio Chriſtiana, cùm Societatis homines totam Indiam poſt terga relinquentes, in Sinarum regionem tot ſeris, & repagulis obfirmatam Deo præeunte, anno 1585. bona Tutonum, & Mandarinorum varia irruperunt; & in ipſa regia Panquinenſi ſtatum fixêre domicilium, & ultra duo ethnicorum millia, in quibus non paucos generis claritudine, & præfecturis nobiles obſequentiſsimos nacti ſunt Euangelij auditores. Maximaque nos tenet expectatio, fore ut aliquando vera lux totam illam colluſtret Regionem; etſi enim adhuc præſtructi eſſent aditus externis hominibus, noſtri tamen Chriſti Domini, & Deiparæ effigies in ipſam Regis aulam invexerunt, in quam non rarò commeant adcomponendam machinam horariam, quam Regi gratiſsimum, & inuſitatum munus obtulerunt. Hæc tamen prætereo, quia omnium manibus teritur volumen, quod paulò ante nos Pater Nicolaus Trigaucius Belga in lucem emiſit. *Euangelij ad Sinas irruptio.*

6 In ampliſsimam Mogorum Regis ditionem Catholicam fidem promulgandi liberam noſtri habent poteſtatem, & inter immenſos illos Maurorum & Ethnicorum greges aliquot templa exædificarunt, & non modicam multitudinem noſtris placitis adjunxerunt. Ipſa in Perſide, & magni Sophi curia aliquot immorantur ex nobiliſsima Eremitarum D. Auguſtini familia, qui & multiplicium virtutum exemplis & incorruptis monitis infidelitatis caliginem abſtergunt. *Fides apud Mogores.*

7 Non multum eſt cùm Pater Balthaſar Barrerius ex noſtra Societate octogenarius ſe contulit in Heſperidum Inſulas,

Proventus fidei in Capite viridi.

sulas,& inde in Mediterranea contendit, ubi duos Reges amplissimamque ipsorum sobolem, & clientelam Christo apposuit; Illorum alter montibus imperitat, qui nunc à Leæna, & olim Deorum currus dicebantur, non procul ab Hippodromo,qui terminus fuit Geographię Ptholomeo versus Occidentem: eaque regio ditissima est, & opportuna valetudini; alter Rex est Oræ, qui totum sæculum vivendo superavit, viribus ita infractis, ut vix quinquagenarius iudicetur:iudicio ita integro, ut non vana spes sit, plurimos illius exemplo adducendos, & Christi servituti mancipandos.

Quanta pietate & quibus operibus sanam fidem semper promoverint Lusitani.

Lusitanorum ad pietatem proclivitas.

¶ Quemadmodum Lusitani in tyrannorum insectationibus veram fidem sanguinis effusione subsignarunt, ita pacis tempore,singulari pietate,& laudabilibus operibus,ne labasceret, confirmarunt. Vbi enim viget morum licentia, vitiorum impunitas, & conscientiæ libertas, diu persistere fides non potest, quin miserabili naufragio hauriatur. Ob insignem igitur in divina proclivitatem, credibile est, divinam pietatem ita se propitiam Lusitanis præstitisse, ut cùm Orbis universus in diversas factiones partitus, à Capite, & Romani Pontificis obedientia discesserit, Lusitania numquam publica hæresi, vel sectione à Capite polluta fuerit, cùm Vlyssipponem frequentent omnes nationes, ac potissimùm Boreales, quæ nostris, & parentum temporibus fœtæ sunt improbarum sectarum veneno. In cuius detestationem velut antitodum Deus ingenuit eam pietatem, zelumque Lusitanæ nobilitati, ipsique vulgo,ut sępiùs videantur freno,quàm calcaribus indigere. Nec ad eum finem à divina tantùm gratia, quæ radix est bonorum omnium, ducuntur, sed ab ipsa etiam natura instimulantur; nam vel cùm in densissima quondam ignorationis nocte versaremur, & ante Christi adventum simulacra venera-

Zelus fidei in Christianos.

remur,

remur,dicebamur ab antiquis Authorib.maximi cultores divinitatis. Quem affectum immitem, ac ſylveſtrẽ in mitiorẽ inſitum ad cęleſtia traduximus. Vnde profectum eſt,ut in quolibet vitæ ordine illuſtrium virtutũ exempla in Luſitania floruerint. *Strabo li.3.*

2 In ſummi Pontificatus ſolium evectus eſt D.Damaſus, lucidiſsimum Eccleſiæ candelabrum, virtutis murus, ac fidei Adamas,ut à ſexto Concilio Conſtantinopolitano appellatur,ob inſignem conſtantiam, qua hęreticos retudit, & præcipuè Apollinarem impij dogmatis aſſertorẽ condemnavit. Illius opus fuit Petri Alexandrini Epiſcopi, poſteà martyris ſuam in Eccleſiam reſtitutio, à qua depulſus fuerat mendacibus Arrianorum machinationibus. Ille Romam templis, martyrum mauſoleis, & comptiſsimis carminibus, totam verò Eccleſiam virtutibus,ac pietate condecoravit. Fuiſſe autem Damaſum Luſitanum conſtat ex archivio Bracharenſi, & Breviario Eborenſi: nec Ileſcas pontificalis hiſtoriæ concinnator, etſi Caſtellanus hanc communem eſſe opinionem diffitetur, etſi alij ex eodem genere, neſcio quæ ſomnia ſecuti; illum ſibi aſſerere elaborant, quos confutat tota Romana Bibliotheca, in qua, ut teſtatur graviſsimus ſcriptor Onufrius Panuinus hæc reperta fuit inſcriptio: Damaſus Antonij filius Egitanenſis. Cur verò dicatur Egitanenſis non ita eſt in proclivi; Alij enim ipſius patriam dicunt AEgitam, ſive Igælitam illam, quam poſteà habuit celeberrimus armis, & pietate clariſsimus Rex Vuamba. Alijs ita dictum placet,quòd editus Citaniæ,quę olim nobilis urbs fuit prope Araducam(quę nunc dicitur Guimaraes)ſed tamẽ tantæ molis rudera tantùm,&veſtigia ædificiorum viſuntur. Addunt indigenæ famam eſſe per manus à maioribus traductam, inde quandam Romani Pontificis matrem in urbem conceſsiſſe, ut filij gloriæ particeps redederetur: quod magnopere confirmat id, quod in Damaſo prodit Platina, ipſius ſcilicet matrem, & ſorores Romæ cum eodem contumulatas. *D. Damaſus Luſitanus.* *Patria illius.*

3 In eandem dignitatem effudit Luſitania Ioannem vigeſimum (ſi vera eſt Onuphrij ſupputatio) Vlyſipponenſem;

Ioannes XX. Pontifex Max. Lusitanus.

Quem licèt sapientiæ excellentia, morum integritas, & communis lucis ardor, ad summum illud culmen provexerit, tamen imperandi desuetudo, vitæ brevitas, ac mortis infelicitas egregiè destinata abruperunt.

Iacobus Cardinalis

4 Inter plurimos, qui conscripti sunt Patres purpurati ex Lusitanis, sanctitate prælux it Iacobus Archiepiscopus Vlyssiponensis à titulo S. Eustachij, filius Petri infantis, ac Ducis Conimbricensis, quem vitæ innocentia, & castitas ampliùs quàm avita nobilitas commendavit.

Henricus Cardinalis, & Rex.

5 Quibus te præconijs exornem extra omnem virtutis lineam posite Henrice Cardinalis, sub nomenclatione quatuor Coronatorum: qui non solùm rara quadam sanctitatis perfectione, sed etjam regali majestate, quòd ad tuam ætatem visum non fuerat, sacrum illud Collegium illustrasti; & coronam galero, sceptro baculum, & utramque purpuram copulasti?

Sancti alij in Lusitania Prælati.

Sancti Pontifices Ecclesiæ Bracharensis.

1 Si ab universali ad peculiares Ecclesias deflexerimus, quem non rapiet insignis ille chorus tot Præsulum, quot Lusitaniam vel in ea nati, vel aliunde asciti illuminarunt? Ex plurimis, quos nacta est sedes Bracharensis, tres primi: Petrus, Basileus, & Ovidius fidem suo sanguine, ut testatur Dexter, corroborarunt. Eosdem posteà consequuti sunt diverso temporum, sed exiguo virtutum intervallo tres præstantissimi confessores: Martinus, Fructuosus, & Giraldus, quibus toto jure apponi debet sanctissimus Archipræsul Frater Bartholomeus à Martyribus Vlyssiponensis ex doctissimo, & sanctissimo Ordine Prædicatorum, qui primævum illum, ferventemque nascentis Ecclesiæ spiritum tepidis istis, frigescentibusque temporibus revocavit.

Sancti Guodinus, & Potamius.

2 Inter antiquos Præsules non vulgari sanctitatis opinione sunt Guodinus, & Potamius; è quibus posteriorem cùm libi-

do, ve-

do, velut alterum Davidem in terram elisisset, ipse illicò pœnitentia sauciatus ad Deum toto corde versus est, & Ecclesiæ administratione se ipsum privata censura priùs abdicavit, & in tenebricosum carcerem inclusus suum crimen retulit ad decimum Concilium Toletanum Præside Eugenio, & coram ipso, alijsque decem & septem Episcopis postea comparuit, & flagitium agnoscens, veniamque deposcens libentissimè admisit, se exauctoratum dignitate deturbari, multò sanè post ruinam glorioſior, quàm si immobilis perstitisset.

3 In fano Bracharensi, cui nomen à D. Marco situs est ejusdem nominis confessor, qui ibidem claruit, cúmque alibi obijsset, in eum locum est translatus, ubi & sanctitatis fama, & miraculis enitescit. *D. Marcus Confessor.*

4 Bracharensis etiam fuit, Avitus magnæ auctoritatis, & eruditionis auctor in Græca, & Latina lingua apprimè versatus, ut videre est in epistola ab eodem ad Archiepiscopum, & populum Bracharensem data Hierosolymis, quam urbem invisit eo tempore, quo Paulus Orosius Hispanus, Ecclesiasticus auctor quarti seculi in eam se cótulit Africanorum Episcoporum monitu, cùm in villa Gamalielis quondã præceptoris D. Pauli, ipsius & filij ossa, simul cum Protomartyris Stephani, ac Nicodemi cadavere ex revelatione à Deo facta Luciano presbytero, reperta fuerunt. Quo ex thesauro aliquot reliquias Avitus obtinuit, easque tradidit Oroſio, ut reversus in Hispaniam illis dotaret Balconium, & Ecclesiam Bracharensem. Simul attulit Orosius Aviti, & Luciani epistolas hujus veritatis etiam nunc indices, in quibus tantæ auctoritatis Avitum fuisse ostenditur, ut Orosius ab eodem filius: à Luciano Avitus idem Pater, sanctissimusque Dei servus dicatur, addente, ejus imperio animum se ad illud testimonium scribendum appulisse. *Avitus Bracarensis.*

5 Eidem præfuit Ecclesiæ, ut patet ex Concilijs Toletanis, quibus subscripsit, insignis Pontifex Ioannes Scalabitanus, qui anteà Abbas fuerat Valclarensis in Catalaunia, & Episcopus Gerundensis virtute & literis ornatissimus, maximumque *Ioannes Scalabitanus.*

Eccleſię, & Catholicæ religionis in Hiſpania propugnaculum, ob quam in exilium relegatus fuit à Rege Leovigildo Arriano, & decem annos ijs in laboribus tranſegit, ut monet D. Iſidorus de viris illuſtribus cap. 31.

Ioannes Viſenſis. 6 Eccleſiæ Viſenſis, & Lamacenſis inter præſtantiſsimos alios Pontifices, Ioannem habuerunt, virum ſanctiſsimum, qui ab urbe ad nos invexit religioſiſsimam S. Ioannis Euangeliſtæ ſub cęruleis indumentis, iuxta regulam D. Georgij in Alga apud Venetos congregationem.

D. Manſius 7 Eccleſia Eborenſis Manſio ſuorum Epiſcoporum primo gloriatur, ut qui fuerit ex ſeptuaginta duûm Chriſti diſcipulorum numero, & Tranſtaganę Provinciæ Apoſtolus.

D. Roſendius. 8 Quid de ſancto dicam Roſendio antiquæ nobilitatis, & ſanctitatis viro? qui natus in oppido Sala diœceſis Portuenſis, primum fuit in Dumienſem Præſulem, deinde in Mindonienſem, tandem in Aurienſem conſecratus, reſignatis tandem ſacerdotijs in cœnobium ſe abdidit, ubi ſibi, Deoque vixit, factis & miraculis admirabilis.

Sanctorum diverſorum ordinum in Luſitania, exempla.

1 In alijs vitę generibus diverſa virtutum exempla non defecêre Luſitanos; Ad concionatores commendandos ſufficiat D. Antonius Vlyſipponenſis dvini honoris zelo flagrans, & maximum Italiæ, & patriæ ſuæ ornamentum.

D. Antonius à Padua.

D. Theotonius. 2 Regulariorum ordinum prælatis egregia reliquit ſanctitatis monumenta D. Theotonius Prior ſanctæ Crucis, illuſtriſsimi cœnobij ad Conimbricam, & D. AEgydius à Bouſela in Viſenſi diœceſi, aulicus primùm, & vanus adoleſcens, poſteà clariſsimum ſydus in Prædicatorum ordine, & Provincialis totius Hiſpaniæ moderator, cuius oſſa Scalabi religioſè alſervantur in ſuæ familiæ cœnobio, quod diu exemplis, & monitis inſtruxerat; Item ſub eodem nomine Deo militans D. Pelagius Conimbricenſi monaſterio Præfectus.

3 Abba-

3 Abbatibus cereo præluxit D. Gonçalus ab Amarante, quem desiderium exosculandi ea loca, quę Christus vivens pedibus lustraverat, vocavit in Palæstinam, & ex ea in patriam reversus, vitam posuit in maximarum virtutum glorioſissima palestra. Eadem institit vestigia D. Fructuosus Abbas Ecclesiæ Constantini prope Villam regalem, qui & Hierosolymam invisit, & posteà suam spartam laudabiliter excolens in pace conquievit. Illius caput argento inclusum multis voti & religionis ergo confluentibus cõlendum exhibetur. In horum tabulas referri potest Ioannes Nunesius AEthiopiæ supra AEgyptum Patriarcha, qui cùm Abbas esset Ecclesię Freirisienſis in Bracharensi territorio, sex horas singulis diebus orationi impendebat, curam interim non abjiciens ovium pascendarũ, à quibus, ut rarum sanctitatis ostentum colebatur. Omnibus tamẽ rebus nuntium remittens perfugium sibi quæsivit in nostra societate, in qua brevi ita profecit, ut dignissimus iudicatus fuerit illa præfectura, ad quam, & à Pontifice, & à Rege Ioanne tertio vir quærebatur omnibus numeris absolutus.

D. Gonsalus.

D. Fructuosus.

Ioannes Nunesius Patriarcha.

4 AEquum minimè videtur, ut silentij velo prætereamus fratrem Vascum Lusitanum, qui puer in Italiam profugit, ubi sub magistro perfectissimo Thoma Senensi Eremiticæ vitæ tyrocinia ponens, in Hispaniam reversus est, ductus amore eorum beneficiorum, quæ à suo præceptore audierat, in eam à Deo plenis manibus invergenda. In Castella substitit aliquantulùm, sed rebus ex voto non fluentibus, migravit in Lusitaniam, ubi propitio usus Dei Numine, & Ioannis primi Regis liberalitate, ac Bonifacij noni summi Pontificis gratia, Hieronymiano ordini prima cæmenta locavit in duobus cœnobijs, quæ nominantur à Pyrolonga, & à Mato. Aliquod deinde transactis annis in Castellam reversus à Cordubensi antistite impetravit cœnobij ædificationem, cui nomen à Valle Paradisi, in quo cælo dignissimam vitam agens post centum annos egregiè collocatos, in stabilem paradisi sedem evolavit.

F. Vascus ex familia D. Hieronymi.

Tres ſancti Eremitæ.

5 Vitam à quovis hominum conſortio avulſam illuſtrarunt in hoc regno tres admodum abſtruſi Eremitæ, ſancti Benedictus, Onudonius, & Ganſenius.

D. Leonardus, Paſtor.

6 Paſtoritiam tibiam egregiè inflavit Divus Leonardus, qui pecudes ducens, & armenta, cælum virtutum ſuarum concentu mirificè oblectavit.

Princeps Petrus.

7 Hominibus militari, & equeſtri gloriæ addictis non deeſt quid imitentur in ſancto, & bellatore Principe Petro Alphonſi Henricij Regum primi fratre, qui non vulgaria relinquens ſuæ fortitudinis in Luſitania & Gallia documenta, ſeculo voluit tergo notior eſſe quàm fronte, & Ciſtercienſi ordine militarem ſui victor commutavit, & ad vitæ exitum conſervavit.

Nonius Alvarus Pereira.

8 Fuit itidem clariſsimum equeſtis ordinis ſpeculum Brigantinæ domus Princeps, & Regni ſtabilimentum Nonius, Alvarus Pereira, qui clarior fuit ſuſpenſis ad Carmelitanæ virginis templum armis, quàm priùs ſumptis aduerſus finitimos; Nam illi ſe familiæ devovit, quin admiſerit ullis ſe ſacris authorari; ut etjam Princeps Petrus, de quo proximè.

Simon Gomeſius ſutor.

9 Illorum, qui manu victum laboriosè quæritant, exemplum ſit, qui nobis in pueritia ſæpe calceos accommodavit ſutor Simon Gomeſius Eborenſis, virtute, & divinarum rerum notitia ita conſpicuus, ut acutiſsimis ſtupori, Regibus, & Principibus honori, omnibus ſummę fuerit admirationi, tàm propter numquam intermiſſam cum Deo conjunctionem, quàm ob minimè fluxa vaticinia, quorum eventum nunc adeò experimur.

Ioannes à Deo.

10 Hunc ſibi locum depoſcit Ioannes à Deo Luſitanus ex Monte Majori novo in confinibus agri Eborenſis, qui ruſticanam & mercenariam vitam priùs, deinde militarem agens, ſana quadam inſania ſimulata inſigni ludibrio popularem faſtum peſſundans, ſe totum, atq; vitæ ſuę rationes in pauperum, & meretricularum utilitatem ordinavit: illos cibo nutriens, & ægrotantes reficiens: iſtas à turpi quæſtu ad honeſtatis munia

convertens. Granatæ obijt anno 1550. tanta virtutis existimatione, ut illius funus non solùm ab egenis, quorum miserias sublevaverat, sed etiam à tota nobilitate, & religiosis ordinibus fuerit frequentatum. Cùm post viginti annos ipsius sepulcrum patefactum est, cadaver integrum, nullumque infestum odorem spirans comparuit; quo testimonio compertum est, vivente in cælo ipsius anima corpus adhuc foveri. Fratres reliquit suæ charitatis hæredes, & optimos pauperum patronos.

11 Egregiam hanc cohortem claudat B. Amadeus, secundo genitus loco à Roderico Gomesio Sylvio Præfecto arcium Campi majoris, & Ouguellæ; & Isabella Menesia, quę patrem habuit Petrum Menesium Comitem Viannæ, & primum Septæ Ducem, Villaregelensis domus auctorem, fratremque Didaci Sylvij, primi Comitis Portalegiensis, sub quo pædagogo bullam suspendit Rex Emanuel. Ioannes ille à matris cognomine, Menesius dicebatur, & furtivos aliquos amores alebat, quorum causa in Italiam secessit, ea tempestate, qua Eleonora Eduardi Lusitani filia Federici III. Imperatoris jugali thalamo uxor data, cum eodem Romæ coronata fuit. *B. Amadei nobilitas.*

12. Hic Ioanni divina lux affulsit, eumque in agnitionem fucatæ, & labentis gloriæ induxit. Ergo rebus nuntium remittens, sed veteres amores non omnino delens ex animo, se dici voluit Amatorem: Franciscani tamen, quorum probavit institutum, vocabuli corruptione, vel ex veritatis expressione Amadeum nominarunt: sic enim se totum in Dei amorem transtulit ex assiduo orationis usu, ut in summam perfectionem conscenderit, & superioribus annenutibus vitam solitariâ coluerit, impetrato à summo Pontifice sacello prope Vaticanum, quod nomen habet A Divo Petro Montorio, ubi fama constans est, caput Apostolorum Principi avulsum. Hic cælestem, & summa asperitate constrictam per multos annos vitam exegit, ob quam & summo Pontifici charus, & Purpureorum patrum senatui venerabilis habebatur. Post aliquot inde annos illius ob reverentiam Isabella Hispaniæ Regina Ferdinandi Catholici *Ordinem D. Francisci ingreditur.* *Eremiticâ vitam sectatur.* *Isabellæ*

uxor,

uxor, eodem in loco celebre cœnobium Franciſcanis Patribus erexit. Multis à Deo revelationibus fuit illuſtratus, quæ in volumen non exiguum Latino ſermone concinnatum cumpulſæ fuerunt ; ſed is impiorum hominum artificio adulteratus primam illam authoritatem amiſit. Obijt tandem miræ ſanctitatis exiſtimatione Mediolani, ubi ſitus, multis poſt mortem miraculis claruit, & velut unus ex cælitum numero ſuſpicitur, & ad impetranda Dei beneficia evocatur.

Opinio de illius ſanctitate.

Al quot Luſitanæ fœminæ ſanctitate nobiles.

Taraſiæ ſanctitas.

1 Anno milleſimo, ducenteſimo, ſexageſimo ſexto, Ourenij in conventu Scalabitano diem obijt infima conditione fœmina Taraſia, meritis ac virtutibus ſublimis, quam licet paupertas ad herilem famulatum dejecerit, tamen ſanctitas ad excelſum ſolium evexit; Eius fama cùm minus pervulgata ſit, operæ pretium eſt, tria nobiliora exempla ſubtexere.

Miraculum ab illa editum.

2 Cùm aliquando pauper ſtipem emendicans Antiſtitis Eccleſiæ Ourenienſis, cui ipſa ancillabatur, fores pulſaret, nudum intuita, pallium, quo iam propter decuſſum florem minùs herus utebatur, illi ſuppeditavit. Conſcius largitatis ſacerdos, & indignatione commotus illam adigit ad muneris repetitionem. Rogat illa, ut ratum habeat, quando veſtes aliæ blattarum ac tinearum epulæ in arca putreſcerent: Sed avaritia conſilijs minimè acquieſcit; Illam herus ita durè increpitat, ut compulſa fuerit à Deo, utpote liberaliori, auxilium repoſcere. Affuit ſubitò Angelus indiſcretum omninò pallium aliud deferens, quod illa hero commiſit; ſed cùm poſtridie ad templum ſacra facturus acceſsiſſet, videt pauperem eodem quo anteà pallio graphicè exornatum, & rem qualis erat intelligens, cœpit ancillam, ut promerebatur, revereri.

3 Iterum

3 Iterum accidit, quod B. Eliſabethæ Dionyſij Regis uxori in ipſius anacephalęoſi diximus obtigiſſe. Caniſtrum panibus fartum manibus deferebat, ut pauperibus erogaret, in herumq; incurrens, & ab eo, quid ferret, interrogata, roſis illud plenum eſſe reſpondit. Ille linteum removens, roſas reperit, illis vernantiores, & odore ſuaviores, quæ in hortis conſeruntur. *Aliud.*

4 Omnium etiam ſermone circumfertur, ipſam aliquando in templo ita fuiſſe in Deum ab externis ſenſibus abalienatam, ut nihil præſentiente ſacrorum, & clavium cuſtode, ibidem pernoctaverit, & expanſis ad auroram valvis, à dulci illo ſomno evigilans, dolere cœpit, quod farinam excernere, & pinſere, ut erat opus, non potuerit. Feſtinatò in domum reverſa reperit maſſam non tantum ſubactam, ſed & panes Angelorum miniſterio in clibano concoctos, & in panario recentem adhuc calorem exhalantes. *Aliud.*

5 Ob hæc & alia prodigia Antiſtes, & populus ipſi exſtinctæ quotannis die tertio Septembris, in quem incidit illius obitus, non ſtatas pro defunctis preces, ſed ſacrum, quod in celebritate Sanctorum omniũ decãtatur, ſtatuit recitari. Et in templo Miſericordiæ, in quod cõfuſa ſunt antiqua quatuor oppidi ſacerdotia, ſacellum habet, cui pro ara eſt ſanctiſsimę fœminę ſepulchrum, quod à multis, illius caput argento repoſitũ oſculantibus, inviſitur, ob auriũ medicinã, quibus potiſsimũ opitulatur. *Opinio de illius ſanctitate.*

6 Fœminis coniugio addictis exemplo ſit Regina Vraca, Alphonſi primi Regis uxor, cuius æternam felicitatem quidam ex Canonicorum Regularium ordine, Deo patefaciente, cognovit; & Regina Eliſabetha, de qua actum ſuo loco. Illis ſe comitem adiunxit Beatrix, Nonij Alvari Pereriæ Comitis ſtabilis filia, & Alphonſi à Ioanne primo editi uxor, cuius oſſa in cœnobio Divi Franciſci ad Guimaranium condita, plurimos habent cultores ob febrium depulſionem. Eaſdem ut genere, ita ſanctitate æmulata fuit Maria Parmæ, ac Placentiæ Princeps, Regis Emanuëlis ex infantibus Eduardo, & Iſabella Neptis; quæ nuptui data Alexandro *Vraca Alphonſi I. uxor.* *Beatrix.* *Maria Parmenſis.*

Farnesio Duci excellentissimo, perfectæ pietatis, patientiæ, charitatis, aliarumque virtutum impressa vestigia ad omnem reliquit immortalitatem, ut dignosces ex ipsius vita Italo, & Hispano idiomate conscripta.

Margarita à Clavibus.

7 Illuxit etiam nostra memoria in coniugali statu ex Insula D. Michaëlis fœmina, cui nomen Margaritæ à Clavibus, quæ post viri obitum ita se transtulit ad precationem, vitæ asperitatem, & Sacramentorum frequentiam, ut brevi ad summum sanctitatis apicem pervenerit. Illam Deus claram reddidit miraculis, de quibus posteà diligenter inquisivit Petrus à Castilho tunc Angrensis Episcopus, posteà Collipponensis & maximus fidei quęsitor, ac Regij sacelli præfectus, alijque posteà Conimbricæ, & Averij sede vacante Capituli authoritate. Quibus inquisitionibus inspectis Emanuël Gouveanus Angrensis Episcopus, consultis doctissimis ex omnium Religiosorum hominum familijs, ipsius corpus loco edito prope summam aram collocavit succollantibus in translatione Comite Villæ Francæ, & Optimatibus, quod nunc visitur in Capsula honoraria holoserico operta.

Tarasia Sancij I. filia.

8 In Lorvanensi parthenone iucundissima est memoria Tarasiæ, quę patrem habuit Sancium primum Lusitanię, coniugem verò Legionis Regem. Illud virginum domicilium sub D. Bernardi disciplina ad arctiorem revocavit, & multis reditibus amplificans vitæ suæ exemplis, & sepulchro ditavit. Anno 1617. ut prodidimus in tertia anacephalæosi, effossum fuit illius cadaver ita integrum, ac si tum primùm fuisset terræ commendatum.

Maphalda soror Tarasia.

9 Eodem etiam anno, ut ibidem monuimus, in Aroucæ virginum cœnobio reseratum fuit Maphaldæ sepulchrum, quę sororem Tarasiam vitę genere imitata, post viri mortem (is autem fuit Henricus primus Rex Castellæ) illam domum suis sumptibus refecit, ibidemque sibi & sanctæ Spinelę, cum qua conjunctissimè vivebat, sepulturam elegit, & post miraculorum famam, illibatum etiam à corruptione cadaver, imò suavissimè

visimè redolens, conservatum est; quod illo loco latius fuit explicatum.

10 Duabus sororibus religione non cessit Sanctia, quæ post fundatum à se D. Mariæ à Cellis Conimbricæ cœnobium, palatia sua ad Ierabricam, convertit in hospitium Franciscanorum, quod primum fuit in Lusitania, & inde ad Cellas regrediens ibidem vitam posuit, & extinctæ cadaver elatum fuit à sorore Tarasia Lorvanium; ubi crebra miracula fidem astruunt illius sanctitatis. *Sanctia utriusque soror.*

11 Harum Reginarum pietatem, & religionem ad vivum exprimere certavit Helena à sancto Antonio, quam Franciscus Gonzaga Cardinalis legitimam Alphonsi tertij Lusitani filiam nuncupat, & quamvis Regni annales illius non meminerint, tamen vulgaris fama illam Regi conjunctissimam confirmat. Quocumque parente genita fuerit, cælestem propinquitatem ita affectavit, ut in Scalabitani parthenonis culina, & valetudinario totam vitam degens, omnibus sanctitate præluxerit. Cùm sanctimonialis ægrota, aliquando gustandorum cerasorum cupiditate æstuaret, charitatis ardore ipsa conflagrans ad arborem accessit, illamque signo crucis fæcundas iussit, ut immaturos fructus in opportunos & rubicundos subitò excoqueret. Dictum, factum; ijs degustatis, illa convaluit. Tradit etiam idem autor in ipsius ossium ex primo tumulo ad elegantiorem translatione, pompa valetudinarium prætergrediente, omnes, quæ lecto detinebantur, subitò ad illam prosequendam, omissis languoribus surrexisse. *Helena à D. Antonio*

12 Quo piaculo prætermittam illam, quam novimus, angustissimam, & sanctissimam Catharinam Caroli quinti Imperatoris sororem, & Ioannis tertij Lusitaniæ Regis uxorem, quibus de Regibus etsi oculati testes non essemus, tamen mendaces nos minimè esse evinceret amplissimum illud Doctoris Martini ab Aspilevata Navarri testimonium, quo se, nullum par coniugum sanctius vidisse affirmat in sua Summa numquam satis laudanda. Doctorem Michaelem Turrianum è *Catharina Regina.*

noſtra Societate (qui diu Reginæ fuit à Confeſsionibus) dicentem audivi, illius animam ſibi videri unam ex ijs, quæ inter omnes puriſsimæ erant, & Deo acceptiſsimę; qua de re in viri anacephalæoſi aliquid attigimus.

Sacræ aliquot Virgines Luſitanæ.

13 Innumerabilis fuit multitudo ſacrarum virginum Deo in diverſis huius Regni parthenonibus militantium, qua ſcatent omnes religioſorum annales. Illis vexillum præfert ſanctiſsima virgo & martyr Irene, eamque ſequutæ Iuſta & Caſta materterę, quarum oſsibus Tomarienſe D. Clarę parthenium commendatur. Irenem Angeli in ipſis Nabanis, & Tagi confluentibus tumularunt, & ſingulis annis, recurrente obitus die, Tagi aquæ in fornicis modum curvatæ, liberum iter accedentibus præbebant.

Irene, Iuſta, Caſta.

14 Præcellens etiam virtute fuit virgo ſanctiſsima Senorina, quę ab annis teneris in æde D. Ioannis à concha Benedictini ordinis ſub materteræ, ac magiſtræ Guodinæ, cui in Abbatiſſæ munere ſucceſsit, nutricatu in miram ſanctitatem adolevit. Inde ad aliud virginum alveare, quod Baſti exſtruxit, commigrans multa edidit miracula, ut aquæ ſæpiùs in vinum metamorphoſim ad opifices qui incumbebant ſubſtructioni. Iterum oratione, & crucis ſigno convulſum & labaſcens tempeſtate ſolarium, retinuit, & alia patravit, de quibus Frater Bernardus à Brito agit tom. 2. Monarchiæ Luſitanæ ſub finem. In cælum abijt 22. die Aprilis anni 982. Illius corpus iacet in Baſti templo, & prope illud cadavera Guodinę & S. Gervaſij, quę alij Senorinæ fratrem, alij ſanguine coniunctiſsimum arbitrantur.

D. Senorina, & Guodina.

D. Gervaſius.

15 Hic locus iure debebatur Ioannæ Alphonſi quinti filię, & Ioannis ſecundi ſorori, niſi privata quædam anacephalæoſis illi eſſet in ſuperiori opere attributa.

Ioanna Princeps.

16 Huc ſpectat Beatrix à Sylva ſoror beati Amadei, & Iacobi à Sylva primi Comitis Portalegrenſis, quæ, ut Gonzaga Fran-

Beatrix à Sylva.

Franciſcanę familiæ miniſter generalis, & poſteà Cardinalis ſcribit, Iſabellam Ioanni ſecundo Caſtellæ Regi nupturam, inter chariores pediſſequas conſequuta, in amorem adeò inſanum Caſtellanos ob ratam formæ elegantiam incendit, ut non ſemel cædibus, & inſignibus duellis de illa fuerit decertatum. Quod ita Regina doluit, ut Beatricem iuſſerit in capſulam annulo munitam detrudi, & cibo potuque multari. In locum adeò anguſtum ſe compulſam conſpicata Beatrix, cordis oculos in cælum ſuſtulit, & velut alter Ionas ex Ceti viſceribus, ex illa caligine preces funditans, periculum agnovit, ſuamque caſtitatem Deo devovit ſub beatiſsimę Virginis ſignis, quę nocte proxima illi ſe videndam exhibuit, candido & cæruleo ornatu circumamictam. Oppigneratam fidem triduo evoluto ſolvit, & regium D. Dominici in urbe Toletana parthenonem quærens, ibidem 40. conſumpſit annos, quin aliquis mortaliū apertum ipſius vultum cōſpexerit, prętер Reginam, & ipſius filiam, quæ ſemel inſignem hanc gratiam à Virgine impetrarunt. In ſacram illam ædem contendenti occurrerunt duo Patres Franciſcani, qui Luſitano ſermone eandem in propoſito roborarunt, futuramque multarum Virginum matrem prædixerunt, non futili præſagio; electa enim à Deo fuit in parentem Ordinis Conceptionis Beatæ Virginis, in cuius cunabula Regias Toleti domos Regina conceſsit. In eas Beatrix pedem intulit anno 1484. duodecim pij propoſiti comitibus aſſumptis. Regina ſibi curam indixit diplomatis confirmatorij ſub Ciſtercienſi norma, & Epiſcopi obſequio obtinendi; cumque diploma Innocentij octavi aquis eſſet in mari tempeſtate ſæviente demerſum, illud Dei ancilla poſt orationem intra ſcrinium chartis alijs admixtum reperit; quod perpendens Epiſcopus Accitanus, ſolemni pompa ex arbitrio Archipræſulis Toletani illud in novam Beatricis domum convexit; Illa autem eius diei pervigilio, quo ſolemni ritu cum cæteris novum vitæ inſtitutum profeſſura erat, B. Virgine præmonente in æternam felicitatem evolavit. Exanimis fronti ſtella aurea

Ordinem Conceptionis immaculatæ inſtituit.

Felix ipſius obitus.

inſoliti

insoliti fulgoris insedit, ipsiusque cadaver à Præsule Toletano, non Dominicanis Patribus, quorum monitis priùs paruerat, sed Franciscanis fortissimis conceptionis intemeratæ propugnatoribus fuit post longam litem adiudicatum, ut eodem coleretur loco, quem ad colendam Beatam Virginem ipsa delegerat.

Multa omittuntur.

17 Multorum aliorum, & Martyrum, & Confessorum, & sanctarum Virginum facta, neque de limine in his scriptis salutamus, quod exactam illorum cognitionem pervestigandi otium non fuit, ut integram illam provinciam illis relinquamus, quos scimus eandem obstinatiùs adoriri, & feliciùs adoptatum colophonem adducturos.

Regum pietas.

18 De Regum Lusitanorum, ac Procerum pietate si dicere vellem, oportebat, ut novum volumen extra quæsitæ à me brevitatis metas recederem, sed aliqua summatim in uniuscuiusque Regis anacephalæosi perstringuntur. Quæ ad Proceres attinent, à communibus Regni annalibus, ab Africanis, & Indicis historijs, ubi pertractantur latissimè, petantur.

Insigniora aliquot Beatæ Virginis delubra in Lusitania.

Lusitanam fidem, & pietatem Deus fovet, & promovet peculiaribus beneficijs, quæ testantur plurima in laudem ac memoriam beatissimę Virginis templa magnificè ædificata ob aliquod miraculum, quo ipsius numen ibi præsentissimum comprobatur.

Templum à Nazareth.

1 A primis Lusitaniæ cunabulis nobile est delubrum Virginis, cui nomen à Nazareth, iuxta oppidum, quod à Silicibus Pederneira nuncupatur; Ædes assurgit prope Silicem, quam mare infrà tundit, pyramidali specie cuspidatam, & in Oceanum procurrentem tam vasto prospectu, ut oculos dejicientium aspectus vacillet; In illius Silicis angustum mucronem, & mari

& mari imminentem venatio induxit insignem equitem Fuasium Roupinium, cùm effusis habenis cervum consectaretur, & præ nebula & caligine periculi magnitudinẽ non agnosceret, nisi cùm se illò compulsũ vidit, unde primo gradu esset in pontum pręcipitandus. Ergo cùm nec posset frena premere, neque equum retro convertere, beatissimam Virginem petitis ex imo corde precibus inclamans illius imaginem à tergo videt, cuius præsentia, & alicuius angeli, ut fas est credere, opera, equus in eodem vestigio substitit, solisque nixus pedibus, se à Silicis cuspide in interiorem partem saltu inflexit, ferrei calceamenti signa saxo imprimens, quæ hodie religiosè tanguntur à reptantibus, & vix audentibus inde oculos in fluctus infernè oblatrantes demittere; In eodem Siliceto crux suspicitur, nullo humano artificio perfectè elaborata nobili præsagio superioris prodigij, quod dicato exaltatæ Crucis die evenit.

Miraculum, quod causam dedit ædificationi.

2 Templum illud cognominatur à Nazareth, quia ab illius nominis urbe in Galilæa, exardescente in Christianos, & sacras imagines persecutione, quę totum Orientem quondam turbavit, in Hispaniam transtulit illam, quæ nunc eo templo colitur, Gręcus Monachus Cyprianus, & prius iuxta Emeritam Augustam in cœnobio, quod dicitur Cauliniana Gothis regnantibus collocavit, ubi plurima patravit supra naturæ ordinem miracula usq; ad annum septingentesimum decimum quartum, cùm Hispaniam Mauri subita irruptione in potestatem redegerunt. Rex Rotericus regno se exutum videns post luctuosam illam tragædiam mutatis vestibus cœnobium adijt, & inde Iconem Beatæ Virginis assumpto comite Monacho Romano nusquam stetit, donec ad montem hunc in Lusitania mari imminentem perveniret, ubi illam sub fovea cum aliquot sanctorum ossibus Bartholomæi, Blasij, & totius rei historia occultavit. His sub tenebris latuit depositum ad primi Regis Lusitani tempora, cui inter primarios Fuasius Roupinius apparebat. Is tunc exiguum sacellum imagini erexit, quod iam tunc, innumeris hominibus, & inter eos Alphonso Rege

Nominis origo, & imaginis antiquitas.

ſo Rege & Sanctio filio frequentatum fuit. Sed Rex Luſitaniæ Ferdinandus anno 1377. templum aliud auguſtius fabricari iuſsit, in quod divinum illud ſignum tranſpoſuit. Poſteà Regina Eleonora Ioannis II. uxor validis circum munimentis, & Rex Emanuël ampliſsimis porticibus ampliavit. Noſtra ętate maximum adytum eleganti fabrica exſtructum fuit, aliudque ſub terra excavatũ, ut illa eadem ſpelunca adiri poſſet, ſub qua theſaurus ille repoſitus fuerat. Harum rerum certiſsima quęſtio habita fuit, ex qua conſtat imaginem illam antiquiſsimam fuiſſe, & iam inde ab Apoſtolorum tempore miraculis illuſtrem, quæ in librum contulit Doctor Bernardus à Brito Ciſtercienſis digniſsimum aſsidua pervolutatione.

Templum B. Virginis à Carquere

3 Antiquiſsimum etiam templum eſt Beatæ Virginis à Carquere, in quod Egas Moniſius Coelius Alphonſi primi Regis pædagogus ipſum infantulum, ut nexis pedibus deformem intulit, & recuperandę ſanitatis precibus author fuit. Quod miraculum in diſſolvendis Regis pedibus præmonebat, illius, & nepotum induſtria Mahometanum jugum à Luſitania, & alijs Hiſpanię partibus deponendum. In eo latiùs non excurro, quia in I. & II. anacephalæoſi examuſsim pertractatur.

B. Virgo à Luce.

4 Celebratur non procul à ſuburbio Vlyſipponenſi templum ſanctiſsimę Virginis à Luce, ita dictum ex varijs luminibus, quę Alphonſo quinto regnante nocturnis in tenebris illo loco diſcurrebant, cunctis admiratione detentis, & diverſa ominantibus; donec Virgo eadem Petro Martinio ſe videndam præbuit ergaſtulo in Mauritania detento. Illum enim docuit ſtatim fore vinculis liberandum; proinde monet, ut ad locum luminibus celebrem prope Olyſipponem tendat, & ſacellum exſtruat ſub nomine ſanctæ Marię à Luce; vbi ſe Virgo captivi oculis ſubtraxit, ſe ille ſtupet non in Africa, ſed in Luſitania vinculis ſolutum, quæ tamen poſſet in miraculi fidem poſteà ſuſpendere; & comites adſciſcens, Lupum Simonium, & ipſius uxorem Agnetem, Aneſiam adſpexit fonti imminentem ſtellam lucidiſsimam, quam veluti clariſsimum cereum prędentem

dentem ſequutus, & in ſylvam progreſſus, ſecundo rivulo curſum illa tenuit, & ſplendorem intendit eo loco, ubi theſaurus abſcondebatur. A tribus virgulta cæduntur, ſylva perpurgatur, & in media area ſub lapidibus palmare Virginis ſignũ candido ſerico veſtitum reperitur, quod hodie perſtat ita illæſum, ac ſi nunc primùm ex veſtiaria officina detraheretur. Qua ex materia eſſet effigies, quæ bombycina veſte tegebatur, nemo adhuc potuit explorare: tentantibus, aut cæcitate, aut febre percuſsis. Illi Petrus Martinius eodem loco umbraculũ ex ramis texuit, & divendita facultatum parte ſacellũ inchoavit: adſtante, cùm cæmenta jacerẽtur, Alphonſo V. Rege, & Vlyſsipponenſi Præſule Alphonſo Nogueria, qui fanum abſolutũ primo ſolemni ſacro coram eodẽ Rege dedicavit. In illud olim, & nunc plenis ſemper vijs commeatur, ob beneficiorum multitudinem, quę ab omnibus illa ęde obtinentur. Eam Maria Emanuëlis Regis filia novo adyto ex fabrefactis admirabili opere, & nobilitate marmoribus in ſepulturæ locum elegit, ibiq; religioſiſsimi Patres Ordinis à Chriſto, quorum caput eſt ad Tomarium virtutum ſuarum lucem B. Virginis hominibus adjungunt.

5 In Tagi oſtio verſus Cetobricam domus eſt ejuſdem Virginis, admodum frequens non ſolum ob miraculum, quod ædificationi cauſam dedit, ſed quod initium fuerit Provinciæ Franciſcanorũ, qui ab Arrabida dicuntur, ſumpto nomine ex vulgari montis illius vocabulo. Severiſsima eſt illius Provincię diſciplina, cujus primus author fuit Fr. Martinus à ſancta Maria Caſtellanus ex Provincia Carthaginienſi, & ex clariſsimo genere Comitum S. Stephani, quem Ioannes Dux Averienſis anno 1540. hoſpitio recepit, domumque à turbis adeò ſepoſitam aſsignavit, ut expleret illud, quo tenebatur, vitę ſolitariæ inſatiabile deſiderium, quam ibidem amplexus ſuaviſsimam nominis ſui fragrantiam latiſsimè diffudit. *Arrabidæ domus & religio.*

6 Miraculum, quod huius domus ædificandę ſtimulus fuit, ita proditur à Cardinali Gonzaga in fundatione Provinciæ Arrabidenſis. In Luſitaniam Anglus mercator navigabat, & in- *Religionis illius cauſa.*

cumbente atrociſsima tempeſtate in ſcopulos in ipſo Tagi oſtio infames, multorumque oſsibus albos agebatur, & nocte feſtinante omni recuperandæ ſalutis ſpe dejectus, ad ſacram anchoram, hoc eſt, Beatiſsimam Virginem, cuius effigiem navi deferebat, ſe convertens, eamque diligentiſsimè exquirens, minimè offendit. Quo caſu graviſsimè ſauciatus in altum oculos attollens, ſubitò in prærupti montis cacumine lucem intuetur, quam ut certiſsimam Pharum ſequens, ex ipſis penè Syrtibus in ſinum placidiſsimum evaſit. Poſt auroram in terram mercator, & nautæ exeuntes ad montem conſcendunt, quænam lux illa fuerit indagaturi, cùm ſuam illam effigiem ſtupore attoniti conſpicantur, eamque ſupplicabundi, & gratulabundi venerantur. Mercator brevi merces omnes auctioni addicens, collectam ex illis pecuniam in ſacræ domunculæ extructione inſumpſit, in qua, quod reliquum fuit vitæ, cultu eremitico ſanctiſsimè tranſegit.

Aliæ Virginis ædes.

7 In eadem Vlyſipponenſi diœceſi ſunt aliæ celebres Virginis ædes, qualis A Rupe; (Pennam dicunt) Ab ſpecula, ſive Atalaja, Amerciana, A promontorio, quod antiqui barbarium nominabant, in quo ſingulæ ſodalitates Vlyſipponenſis ſingulis diebus Dominicis diſcretè itare ſolent, voti, & religionis ergo.

B. Virgo à virtutibus.

8 Tota Luſitania notiſsima eſt domus Virginis à virtutibus prope Azambugiam in eadem diœceſi ex antiqui miraculi traditione; Refertur enim exerrantem ab armentis taurum, nec diu inventum à paſtore, tandem viſum fuiſſe procumbentem ante Virginis effigiem ex arboris ramo dependentem. Cui ille cùm ex frondibus ædiculam in ſacelli ſpeciem cõcinnaſſet, paſtores alios accivit, à quibus locus religiosè cultus miraculis honorem brevi quæſivit, & in templum ditiſsimum excrevit, quod nunc annexum eſt vicino Franciſcanorum cœnobio ſub titulo Virginis à virtutibus, ob plurimas, quas ibidem liberaliter operatur.

B. Virgo à Spineto.

9 Poſt recuperatam à Mauris nobili ſtratagemate Gyraldi abſque pavore, Eboram, paſtor Virgini deditiſsimus oves prope mili-

pe militarem ſpeculam paſcebat, & cùm aliquando in ſuum ſe tugurium recepiſſet, eadem forma Virginem conſpexit, qua olim Moyſes Angelum in ſolitudine cinctum undique flammis rubum intuetur, quin damno aliquo ab illis tangeretur, & inter eas multò fulgentior beatæ Virginis ſpecies emicabat; nec compertum nobis eſt, an vocem aliquam emiſerit. Illud certum, paſtorem ita fuiſſe illo viſo commotum, ut venditis, relictiſque pecudibus Virginis ſignum in illa ſpecula defixerit, quo in orationis domum Chriſtianis arx illa verteretur, quæ tamdiu Mauris explorandis inſervierat. Nonnulli referunt, hanc fuiſſe matricem Eccleſiarum erectarum Virgini in territorio Eborenſi, quam ipſa miraculis illuſtrare cœpit, ijſq; plurimos ad ſe quærendam, maximè ob ægritudines, aliaſque corporis difficultates expellendas invitavit, paſtore ibidem in magnę matris laudem perpetuam excubante. Expendens deinde Vaſcus Perdigonius Antiſtes Eborenſis, anguſtam eſſe capiendæ confluentium multitudini ſpeculam, autor fuit conſtruendi monaſterium, in quo ab anno 1408. monachi Hieronymiani omnibus ſunt virtutum exemplis conſpicabiles. In hanc domum tanta religione propenſus erat Alphonſus V. Rex Luſitaniæ, ut in Arzillæ oppugnatione in Africa voverit, ſe ſi victoriæ compos eſſet, argenteum equum, & equitem cataphractum, qualis tunc ipſe incedebat, oblaturum in eo templo, quod à Rubo, ſive Spineto vulgò dicitur. Reverſuſque voti reus ſe eodem liberavit, argenteaque illa pegmata in templo propoſuit, quæ inconſultè poſt Regis obitum cœnobij Præfectus in pecuniam ſignari iuſſit ad ſumptus pergulæ à ſe ſubvectę, dolente maximè, cùm reſcivit, Regina Eliſabetha, quę multò plus argenti, ut dicebat, contuliſſet, ne illud regiæ pietatis monumentum aboleretur.

B Virgo a Conceptione

10 Villæ Vicoſæ (quæ ſedes eſt aulæ Brigantinæ) templum viſitur impollutæ Virginis à Conceptione, quod extulit Comes ſtabilis Nonius Alvarus Pereira in præcipuum oppidi delubrum, quoo poſteà cæleſtibus portentis amplius clareſcens

à Duce Theodosio avitæ pietatis hærede, & amplificatore novis substructionibus, & festivis ludis majorem religionem comparavit.

Aliæ ædes. 11 Beringelij in eadem diœcesi Eborensi sub eodem Conceptionis titulo aliud est Virginis sacrarium convenarum multitudini ad excipiendum illius beneficia opportunum, ut iam pluribus miraculis experientia confirmavit.

B. Virgo à flore Rosæ. 12 In Cratensi sacerdotio prope Cratum Virginis ædi nomenclatio est, A flore rosæ; Alij non procul inde sitæ A gladiolis, quos dicunt Abroteas; & Marvani tertiæ Ab stella, quòd pastor in montis dorso, ad cujus radices oves ducebat, sidus fulgurans viderit: quo diligentiùs perscrutato, sub rupe Virginis Iconem offendit, cui statim populus templum dicavit, & posteà ędificium excipiendis Franciscanis Patribus accommodum. Tria hæc Virginis domicilia, ut reliqua, de quibus adhuc dicendum, multis miraculis commendantur.

B. Virgo à Pietate. 13 Duodecim supra Conimbricam milliaribus continuis excursibus petitur ædes Virginis, cui nomen à Pietate: illiusque parietes multis donarijs patrocinium indicantibus exornantur.

B. Virgo à Beco. 14 Prope Vaccam (vulgò Bouga) simile templum est ejusdem Virginis, A Beco nuncupatæ, quod cùm anteà tenuè esset, magnificè posteà adornatum fuit, Dei matre puerum monente, ut accolas negligentiæ incusatos ad elegantiorem templi structuram hortaretur, quam ipsa multis posteà præstitis beneficijs solvit egregiè.

B. Virgo à Spelunca. 15 In diœcesi Lamacensi in primis nobilitatum est Virginis ab Specu (vulgò Dalapa) delubrum, cujus miracula solidum volumen exigebant. Pervulgata est opinio, Virginem ibidem primò visam sub horrido specu, quod saxa quatuor mirabili artificio arcuata reddiderunt; in quo illud stupori est inspicientibus; saxum superius, quod cæteris in galeri formam incumbit ita prioribus annis fuisse depressum, ut sacerdotis celebrantis capite tangeretur, sed paulatim adeò recessit, ut nunc liberè

liberè posſit Euchariſtia ſupra verticem attolli. Auget miraculum, quod vaſtum illud ſaxi pondus à reliquis diſſociatum exigua radice nititur, & ſuapte gravitate in imum traheretur, niſi divina manus ſuſtineret. Infinitis propemodum cereis, qui ex dono ſingulos in dies offeruntur, caſu ignis applicitus antiquum Virginis ſignum abripuit, illa tamen vi ſuum Numen loco affixum, non ſigno teſtaretur, illi quod ſubſtitutum eſt propiore, eandem virtutem indidit, & totius Beiræ concurſu non ſegnius, quàm anteà celebratur.

16 In eadem diœceſi ſupra Cudam (vulgò Ribahoa) duo Virginis templa eminent præ cæteris ab ipſa Maurorum expulſione nobilia; alterum è regione Sabugalis ad Orientem, cui nomen à Sacaparte; alterum infra Caſtellum Roderici (vulgò Caſtel Rodrigo) quod dicitur à Pyro (de Pereiro) ſive ſanctæ Reliquiæ, quod in eo loco, cum Virginis effigie repertæ ſint plurimæ Sanctorum reliquiæ, ſub terram à Chriſtianis defoſſe, cùm Mauri licenter tota Hiſpania volitabant. *B. Virgo à Sacaparte, & Pyro.*

Templum ſanctæ Mariæ de Ceica.

1 Cum antiquioribus Deiparæ delubris, illud numeratur, quod Ceicæ non longè à faucibus, per quas Monda fluvius in diœceſi Conimbricenſi in Oceanum aquas exonerat, ſitum eſt. Vbi noſtra tempeſtate Cœnobium Ciſtercienſe perennat, quod Alfonſus Henriquis Deiparæ beneficijs adſtrictus inchoavit, abſolvit tamen ejus filius Sancius, arrepta occaſione à duplici miraculo, quod cæli Regina præſente Alfonſo edidit. Ad Mondæ ripas ſpatiante Alfonſo, ut graves animi ægritudines, & curas mordaces, quæ illius cor edebant, amœno fluminis proſpectu deponeret, ſupervenit nuntius; non longè à flumine ſitam eſſe Deiparæ ædiculam, de qua mira quæque non immeritò commemorarentur. Decrevit Rex ſacram ædem inviſere, ad quam cùm ſe reciperet, à ſuis comitatus, hæc ferme cecidérunt. *Templum hoc ab Alfonſo I. erectum.*

In leporem ante oculos excitatum tanto impetu eques equum immisit, ut ad fruticis radices impactus, ab equo lupinus defluëret; quem equus in ruinam præceps ita propulsavit, ut exanimato similis corruerit: Ad delubrum tamen delatus, ut terræ mandaretur. Tam acerbam calamitatem Alphonsus adeò molestè tulit, ut pristinus ille mœror animum iam meliùs habentem denuò vellicaret. Vbi tamen ad ædem horrentes inter sylvas exædificatam ventum est, in genua provoluto ante aram Deiparæ mœror animi ita absterſus est, ut in posterum nec mœstitiæ quidem vestigium animum attentaret. Ille verò, qui vita defunctus habebatur, mox atque ædis pavimentum attigit, ad pristinum vigorem revocatus immortales Virgini habuit grates, & voto nuncupato se Deiparæ obsequio devovit.

Origo huius templi.

2 Huius ædiculæ originem invenies Lorvanis in archivis; quæ ita habet. Per id tempus, quo Maurorum Reges res Hispaniarum administrabant, & in aliquibus Hispaniæ urbibus Gottorum reliquiæ perennabant, complures fuere rei Christianæ professores, qui Legionensem Regem agnoscerent, ad quem iure gentium res Hispana pertineret. Hi tamen soluta pecunia tributi nomine rem Christianam ægrè sustentabant. Inter alia, in quibus Christiani ritus fierent, Lorvanense erat cœnobium, iam ibi à D. Benedicti ætate fundatum, ad quod se complures conferebant, ut nomine sacræ illi familiæ dato, mira rerum humanarum despicientia ætatem agerent. Quos inter quidam fuit Ioannes nomine Alphonsi Legionensis Regis patruëlis, & Ramiri Regis avunculus, qui priusquam se Benedictinæ adscriberet familiæ, honestas victorias cum maxima laude domum retulerat. Hunc Lorvanensem Abbatem donavit Alfonsus Montis majoris, cognomento veteris, principatu, quia tunc propugnaculum erat bene munitum, paucis tamen militibus peropportunum: ut ex redditibus, & proventu inde collectis cibaria in monachos, & stipendia in milites, qui præsidio erant, solverentur.

Lorvanense Cœnobium.

3 Accidit per id tempus, ut quidam sacro fonte lustratus, & sub

ſub Ioannis diſciplina enutritus à Chriſti paſcuis ad Mahometis ſabuleta ſe reciperet: & ab Abderameno Cordubenſe Rege copias ſummè contenderet, queis rem Chriſtianam funditus deleret. Qui poſt varia in Chriſtianos homines exempla Montem majorem obſidione obvallavit eo animo, ut vel arcem iniquis conditionibus caperet, vel omnes ad unum ferro demeteret. Qui cùm arcem crebris aſſultibus, & dolis attentarent, tanta animi contentione ſunt repulſi, ut Mauris rebus diffiſi, de demittenda obſidione cogitarent, acriter tamen pro intercipiendis commeatibus, ne in arcem inferrentur, laboratum eſt. His coactus Ioannes, extra muros egreſſus cibaria ſæpiſsimè non citra ſanguinem comparabat. Enimverò ad illos egeſtatis terminos adducti ſunt, ut aut deditionem facerent, aut fame ſitique enecti interirent: quorum utrumque moleſtè ferebat Abbas, cùm certò ſciret Mauros propugnaculum ingreſſos fœminas, pueroſque cum maximo & pietatis, & corporum diſcrimine in captivitatem adducturos. Itaque viros bellaces vocat ad conſilium, qui cùm longiores moras in conſultatione traherent, invariatis omnium ſententijs convenerunt, ut vulgus imbelle, fœminas nimirum, infantes, & ſeniores jugularent, lautamque ſupellectilem, & quidquid auri, argentive eſſet, immiſsis flammis ad cinerem reſolverent, & favillam: Poſteà copijs in acum eductis cum hoſtibus arma conferrent, ut victoriæ ſpe prorſus amiſſa, ſeque ſuoſque ulciſcerentur. His ita decretis, furentibus ſimiles, manantibus ubertim lachrymis cogitata perficiunt. Queis ut Abbas Ioannes exemplo præiret, ſororem cum nepotibus jugulavit. Tandem cùm deſperati iam in hoſtes involarent, tam fortiter ſe geſſere, ut hoſtium Imperatore Chriſtianæ fidei deſertore impudentiſsimo Abbatis gladio interempto, alij in fugam penetrarent, quorum tergo hærentes noſtri per aliquot leucas animosè inſtabant. Poſtquam receptui datum eſt ſignum, noſtrates ad colligenda ſpolia remearunt. Videres lautam ſupellectilem, veſtes pretioſas, vaſa aurea, arma, equos, frena, cadavera per agros paſsim iacentia.

Imprudens Chriſtianorum conſilium.

Totam

Iugulati ad vitam revocantur.

Totam eam noctem dum per lachrymas licuit, victoriæ palmam celebrarunt. Quis enim oblectamentum caperet ijs interemptis, quos in vita chariſsimos habuerat? Die craſtina ad primam auroram duos vident equis inſidentes, glomerato inceſſu ad ſe feſtinos venire, quorum feſtivi clamores, & voces incomptæ cælum feriebant. Qui ut Abbatem convenêre, fide majora retulerunt: Illos nimirum, quos per ſummam carnificinam iugulaverant, ſingulari Numinis beneficio ab Inferis fuiſſe excitatos. Dici non poteſt quàm immortaliter fuerint tam feſtino nuntio gaviſi, cui fidem non habuerũt, priuſquam rem oculis uſurparent. Hi omnes, qua ictus eſt inflictus, purpurea lineam ſignati apparebant.

Locus ille in cœnobiũ mutatus.

4 Ioannes alta quadam mente præditus, ſpolia in omnes æque diſtrahit, quibus ornati, & locupletes ad patrios lares receſſerunt. Et vaſtam illam ſolitudinem, ubi tam lætum nuntium audierat, elegit, ut reliquum vitæ tempus ageret, auguſtiſſimæ cęli Reginæ, cui ſe ſuaque omnia multis nominibus debebat, emancipatus, cui & hoſtes exſtinctos, & ſuos ab inferis reduces factos referebat, quamobrem ædiculam illam excitavit, ubi tempus continuis ad Deum precibus abſumeret: effigiemque Deiparę puerum Ieſum molli amplexu prę ferentem in memoriam accepti beneficij è materia duci curavit, queis eandem lineam imprimi juſsit, quam ſuſcitati in collo prę ferebant, ut tanti muneris memoria immortalitati tranſmitteretur. Sunt qui aſſerant, effigiem illam è cœlo lapſam ultro ſe Ioanni obtuliſſe eadem in collo cicatrice, quam noſtra adhuc ætate videre eſt.

Ioannis Abbatis exceſſus.

5 Tuguriolum non longè ab æde incolebat Abbas pientiſſimus, ubi Deum votis precibuſque aſsiduè fatigabat. Cùm tamen in lecto morti proximus decumberet, Lorvanienſes monachi morbo implicitum inviſebant, aſsidebant dolenti, ægritudinem allevabant. In quorum conſortio animus è corporis vinculis abſolutus ad Superos evolavit. Vita defunctum Lorvanium ad ſepulturam traducere monachi curarunt, at nec vi,

nec

nec ratione ab ædicula movere potuerunt. Quo tam insolito prodigio cognoverunt, superos ita jubere, ut ubi vitam egerat, ibi post mortem sepeliretur. Grandia eius ossa nostra tempestate ad aram Deiparæ terræ infossa argumento sunt, virum fuisse staturæ Giganteæ. Plura lege, si placet, apud Bernardum de Britto 2.p. Monarch. & Chron. Cisterc. lib. 6. c. 27. & 28.

De alijs Deiparæ Virginis simulachris.

18 Portuensibus majori in templo est Deiparæ simulachrum miraculis illustre, quo Mafalda Alfonsi Regis uxor multis devicta beneficijs templum illud donavit. Huic Regina plurimum ob oris majestatem, & pulchritudinem obsequij exhibebat: vel maximè quod illam desertis in sylva locis invenerit, à quibus, Dominæ à Sylvis, nomen est. Putatur jam inde à Gothorum ætate illic fuisse absconsam. In cujus gratiam Mafalda lauta supellectile, & urbis jure templum exornavit, & in singulos annos pecuniam assignavit non modicam. Hujus urbis templum maximum positum est, ubi olim propugnaculum constructum esse constat; quam ob causam Portuenses pro stemmate usurparunt, turres duas, & cæli Reginã inter utramque mediam. Ex quo fonte promanavit, ut urbs illa apud nobiles Authores sanctæ Mariæ civitas nuncupetur. Est præterà in thesauro omni auro pretiosius brachium Vincentij martyris, quod Vlyssippone Bracharam cùm asportaretur, accidit non sine Numine, ut mulus ad majorem sedis aram recta pergeret, nec ullà inde vi avelli potuerit. Hæc Ioannes Barrius lib. de rebus Interamnensibus cap. 12.

B. Virgo à Sylvis.

Brachium D. Vincentij.

19 Tramontana in Provincia, non longè à Brigantio Deipara est, cui à Serrâ nomen inditum: invocatio tamen ab Assumptione nuncupatur, quo die numerosa utriusque sortis multitudo confluit miraculorum fama permota, quæ per totam anni seriem subinde succedit.

B. Virgo à Serrâ.

B. Virgo à Ribeira.

20 Distat ab eadem urbe leucas duas Deipara à Ribeira, quæ etiam multorum frequentia quotannis ob crebra miracula invisitur. Intra Avinhanij terminos in Algazillæ confinijs nobile fanum est, quod Deiparam à Pemedijs dixêre: Hanc molem tam insignem excitavit peregrinorum larga manus. Tenet fama, cùm in illis locis muta fœmina vagaretur, Deiparam fuisse conspicatam, & admonitam de templo in illo loco excitando, in cujus rei fidem hæsitantia linguæ est expedita. Fœmina hæc, si fides est adhibenda rumori, Benedicti Moralij primæ nobilitatis viri ancilla erat. Hæc ad rivum multis ante temporibus à sancta Maria dictum evenisse certum est.

B. Virgo à remedijs.

B. Virgo ab Hierusalem.

Augustissimæ cæli Reginæ à Hierusalem dictæ dicata est nostra tempestate ædicula ultra oppidum à Monte Corvi nuncupatum. Hæc ad illius formam est elaborata, quam Barbari apud Palestinos complanarunt. Fœminæ agenti pecudes se obtulit Deipara, illamque admonuit, ut sacerdotem faceret certiorem de visu tam insigni: postea verò aream templo metaretur, ad illam formam, qua muta fœmina eum edoceret, cùm Deiparæ beneficio linguæ reatus exsolveretur. Muta verò fœmina in metando templo Deiparam sequebatur præcedentem, quam sacerdos, præsens licèt, non intuebatur. Quamobrem parva hæc ædicula peregrinorum concursu frequens est, ut animis obfirmatis, damnum in Palestina illatum Deiparæ resarciant. Inter indigenas rumor est AEdituum Deiparæ à torrente, quæ ad Durij ripas sita est, voluisse hujus ædis originem, & caput aperire. Hic jam ad Palæstinos se contulerat peregrinus, ubi Virginis ædem coluerat, quam eversam rumor prædicabat. His commotus ad Hierosolymam solvit, ubi ædem jam solo æquatam miseris lachrymis observavit.

B. Virgo à Franqueira

21 Nec minori cultu apud Interamnenses observatur Domina à Franqueira in delubro perantiquo, quod ad Bracharense Societatis Collegium pertinet. Plenis in hanc domum vijs omni ex loco concurritur; vel maximè sub ferijs Resurrectionis. Miraculis quotidie ea eniter; quæ Numẽ cæleste, interpositа

posita Virginis majestate perpetrat. De hujus delubri fonte, & cunabulis mira commemorantur, quorum memoriam temporis diuturnitas cum annalibus simul abolevit. Quapropter omnibus supersedeo, utpote cui nihil liquidò constat.

22 Bracharæ celeberrium est templum Virginis, quæ à Candore, vulgò dicitur, Nossa Senhora à Branca, in quod multi confluunt miraculorum fama perculsi: ut morbis jam deploratis faciant medicinam. *B. Virgo Candida.*

Azurarij præter cætera nobilitata est Virgo à Præsentatione ob frequentia miracula, quæ Virgo sanctissima edit oppidanis. In confinijs Vimarani nobile fanum est Dominæ à Lacuna. Quod, ut fama asseverat, Virginis apparitio excitavit, qua sibi hanc ædem exstrui imperavit. Multorum frequentia illustris est, & miraculis coruscat. Per id tempus Franciscus Pereira vir pius, & honestus Monsonij Virginis natalitio illustre templum pro parva ædicula sacravit. Quo die dici non potest quàm numerosa turba concurrat, miraculis compluribus frequenter claret. *Alia templa.*

23 Domina à Luce in delubro parvo non longè ab oppido Cos, in Lerienssi Episcopatu, paucis abhinc annis religiosè colitur: cujus hæc est origo. Anus quædam Catharina nomine sarmenta in sylva colligebat, quam Deipara suo compellans nomine, rogabat; vellet ne sibi ligna colligenti suppetias ferri? Cui Anus non sine stomacho: ad hoc, inquit, venisti, ut mihi sarmenta vestiganti subeas auxilio. Non multo post tempore iterum se illi videndam obtulit, illamque admonuit, ut se præeuntem comitaretur. Cui Anus, ita sanè erit, te ego sequar. Postea Deipara cum Diva Martha se Anui fatigatæ tulit obviam, & cum illa in hunc modum sermonem contulit. Catharina huc adesto, tibi ego clavem amissam restituam. Ad hæc Anus: scilicet hic superis labor est: clavem ego in sylva amisi, tu illam apud te servabis? Rursus Deipara: Accede, ne te excrucies: clavemque amissam restituit. Postea simul cum Deipara puteum excavarunt unius cubiti altitudine, à quo perennis aquæ scaturigines *B. Virgo à Luce.*

turigines ebulliunt. Tunc Anum hortata est Deipara, ut palam hæc omnibus faceret: omnem scilicet quacumque valetudine detentus esset, illo fonte mersum melius habiturum. Instabat Anus, se nemini illo præconio facturam fidem. Omnes tamen, cælo ita iubente, prædicāti fœminæ fidem habuere. Rumor hic ita diffusus ad Episcopi Lerienſis aures peruenit. Hic fama permotus Episcopus, & id quod erat minimè suspicatus, fœminam in custodiam daret; nisi mendicus quidam ad fontem accederet, quem cùm Anus ablueret, repentina sanitate gauisus est. Magni habita est Anus in posterum. Nullus erat, qui laceras illius vestes, & attritas pro reliquijs non haberet. Honestæ tamen fœminæ anum aluerunt abundanter; quæ quidquid de quotidiana alimonia supererat, in mendicos distrahebat. Quoscumque salubri fonte anus mersabat, saluti pristinæ reddebat. Ipsa post duos annos exstincta est: Sita ad aram Deiparæ in eodem delubro, quod hodie nobile est, & porticibus hinc inde constructis exornatur.

De *Misericordiæ Sodalitio sub tutela Virginis sanctissimæ.*

Nihil est in orbe Christiano magis glorioſum, siue operis pietatem expendas, siue vtilitatem, quàm Misericordiæ Sodalitium, in sola Lusitania celebratum, & in ea Rege Emanuele ad annum salutis humanæ 1498. ab Eleonora Regina Martiæ virtutis heroina sub Beatæ Virginis patrocinio institutum Vlyssippone, ex qua in præcipua Lusitaniæ castella breui tempore deriuatum est, magno diuini honoris incremento, exterorum admiratione, perfidiæ euersione, & communi corporum, atque animarum emolumento. Tot verò sunt illustria templa Virgineo nomini dicata, quot in vrbibus, atque oppidis Misericordiæ delubra: Singulis annis sacro Visitationis Beatæ Virginis die duodecim eliguntur sodales ex cæterorum numero egregij ad Misericordiæ mœnia toto anno inquenti obeunda, qui dicuntur

cuntur mensæ assessores, ijs, & toti Sodalitio vnus præficitur, sanguinis, ac virtutis ornamentis condecoratus, cui nomen à Prouidendo. Ex duodecim illis sex è prima nobilitate leguntur, ex media plebe sex alij, sed in neutris vlla perfidi sanguinis labes reperitur. Cùm de re aliqua conueniendum est, mensæ in orbem circinatæ omnes assident, nullo vel dignitatis, vel natalium habito discrimine; in cæteris præterea ministerijs alter ex nobilioribus, alter ex popularibus æquali passu exercentur, siue inuisendi sint ægroti tenuiores, siue faces in pompis præferendæ, siue humeri pheretro libitinario supponendi. Reges sæpius Sodalitio per annum præsidere voluerunt, & plerumque in Sodalium numero censentur. Nullum est Misericordiæ opus, quòd gnauiter non exerceant; Mendicos ostiatim oberrantes, cùm annonæ caritas vrget, in classes distribuunt, & nunc viris opulẽtioribus, nunc cœnobijs ditioribus alendos tradunt. Honestiores fœminas, quas pudor à mendicitate deterret, duo bis in hebdomada inuisunt, & tantum pecuniæ, vel frumenti relinquunt, quantum ad vitam commodè tolerandã satis sit. Quibus non est in carcere ad necessariam alimoniam facultas, cibos erogant, & ne iure cadant, aduocatos conducunt, & ad litis expensas pecuniam liberaliter impendunt. Quid memorem præstita nudis operimenta? Quid puellas parentibus destitutas matrimonio adiecta dote collocatas? Quid captiuos à seruitute vendicatos? Quid mortuos sepulturæ commendatos? Illud verò huius operis dignitatẽ adauget, quòd nemo vllius mercedis, sed solius diuini Numinis obtentu in labore manuũ incumbit.

Perpetui miraculi vicem obtinet, quòd cùm nullos status reditus illud Sodalitium habere possit, rarò tamen, aut numquam desideretur, quòd in operum misericordiæ exercitium expendatur, cunctis affatim, aut in vita stipem, aut in morte legata subministrantibus; inter quæ frequenter aliqua reperiuntur, quæ ad quinquagenos, ad sexagenos, & centenos etiam mille aureos numerantur. Quod potissimum euenit, cùm aliqui obeunt, quibus iusti hæredes desint, maximè si in transmarinis

regionibus occumbant. Nullæ quoque vetant leges, vt ab illo Sodalitio possessiones administrentur, & annui reditus collocentur in ea opera, quæ defuncti mandarunt. Sic ab Vlyssipponensi singulis annis vltra quadraginta mille aureos, & sæpe ad sexaginta, & septuaginta in Misericordiæ subsidium insumuntur. Tantam verò vtilitatem ex vno hoc opere regnum metit, vt mihi ad fidem procliue sit, eo Deum voluisse labores aliquos compensare, quibus Lusitani in diuulgando Christi ad barbaras nationes nomine insudant.

Insigniora Sanctorum delubra per totam Lusitaniam dispersa.

S. Vincentius. 1 Sunt præterea per totam Lusitaniam aliorum Sanctorum ædes dispersæ miraculis nobilitata. Vlyssippo, ut ab ipso capite auspicemur, cum alijs permultis, tum præcipuè Vincentij martyris inuictissimi corpore nobilis est, quem Alfonsus Henricius Lusitanorum Rex pientissimus majori in templo ad custodiam simul, & ornamentum, non sine pompa celebri reposuit.

Verissimus, & sorores. 2 Cœnobium Sanctorum, cognomento novum, regia munificentia constructum opimis Verissimi, Maximæque & Iuliæ sororum spolijs superbit: Hæ fratris vestigijs insistentes pro Christiana pietate fuderunt sanguinem.

D. Antonius. 3 Quin & Antonius Confessor egregius, cuius corpus nobis Petalcium abstulit, Olyssippone in paterna domo templo non humili colitur, & obseruatur; Et in majori urbis templo concha adhuc obseruatur, in qua per aquam lustralem originis maculam absterfit.

D. Felix. 4 In cœnobio, vulgò Chellas, Felicis Africani Scyllitana oriundi, & Gerundæ exstincti corpus per summam pietatem colitur. Cuius obseruandæ exuviæ (simul & Adriani, sociorumque, qui sub Maximiano Imperatore pro Christi pietate propugnanda

pugnanda Nicomediæ egregiam operam fortiter posuerunt) cæleſti Numinis beneficio ad arenarias cœnobio vicinas appulerunt.

5 Mitto exuvias alias, ſanctorumque reliquias, quæ in alijs eiuſdem urbis fanis religiosè coluntur, ut videre eſt in delubro S. Franciſci, & Deiparæ à Gratia, & Matris Dei; D. Vincentij templum Sebaſtiani martyris brachium obſervat; Quin & fanum Miſericordiæ dicatum D. Anna cæli Reginæ mater brachio illuſtrat. *Plurimæ reliquiæ.*

6 Illud non omittam, quod frequentiſsima civitas miratur; Delubrum ſcilicet D. Rochi, ad cuius ornamentum orbis terrarum confluxiſſe videtur; Hoc quater in anno reliquiarum divitias oſtentat, quas ſi quis ſceleribus expiatus inviſat, criminum veniam aſſequitur. *Templum D. Rochi.*

7 Præter D. Irenes ſepulchrum Scalabis adauget famam inauditum illud miraculum, quod regnante Alfonſo huius nominis tertio contigiſſe fama eſt: quod paucis dicam, tum quia relatu dignum, tum quia apud Luſitanorum annales nulla eſt de illo mentio. Fœmina ex platea Feraria domeſticas cum viro ſimultates frequenter exercebat, quibus ut remedium compararet, vicinam convenit Moyſaica adhuc religione deliram, quæ ſuo hortatu, & amuletis frequenti diſsidio faceret medicinam. Vicina Hebraicis nugis implicita, nocendi tempus nacta, fœminam in hanc fraudem inducit; ſibi, ſi velit cum viro mutuo amore copulari, Chriſti corpus ſub candido velamine deliteſcens, ut tantis malis medeatur, opus eſſe. Fœmina minimè mala, & quæ nihil aliud, nec votis quidem conceptis, in animo haberet, niſi marito familiariter uti; perjuræ Hebrææ conſilijs acquieſcit. Divi Stephani templum feſtina adit, &, ut ſe ſacro pabulo reficiat, ſacerdotem rogat: cuius poſtulatis cùm ſacerdos non moleſtè blandiretur: panniculam oti inſertam, ſacerdote imprudente, ſudario bene mundo; & concinno clanculum obvolvit. His actis quaſi voti compos candida fœmina ſe domum recipiebat. Ecce tibi, quà iter perſequitur, ſanguinis *Miraculum Scalabitanum.*

guttæ

guttæ subinde defluentes viam signabant: Accurrit frequentissima hominum multitudo, confluunt certatim fœminæ: quę sint ea vulnera porrò? quid ve ferat? memoret: Misella fœmina rei novitate, & dissuetudine attonita, quo se verteret nesciens, domum grallatorio gradu se contulit, sudariumque in scrinio ad custodiam caute occlusit.

Lux ambit sacram Eucharistiam.

8 Cùm ad multam noctem somno se traderet, maritus rei ignarus, insolito splendore ab scrinio emanante perstrictus, ipsa meridiana luce clariori, uxorem percontatur: quę lux tam clara repente? A quo fonte tantus splendor diffunderetur? Illa & formidine capta, & miraculo perculsa rem, ut erat, conjugi aperit: qui ad primam auroram è lecto surgens, Curiones, & primæ nobilitatis viros certiores facit, remque ordine pandit. Confluit certatim numerosa utriusque sortis multitudo, qui sacram hostiam sanguinis adspergine cruentatam venerantes, solemni pompa in parœcia D. Stephani collocarunt: ubi, post acres concertationes inter religiosas familias & parœcias, quia litem vicit, nostra tempestate perstat. Vt tamen Curiones litem per pacem dirimerent, & Dominicanam familiam in tranquillum conferrent, eos sudario donarunt, quod in theca christallina conditum in sacrario servant. Illius Curię Hierophantæ sacram hostiam cerea in ampulla inseruerunt, cuius fragmenta etiam nostra tempestate sanguineis maculis respersa observantur. Longa annorum serie perstitit sacra hostia cera obvoluta, cùm tandem reserata cera pręter omnium spem chrystallina ampulla visa est Angelorum industria elaborata, quę sacram particulam ea arte circumdat, ut, unde incipiant, quovè desinant structurę compages, nec visu, aut ratione percipi possit.

Concursus ad illud miraculum

9 Pietas illa, quæ majores nostros ad pietatem prolectavit, non refrixit apud minores: siquidem nostra ętate frequentissimum est illud sacrarium propter multiplices rerum formas, & figuras, quæ videntibus se passim offerunt, cùm bis singulis annis illuc confluentibus videndum proponitur, semel octavo die post Christi ab inferis excitatu: iterum sub ferijs natalitijs.

Alij

Alij Christum in crucem actum, alij Iesum puerum in molli parentis amplexu, alij alia obtuentur, prout cęlestis Numinis fert voluntas. Ab aliquibus nostræ Societatis viris certò scimus, qui cùm peregrinorum more Scalabim peterent, sacra in pyxide res admirandas deprehendisse, quas Conimbricæ nostro in Collegio apertè euulgarunt; Cum primis Pater Iacobus Coelius, qui Brigantino in Collegio optatos vitæ annos felici clausit interitu. Hunc dicere solitum accepimus, non sine lachrymis, & animi pietate singulari, vidisse se in primis Christum sibi aversum. Tam acerbo casu perculsus Pater lachrymas ubertim profundit, & se omni favore indignum secreta æstimatione pensabat: illud Moysis identidem ingeminans; ostende mihi faciem tuam. De improviso aversum Dominum conversum intuitus est tam hilari facie, tam amœno vultu, ut mœrorem omnem ex animo deterserit. Quo gaudio fuerit delibutus, quàm immortaliter gavisus illo adspectu, testantur lachrymæ, quas vir ille alta quadam mente præditus identidem emittebat, qui vili lacerna tectus, ut moris erat, in primis nascentis Societatis incunabulis, nulla ratione à viso domino poterat avelli. Per id tempus aliud non minus inauditum conspicatus est: Hominem, scilicet direptis vestimentis, qui crucem eminentibus stimulis horrentem, & senticosam mira animi contentione utraque manu amplectebatur, ad cujus cacumen non citra sudorem, & cruorem sensim irrepebat. Quod visum in se pertinere non dubijs signis intellexit, qui peccandi illecebris, & seculi diuitijs valedicens, post multos emensos labores, & per varia rerum discrimina ad Christianæ pietatis fastigium indefesso studio erat adscensurus. Inter hæc animi Deo fruentis gaudia, illud animo occurrit, quod Vates sanctissimus votis omnibus expetebat: Transfige timore tuo carnes meas, &c. Res mira, vix dum verba absolverat, subito pavore ita exhoruit, ut quò se conferret, penitus ignoraret. Exitus tamen acta probavit; nam in posterum ita resipuit, ita se Numinis obsequio emancipavit, ut in virum alterum mutatus, animum virtutum

Visiones mirabiles eo loco.

Exod. 33. v. 13.

Psal. 118.

tutum ornamentis locupletem Superis mandarit.

10 Anno 1569. à Christi natalitio P. Franciscus à Monclaro, priusquam cum socio vela faceret in Monomotapam Afrorum provinciam cum Francisco Barreto, cui hæc expeditio fuerat demandata, & qui universæ classi præerat, habita bona venia ab Antistite Vlyssipponensi, ut tanto miraculo, priusquã conscenderet, inter privatos parietes visuri afforent; Cùm frequentes in genua provoluti sacram pyxidem religiosissimè colerent, alter illorum qui conscensuri erant (Monclarum puta, qui humilitatis causa nomẽ suppressit) in sacra ampulla osseam crucẽ in tumulo fixam vidit, altam palmos decem: Cujus ossa, ita ad invicem per compages cohærebant, ut recta pertica quinq; aut sex ossibus è tibia extractis constaret, transversa verò duobus, & dimidio. Anceps consilij Pater per totum sacellum oculos conjicit, essetne crux aliqua ibi insculpta, quæ è Cristallo resultans imaginẽ redderet? Sed nihil tale ibi conspicatus, hianti similis obstupuit: in eodemq; obtutu diu fixus paulatim accessit; Inde (fide majus) carnea frusta cruore quasi stillantia non sine horrore cõspexit. Posteà cùm locum, unde egressus fuerat, occuparet, cœlesti visu est mirificè recreatus: nam se Christus videndum proposuit, tam hilari fronte ut ab inferis reducẽ factũ ad vivum exprimeret. Tandem Christi simulachrum livore & plagis deformatum, cùm illum Pilatus turbis illudendum proposuit, his verbis: Ecce homo. Hæc omnia coram retulit P. Ludovico Consalvio Sebastiani Lusitanorum Regis præceptori, alijsque permultis. Et (si Patris epistolæ fides est habenda) è tam insolito visu præsagijt labores, calamitates, & exitium, quę classem cum Duce Barreto in ea expeditione manebant. Sed Christi facies tam miro splendore illustris vires addidit, ut summa animi contentione instãtes calamitates negligeret. In hac expeditione classis præfectus cum nato, & militũ non exigua parte, diem obiêre vel veneno corrupti, vel adversa valetudine tabidi. Inter has adversæ fortunę vicissitudines expeditus Monclarus, & divino obsequio addictus in Indiam solvit, inde in Lusitaniam

Visio alia

niam remeans Romam petijt, iterumque ad Indos vela faciens, in Christi & Societatis obsequio vitam terminavit.

11. Visitur etiam nostra tempestate, apud Scalabitanos in ædicula parua, cognomẽto Apostolorum, Christus in Crucem actus, ad quem fœmina pro auxilio confugerat? Huic adolescẽs vitæ non admodum castigatę per speciem conjugij pudicitiam eripuerat; postea cum fidem falleret interpositam, fœminæ illudebat. Quid faceret lachrymosa fœmina, expugnata pudicitia? quos testes tanto dedecori laudaret? diem adolescenti dicit, Curionem adijt, ædem petit, Christum præsentibus omnibus alloquitur, illumque in suam litem testem citat. Vix dicendi finem fecerat, cùm subito Christus refixis è Cruce manibus, corpus & caput inclinans, publico testimonio litem attestatus est: qua ratione, non sine miraculo perseuerat, & intra prescriptos dies confluenti ex omnibus locis multitudini obseruandus proponitur. *Imago Crucifixi Scalabitani.*

12. In Cœnobio Sancti Dominici mira quædam visuntur: ibi enim sancti Aegydij, qui miraculis radiauit, sepulchrum constructum est; illud interim locupletant reliquiæ Fratris Bernardi, & puerorũ, quos Iesus puer conuiuãtes, cælo inuexit. *Aegidij, mira alia ibidem.*

13. Absolutis, quæ ad Vlyssipponem pertinebant, Eboram petamus, cui non paruam facit accessionem Natalitium Vincentij, Christinę, & Sabinæ sororum; Durat etiam nunc, Comitis Iuliani propugnaculum, in quo multos annos Mansij corpus seruatum est. Perstat & columna, cui alligatus vapulauit, quam Eborensis pietas per summum cultum reueretur. *D. Vincentius, & sorores.*

14. Ebora distat leucæ spatio templum Deiparæ, Turagium vocant; non longè videntur veteres parietinæ, & aquæ ductus, quo in loco, fama est, multos pro Christi fide sanguinem fudisse: quos inter Episcopus cum duabus sororibus animam feliciter egerunt, quarum vna, Columba nuncupata. Vbi verò alia cruore terram imbuit, fons statim prosilijt, à nostratibus fons sanctus appellatus; quamobrem multi aduersa valetudine tentati in illo abluuntur. *Martyres plurimi.*

D. Romanus. 15. Apud Orichios D. Romanus in parua ædicula colitur, vbi illius corpus occultatur, caput in oppido Panojos monstratur. Huc confertissima peregrinorum frequentia se confert, vt diuinitus ad pristinam restituantur valetudinem.

Puer Iesus Eboræ. 16. Eboræ in Sanctæ Monicę Cœnobio voluit puer Iesus, plurimis clarere miraculis; quorum primo monialis quædam Maria à Sylueria gauisa est. Hęc illa est Maria, quę à primis annis inter Moniales nutrita est, aduersa semper tentata valetudine, adeò vt pes alter vi morbi altero contractior palmo quasi esset. Hæc cùm lecto non decumberet, ne gradum quidẽ vnum sine fulcimento faciebat. Spem amiserant prorsus medicæ artis periti; illam tamen Spiritus numquam destituit sperantem, fore vt cælo bene fauente salute frueretur. Per annum integrum hanc sibi iniunxit prouinciam, vt effigiem Iesu pueri in præsepi decumbentis per summam pietatem curaret: qua super re inter Moniales pietatis rixa exardebat; Illa verò felicior habebatur penes quam huius euentus palma esset. Maria natali Christi die ligneis fulcimentis, & monialibus subnixa chorum petiuit, puerumque in paleis deposuit, & in genua prouoluta in omnes preces descendit; gemit, suspirat, lachrymatur, orat, vt tandem aliquando morbum depellat, vt ad sanitatem reuocata illum efflictim ardeat, & Cœnobij Ministerijs inter alias faciat satis. Audijt orantem Numen, nec in irritum preces ceciderunt: & ad Gallicinium, cùm Moniales rem diuinam administrarent, quæ contractione, imò claudicatione multata fuerat, de improuiso morbo libera, surrexit adeò sana, & vegeta, vt nullum morbi indicium appareret; viribus tam solidis, & confirmatis, vt ipsa sequenti nocte alias ad matutinos preces de somno excitaret. Pauor, & solatium tam aperto miraculo religiosam familiam peruasit. Eborensis tamen Pontifex illud publico testimonio firmatum in annalibus signauit; statuitque vt sacer puellus in scrinio ad illos vsus elaborato in templo collocaretur. Vbi in posterum magis, ac magis miraculis irradiauit. Ad quem inuisendum confluunt non tantum de plebe viri, sed primæ nobilitatis

tatis heroës, quos inter Sebastianus Lusitaniæ Rex cum patruo Henrico, & Domino Eduardo, & Antonio Regis Emanuëlis nepotibus non sine Christianæ pietatis argumento se puero obtulerunt.

17. Ad hæc, Eborensem pietatem mouit Spiritus sancti Collegium: vbi Societas nostra sanctuarium operis non pœnitendi, & mira artis industria elaboratum anno decurrente populo spectandum exhibet: semel die vndecim mille virginibus sacro, iterum cùm sacri ligni inuentio celebratur. Ad quod obseruandum non tantum oppidani & vrbani, sed rustici etiam opere interposito commeant, tum vt iubilæo fruantur, tum vt opimas Diuorum exuuias religiosè venerentur. *Collegij Societatis Eborensis sanctuarium.*

18. Oppidum, Mons maior appellatum, Diui Philippi Apostoli cranium habet, quod D. Fernandus Martinius Mascaregnas, cùm à Sebastiano Lusitaniæ Rege ad Synodum Tridentinam legaretur, habita Pontificis summi bona venia secum importauit, & in templo D. Francisci collocauit. *D. Philippi caput.*

19. Nec longo Ebora cursu distat D. Eleutherij templum intra Villæ nouæ terminos, vbi Diuus se videndum præbuit. Hunc ad locum frequentes commeant peregrini miraculorum fama exciti: Multis sanitatem impertit, illis maximè, qui hernia laborant. *Templum D. Eleutherij.*

20. His, & compluribus alijs diuinæ beneficentiæ fauonius pede inoffenso Lusitanorum pietatem prouehit in melius: quos tam miris Sanctorum reliquijs locupletauit, qui amica intercessione Lusitanorum partes apud cælestè Numen tot obsequijs oppignerati agerent. Quam erga nostrates indulgentiam planam fecit Deus, cùm tot Sanctorum pignora per æqua, per iniqua ad Lusitanos comportauit. Nam ad Portuenses Pantaleon Martyr est à Nicomedia Bithyniæ vrbe delatus: Vincētius Vlyssipponem: Diuus Torpes Pisis ad oppidum Sines nomine: Diuus Iacobus interciſus Romæ, ad Bracharenses: Thusci Martyres, Bernardus, Petrus, Otho, Accursius ex Africa Conimbricam sunt deportati. Plura, sciens & prudens *Sancti, qui aliunde ad nos accesserunt.*

mitto, quibus alios ſpoliauit Deus, noſtros vt ditaret: qui tam grato animo ſunt, vt orientis diuitias, & expeditiones præ his ſanctorum oſsibus flocci pendant.

Peſtis ceſſat per miraculum.

21. Anno à Chriſto nato 1599. ardebat peſtilentia Vlyſippo, quæ vicina contagione Salaciam peruaſit. Accidit, vt Diui Bartholomæi peruigilio (libitina vix ſufficiente morientibus) cùm ſacerdos in ædicula Diuo Rocho ſacra, vbi D. Sebaſtiani ſimulachrum poſitum erat, rem diuinam faceret, oculos in effigiem conjiceret, guttis vbertim manãtibus vndique ſudantem intuitus eſt. Rei nouitate attonitus effigiem in propatulum adducit, vt omniũ oculis exhibita, res foret illuſtrior. Res mira: præſentibus omnibus magis atque magis in ſudorem reſoluta eſt, adeò vt Curioni negotium in abſtergendo ſudore, qua ſudariolis, qua mappis exhibuerit. De improuiſo cymbala feſtiuo plauſu feriuntur, rumor magis atque magis increbeſcit: cõfluunt plenis vijs peſtilentia laborantes, & fide obfirmata ſacro inunguntur ſudore: quæ pietas votis ex æquo reſpondit. Nã ex quo tempore hæc ceciderunt, nec peſtis amplius graſſata eſt, nec vllus, licèt ſpe deplorata, in poſterum morbo ceſsit; duos ſi excipias, qui per id tempus, animam iam iam efflabant. Et cùm ægrotantes ſimul, & ſani vltro citroque ſine religione miſcerentur, nulli hoc commercium nocuit. His actis decreta ſolemni pompa confertim ædiculam petunt, vbi grates Sebaſtiano habuere immortales. Hoc miraculum multorum teſtimonio ſtabilitum, litteris conſignauit D. Ioannes à Mello Eborenſis antiſtes. Vlyſipponenſes tanto beneficio non ingrati ædem exædificarunt, eo in loco, in quo ſacra effigies ſudorem vbertim diſtillauit; effigiemque cautè occluſerunt; nec vlli vnquam conſpicitur, præterquam die Sebaſtiano ſacra, in qua ſolemnis pompa à curiæ ſenatoribus, non ſine ſumptibus inſtituitur; Iterum Menſe Auguſto, cùm D. Bartholomæo dies ſacra obſeruatur: cùm Sodalitium quoddam ſupplicatione inſtituta, tanti beneficij magnitudinem in memoriam addũcit.

22. Conimbricæ in monaſterio D. Claræ monumentum

eſt

est Elisabethæ Reginæ sanctissimæ. Hoc amica Principis sanctissimę intercessione miraculis illustratur. Illis pręcipuè hæc accidunt, qui oliuo lampadis ad sepulchrum ardentis in vnguntur. Anno post Christum natum 1612. Martij 25. Regis imperio resignatum est Principis sepulchrum, adstantibus Præsule Conimbricensi D. Alfonso à Castelbranco, Præsule Leriensi, alijsque compluribus è sacris religiosorum familijs: in quo non sine adstantium stupore iacebat adhuc cadauer solidum, intemeratum, & succi plenum, eadem venustate & gratia, ac si tunc animam efflauerit: Cùm iam annus 276. esset, ex quo fuerat sepulturæ mandata, nam anno 1336. exstincta est. *B. Elizabethæ corpus.*

23. Sanctæ Crucis in Cœnobio sunt adhuc dulces Martyrum exuuiæ, qui Marrochij exstincti sunt. Quorum capita argento sunt ad elegantiam & pietatem obtecta: illorum quoddam coronę cincinnis adeò in orbem illibatis, vt ne vnus quidem defuisse capillus videatur: quod lucem affert illi sacrę paginæ oraculo: & capillus de capite vestro non peribit. Sunt præterea alia permulta cùm pia, tum mira. Principem locum habet Theotonij corpus, qui primus Cœnobiarcha sacram illam familiam administrauit. Est etiam Sanctæ Comaræ, quæ vulgò sancta Columba dicitur, cadauer. Nec non & pientissimi Regis Alfonsi Henriquij, & Sancij filij corpus, quæ ob mira quædam ibi edita, inter Diuorum exuuias possunt numerari. *Martyres Marrochienses.* *Luc. 21. v. 18.* *D. Theotonius.* *S. Comaræ, siue Columbæ.*

24. Loruanium vetus Cœnobiũ est, è Monialium B. Bernardi disciplina, vbi reliquię complures obseruãtur. Ibi enim corpus Dominæ Teresiæ, & Sancię Reginæ locatum est. Est etiam stimulus de Christi corona auulsus, cum magna sacri ligni parte; sunt prętera duo illorum corpora, qui Marrochij pro Christi causa animã feliciter exhalarunt; & Cranium Abbatis Ioannis miris illustratur; illos cũ primis leuat, quos lymphati canes malè habẽt. Hæc inter habet locum principẽ Deiparæ effigies, quę quia hominẽ ab inferis excitauit, Domina à vita vulgò nuncupatur. Collocatum est in capitulo Christi in Crucẽ acti simulachrũ, ad quẽ soror quædã cõtractis neruis malè multata preces fundèret, *Loruanienſis cœnobij reliquiæ.*

funderet, de improviſo melius habuit. Mitto exuvias monialium, quę in Chriſti obſequio vitam terminarunt, quarum oſſa ſi quis refodiat, ſuavem ex ſe odorem inſpirant. Hæc Fr. Bern. de Britto in Chronicis Ciſtercienſ. lib. 6. c. 39.

Brachium D. Gregorij Naz.

25 Apud Nabantinos in Regio Cœnobio manus integra eſt D. Gregorij Nazianzeni argento incluſa. Ad Conimbricam pertinet vir alta quadam mente præditus Eugenius Abbas Lorvanienſis familiæ Benedictinæ; qui, cùm Luſitanus in vinculis detentus eò deveniſſet, ut iam iam capitis damnaretur, cum Mauro convenit, ut noſtratem liberum abire ſineret, ſe obſide, & ſponſore pro pecunia in vincula impacto. Acquievit Abbatis poſtulatis Maurus: Cùm verò Luſitanus fidem interpoſitam falleret, & promiſſis minimè maneret, Maurus ira commotus, de viro ſanctiſsimo graves pœnas cepit. Illum è trabe ſuſpenſum noctem integram ea affecit carnificina, ut mirum profectò fuerit animam inter cruciatus non exhalaſſe. Enimverò ſequente die jam albeſcente (Maurorum Rege ita jubente) poſtquam duplicatā pro ſorte pecuniam accepit, illum à vinculis exemit tam ſævis exemplis laniatum, ut inter paucos dies inter ſuorū lachrymas & gemitus, ſummam fatalem confecerit. Sepulturæ mandatus Lorvanienſi in cœnobio, quemadmodum ejus annales atteſtātur. Occaſionem nactus opportunam de Atarelfo Compoſtellæ Præſule, facio mentionem, cujus patriam, quamvis Luſitani ignoro prorſus, quæ tanti viri ſanctimonia poterat ſatis illuſtrari. Præſul hic virtute illuſtris à Comite Conſalvo, qui Sancio Regi venenū propinavit, ſanguinem duxit; quem Rex vanis hoſtilium animorum conſilijs inductus interfici curavit, immiſſo in eum tauro indomito, qui avulſis cornibus, & in Præſulis manibus relictis, ad montem conceſſit. Hæc in memoriam tanti beneficij ad aram ſancti Salvatoris appendit Pontifex ſanctiſsimus, & Rege imprudente, nec ſalutato, ad Compoſtellam ſe contulit. Cui priuſquam appropinquaret, Superis nomen dedit, non ſine maximis pietatis argumentis. Hanc Regis impietatem, imò

Eugenius Lorvanienſis.

Atarelfus Epiſcopus Compoſtellanus.

inſaniam,

inſaniam,impunitam noluit cæleſte Numen; Nam anno proximè ſequenti 997. Almanſorius Luſitaniam inuaſit, & Chriſtianæ fidei profeſſores crudeliſsimis exemplis interemit.

26. Vrbs Lamacenſis Principis Ardingæ interitu nobilis eſt:quam rex pater (quòd relictis Maurorum delirijs Chriſtianorum ritus amplexa eſt) furore percitus ſuffocauit. Autor eſt Fr.Bernardus de Britto 2.p ſuæ Monarc.Luſit.lib.7. *Ardingæ Lamacenſis*

27. Interammenſis regio tot illuſtratur miraculis, vt qui ea oculis non viderit,fidem non facile adhibeat. Poſsidet Bracharа auguſta Petri Martyris,Gerardi,& Martini corpora,quæ cælo ita dante, D.Auguſtinus à Caſtro Hiſpaniæ primas refodit è ſepulchris in delubro , quod etiam nunc Diuus Martinus è Dumis nuncupatur ; hinc ad Cœnobium ſancti fructuoſi Franciſcanæ familiæ ſunt traducta: Poſtea tempore ſubinde ſuccedente , è noſtro Societatis Collegio ſolemni pompa ad templum maius ſunt tranſlata,& in ſacello ad hos vſus eleganter elaborato collocata. Enimverò D.Fructuoſi reliquiæ cum Sylueſtro præſule pro Chriſti cauſa interempto, Cucufata, Suſana Martyre, Secundo, & Victore Compoſtellam ab antiſtite Callaico Iacobo traducta ſunt anno à Chriſto nato 1100. Hoc latrocinium tam pium alio non ſpernendo, imò optando penſauit cæleſtis beneficentia. Nec longo poſt tempore Roma ad ſedem Bracharenſem Diui Iacobi interciſi (quem Araris Rex Perſidis iuſsit articulatim concidi)Reliquias Præſul Mauritius comportauit. Poſsidet itidem in maiori templo ſancti Ouidij Epiſcopi illius Metropolis tertij corpus , qui parieti inſertus in monumento eminet, hac inſcriptione: Oſſa beati Ouidij Epiſcopi & Martyris. Poſsidet denique D.Lucæ Euangeliſtæ brachium, quod Henricus Comes Luſitaniæ, regum fons, & Autor,interpoſita authoritate regia à Pontifice exorauit. *Reliquiæ Brauarenſes.* *Aliæ Compoſtellam delatæ.* *D.Iacobus Interciſus & Ouidius.* *D.Lucæ brachium.*

28. Adhæc , reliquias alias in maiori templo videre eſt, magno habendas. Mitto ſanctæ Mariæ à Populo Cœnobium familiæ Auguſtinianæ , à Præſule Bracharenſi D.Auguſtino à Caſtro regio ſumptu inceptum , nec abſolutum: vbi reliquia- *Cœnobium à populo.*

rum thesaurum Antistes pientissimus è Germania traductum collocauit.

D. Damasus. 29. Vimaranum licèt Damasi Pontificis maximi corpus non habeat, illius tamen fœtu gloriatur (licèt inuidentium maledicta seditiosè fremant) Habet tamen Torquati corpus; illius qui è tribus Hispanis nouissimus est. Situm est in Cœnobio Regularium Canonicorum, quod à Torquato Torquatum vulgò dicitur.

D. Gonsalus. Diui Consalui de Amarante nobile fanum est, cuius sepulchrum vniuersa Interamnensis regio religiosè frequentat, vt ægritudinibus faciant medicinam. Constantini in oppido paruo in Villæ regalis terminis magno in pretio est D. Fructuosi Cranium, quod Caput sanctum appellatur; cuius precibus apud Deum releuantur ij, qui canibus in rabiem versis mordentur, & vt rumor est, panis ex sacro capitis attactu in putredinem non resoluitur.

D. Panthaleon. 31. Amorem in Portuenses ostendit cæleste Numen, cum è Nicomedia Bithyniæ Vrbe Martyris Panthaleonis corpus ad illos transtulit: quod Ioannes Lusitaniæ Rex in scrinio ex argento conflato occludi testamento iussit.

Imago Crucifixi. 32. Habet duplicem Christi in crucem acti effigiem magni ab omnibus habitam, quòd in dubijs Reip. temporibus suppetias ferat. Quædam in delubro D. Nicolai ad ripas Durij sito: quem Capitulum cum Senatoribus curiæ, rebus in afflictis à templo euocant solemni decreta pompa. Quo facto Numen beneficum & salutare experiuntur: quapropter ad illum tamquam ad sacram anchoram laboribus afflictati confugiunt.

Alia imago 33. Alia est effigies in oppido (vulgò Matosinhos; quod mare petentibus ab vrbe vnius leucæ spatio distat. Etsi populi traditionibus fides est adstruenda, hanc à Nicodemo Christi alumno fuisse absolutam, vt de Burgensi habetur, liquidò constat. Illam non duce natura, sed cælo auspice, naufragio eiectam, & altero brachio mutilatam, non sine animi dolore collegerunt Portuenses, cùm certò scirent, nullum esse ea industria artificem,

cem, qui illatum damnum posset resarcire: suas partes tamen egit Deus, nam cùm fœmina vmbilicos vestigans, nullum non lapidem moueret, non longè à Crucifixo brachium inuenit, quod thoraci ita adhęsit, quasi ab illo nunquam esset auulsum: ea est oris Maiestas, quæ omnes ad reuerentiam impellat; Singuli singulis clauis affiguntur pedes, cui fauet Gregorius Turonensis, & alij complures, quibus placet Christum quatuor clauis fuisse confixum. Ad sacram hanc effigiem confugit Portuensis pietas anno 1526. cùm cælum importunè pluuium segetes in herba prorsus suffocaret. Decreta solemni supplicatione, sacram effigiem ferculo impositam ex oppido ad vrbẽ comportarunt: quam vt pio colligerent hospitio, quà viri, quà fœminæ, quà pueri tanta animi contentione aduolabant, ac si Christo ipsi, non verò eius simulachro obuiam procederent; Non in irritum preces abierunt; Superi enim tam pijs orsis successus dederunt secundissimos: Nam tam effusos imbres iucundissima aëris serenitas, & anni prouentus, & mendicorum remedium secutum est.

34. In Pago non longè à Portu D. Iacobi imago est, cui à Miraculis dixere nomen. tot enim miraculis illustratur pagus ille, vt fidem excedere videantur. *D. Iacobus à Miraculis.*

35. Familicanũ, pagus est Igœditani Episcopi non exiguum ornamentum; in hoc D. Francisci Cœnobium est, ad quod numerosa populi frequentia concurrit pro colendo Christo ad nodosum robur actum, quem vulgus bonum Iesum compellat. Hunc pastor quidam ruris plenus cælo duce in lucem protulit. Res ita habet. Cùm per vallẽ nemorosam pecudes baculo ageret, deprehendit ad excauatum in rupe fornicem gregem pertinaciter adhærere; rem miratus, gregem quà sibilis, quà clamoribus, quà baculo conatur impellere: operam tamen ludebat. Rei nouitate perculsus, antrum subit tophis, & pumice viuo concameratum: vix medium ingressus audit sese noto nomine citari. Non metu exhorruit cordatus pastor, in ò deposita formidine inceptum iter persequitur: quoad accessit, vbi Chri- *Iesus à Familicano.*

ſti effigiem in morem crucis efformatam honeſta forma, & liberali ſuper ſaxoſam rupem intuitus eſt: quo obtutu illum & vox & animus defecit. Poſtquam cælum hauſit, & animũ collegit, has preces effundit: Domine, ſi Deus meus es, iube me ad te venire. Ita habuit; accedit, ruit in amplexus, ſacramque effigiem apprehendens ad oppidum ſe recepit. Duos tamen è Franciſcana familia obuios habuit; qui certiores de re facti, hominem cohortantur, vt Curioni rem aperiat, ſacrumque illi offerat ſimulachrum. Quorum dictis cùm acquieſceret, ſacram effigiem ad Curionẽ detulit, quam ipſe nõ ſine pia animi ſubmiſsione in maiori templo, decreta ad id pompa, collocauit. Enimuerò ſacra effigies ad locum, vnde eſt auulſa, ſemel atque iterum remeauit. Quoad Rotericus à Caſtro primæ nobilitatis vir, ad quem illud antrum pertinebat, templum egregio opere conſtruxit, ſacramque effigiem in Cruce argentea affixit, quæ templum teneret. In quo ſi quis fuſis precibus Deum fatiget, illum ſalutarem & propitium experitur.

Plurima miſſa fiunt

Mitto delubra alia miraculis clara per totam Luſitaniam diſperſa; non enim vacat eorum origines perueſtigare; Tum quia Luſitanorum incuria & obliuio in ijs excutiendis nimia eſt; tum quia nuperus quidam auctor, qui in hæc diligentius inquiſiuit, fatetur propalam Virginis delubra per totam Luſitaniam, & Caſtellam ædificata, longè lateque reliquis anteire, quæ per totum orbem ſunt conſtructa. Hæc tamen, & aliorum ſanctorum delubra miraculis illuſtria, alijs poſt me expedienda relinquo; cura enim eſt libero homine non indigna, & quæ amorem in Beatam Virginem, & alios ſanctos manifeſtè declarat.

Hæc ſatis ſint de regno Luſitaniæ, de incolarum fortitudine atque pietate, & beneficijs, quæ à Deo ob fidei propagationem acceperunt. Quod conſilium iniuimus, ne nudæ Regum anacephalæoſes lucem adſpicerent, ſed multiplici rerum notitia commendabiliores redderentur.

PHI-

PHILIPPI II. LVSITANICA EXPEDITIO.

1 ERant ſub prælo anacephalæoſes noſtrorum Regum propediem viſuræ lucem, quando effulſit dies aſsiduis votis & geminatis precibus expedita. Cùm majores noſtri nunquam ſuis in Regibus dominos ſeverè imperantes agnoverint, ſed parentes blandè patriam refoventes, tenerum ſuis nepotibus amorem ſuos erga Principes hæreditarium reliquêre. Inde fit, ut quò diutius abſunt, eò ardentius ſuorum in animo excitent deſiderium. Cùm verò, vel naturæ moniti documento, quæ communem animantium vitæ fontem medio in corpore collocavit, Regnorum in corde Reges fixerint domicilium, ut inde facilius adminiſtrandi ratio æquabili momento functiones partiatur: Regnum iſtud, quò diſtat remotius, eò incommodius diuturna illorum præſentia frui poteſt, ſuum alijs jus longo ex tempore retinentibus. *Cauſa huius ſcriptionis.*

§ 2 A Cannenſi ergò illa Luſitani nominis clade, cùm Arzilenſi in agro Sebaſtianus ſibi immaturum obitum ſuis æternum deſiderium comparavit, nulla prolis ſpe in Henrico annis obſito, revireſcente; Philippo (cui cælum præſens ſemper ac ſecundum militaverat) Regnum obtigit Luſitanum. Suorum ille oculos benigno intuitu explevit, Luſitanorum animos largis promeritus beneficijs, quo ſibi ſuos ita devinxit populares, ut crudum adhuc & recens vulnus præſenti medicamine foveretur. Repoſcentibus tandem Imperij curis Caſtellam petijt, eò nobis deſiderium linquens acerbius, quò ſe benignius patrem geſſerat, & ſpem non exiguam noſtram iterum provinciam reviſendi. *Philippus I. ſucceſſit Sebaſtiano.*

§ 3 Eo tandem vita functo, ſuorum amori Philippus filius ſucceſsit pariter, & Imperio; quod feliciter acceptum, feliciſsimè

Phillippus II. patri succedit.

moderatur. Ad illum preces aſsiduæ Luſitanorum, crebrius iteratæ legationes amoris indices in parentem, vellet Regni fines adire, & oculis fidem adhibere, ſi forſan auribus denegaret; Viſurum ſcilicet ſuorum corda manifeſtis apertę letitię documentis, & tandem re ipſa expertum iri, quo Regem ſuum Luſitani amore, qua benevolentia proſequantur. Dum hæc ultrò, citroque deferuntur, aliquot ſupra triginta defluxêre anni, quibus noſtrorum amoris flamma vires corripuit acriores, & incendium vehementius excitavit. Inſtant ardentiùs, novas identidem faces admovent, nullis orando precibus modum faciunt, ſi quà poſsint Principis animum exorare, qui ne alienis viribus videretur expugnari, amori potius voluit manus dedere. Cùm igitur Luſitanorum preces pauliſper credebantur deferveſcere, & expeditionis negotium in ſoporifera rerum malacia obdormire, iter in Luſitaniam Philippus edixit, ex qua illum mente nulla rationum pondera conſtantem dejicere valuêre. Epiſtolas igitur Luſitanorum Conventibus, Proceribus, ac Dynaſtis in eandem ſententiam ſcriptas mittit, quarum illud fuit argumentum, velle ſe ſuam inviſere Luſitaniam, & amorem patriæ amore mutuo compenſare. Proinde curarent ſedulò Vlyſsipponenſi Curiæ intereſſe, nulliſque ſignis lætitiæ temperarent, ut quam animorum alacritatem feſtis publicè ludis ſuo parenti hilares exhibuerant, ſibi pariter non minus de cunctis meritò exhiberent.

Profectionem Rex edicit.

Luſitanorum ex nuntio lætitiæ.

4 Factu duxerim perdifficile paucis referre, quam Luſitanorum animis lętitiam improviſo felix iſte nuntius importarit. Vti enim minus feriunt tela prævisa, ita inſperata lætitia cùm imprudentem occupat, animum commovet vehementiùs. Nullus apud noſtrates ſermo de Regis adventu id temporis uſurpabatur: ita ventus ille, qui toties avidorum ſtudijs adſpirabat, ut non rarò Principem eſſe in ipſo profectionis articulo (ex animi videlicet ſententia) fabularentur, nunc poſuerat penitus, ut nemo ſanus arbitraretur poſſe Regem Madrito vel breviſsimo temporis ſpatio deſiderari, cùm graviora quàm

aliàs

aliàs rerum pondera ſuborirentur. Ad prima ergo Regis monita Regnum undique commovetur; Omnes publicis latentis animi documentis decertant, tecta incenſis noctu ignibus coronant; Equites ardentes manu faces antiquo ex more præferentes per oppidorum vias curſitant: hæc per cunctam Luſitaniam omnibus ferme locis primo ſtatim Regij Conſilij nuntio; omnibus tamen Vlyſsippo, ſeu Regni caput exemplo fuit, in argumenta lætitiæ profuſior, & quò cęlitus iſta ſibi fateretur auſpicia provenire, ſimulque cælites in exitum felicem ſecundaret, exoratos, ſolemnem à templo maximo in ſancti Dominici Cœnobium pompam inſtituit, cui diſertus æquè ac facundus concionator finem impoſuit, populum hortatus, ut tanto pro beneficio, ceu par eſſet, æterno Numini grates redderet immortales.

Regis iter, & ingreſſus in Luſitaniam.

5 Neque multum poſteà elapſum eſt temporis, cùm repente defertur nuntius, Regem accinctum itineri profectionem ſtatutam in diem meditari; ea verò dies noſtris etiam feſto equitum ludicro celebratur; illa potiſsimum, qua citatiſsimus tabellarius adventavit, fines jam primos Luſitaniæ attigiſſe. Læta extemplo tormentorum diſploſione Olyſsippo ignes undique excitavit crebriores, & ante Regis ædes (præproperè ſtudio conſutas auro, & viridi colore operoſo artificio innovatas) equitum alas Prorex, obequitans ipſe duxit; Illę varios ineunt curſus ac recurſus, & fauſtum Regno euentum gratulantur.

Helvios ingreditur.

6 Sunt in confinio Caſtellę Helvij, civitas Luſitana, qua primò exceptus Rex, oppidanis præ lætitia geſtientibus, proceſſêre obviam Magiſtratus urbis mœnia ſubeunti, & ſub umbella ex auro & ſerico equo gradientem utrimque ſtipantes (ut Luſitaniæ moris eſt) tripudijs undequaque & muſicorum choris perſonantibus, ad templum maximum cunctis feliciter applaudentibus comitati ſunt. Eodem ferme apparatu, & animorum motu ſuos ingreſſum muros Eſtremotij, Montiſque majoris populares ſunt proſecuti, quę omnia ſi vellem perſequi,

annus

annus foret, nec longa operi sufficerent commentaria. Illud maximè omnium studia, & amorem insitum promovebat, quod ex antiqua benignitate & paterno intuitu Princeps mirum in modum intuentium oculos capiebat, nec passus est ad cępæis custodiam prætorianos se publicis itineribus comitari, satis, superque suorum cordibus, quæ sibi devinxerat, obarmatus.

Eboram accessus.

7 Eboram accessit tandem, urbes inter Lusitaniæ satis nobilem, quam frequenti domicilio Reges nostri nobiliorem, Henricus eorum ultimus florenti Academia nobilissimam effecit. Nullis Ebora officijs suum erga Principem tam benevolentiæ abstinuit, quàm lætitiæ; Quod cùm alijs Regni commune fuerit civitatibus, semel dixisse satis fuerit, viam compendiariam profitenti. Iure tamen suo Eborensis postulat Academia, ut ipsius nomine tanto gratemur Principi, quæ in sapientiæ alumnos honoris contulit beneficia. Prima ad urbis limina emeriti Academici accurrere; & in cœnobio fratrum à Monte Carmelo Rector, insequentibus laureatis, ad manus oscula benignè admodum est admissus: Cunctos Rex, Principesque liberi humanissimè exceperunt, majorem ex singulari humanitate spem beneficijs ingerentes: proxima siquidem luce patrui Henrici Collegium, ejúsque insigne monumentum Academiam invisit, multo jam à tempore hæc sibi possessionis jura retinentem, quando parens Philippus eandem per otium, ac sedulò perlustravit. Primò igitur templum ingresso elegantes pueri, sydereo habitu, nec forma dissimiles, incolas cælestis aulę simulantes, nuntiant fortunata. Templo excedens, aulam ingreditur Academicam, ubi à sacræ Theologiæ Doctore, Scripturarum Interprete, inter humaniores olim ac Rhetores donatus rude, facundè admodum, & eleganter orationem habuit hospitalem; Cui Rex tunc aures benevolas, & posteà laudatricem linguam non semel commodavit. Illam ad hujus operis coronidem subjiciemus. Et ut se sapientiæ manifestius patronum ageret tutelarem, iussit, ut se inspectante, de more Academico

Eborensis Academia Regem adit

Rex Academiam invisit & honorat.

Oratio, & disputationes.

mico, philosophi descenderent in arenam, & quas in tempus proximum theses indixerat, suo sub adspectu, decoro in pulvere propugnarent. Munus arguentis honorarium Rex perhumanè accepit, illitas ambaro chirothecas. Ita studiorum in aula sese benignum præbuit Mæcenatem, ut ille, cui assidenti, ex dignitate regia, cuncti in genua cadunt, & vix Dynastæ illustriores adstant, pro studiorum consuetudine, sedere jusserit operto capite laureatos, ex quorum jucundissimo spectaculo invitum avocavit lustrandæ domus studium. Egressus aula scholasticum adijt peristylium, ubi pro temporis angustijs, jucundum pueri spectaculum præbuêre, mimoscenicum fingentes chorum, oculorum non mediocre oblectamentum. Collegium deinde totum perambulans, attentiùs collustravit, non vulgari benignitatis & benevolentiæ documento: Domum se recipiens è Collegio Societatis obscuro iam cælo ad octavam scilicet post meridiem solis horam.

8 Certis Ebora Vlyssipponem profectus itineribus Almadam attigit primis tenebris. Vlyssipponem à fronte adspicit Almada, oppidum Castello nobile, montis verticem ambiunt arcis pomeria circum circa ædificant populares, montis radicem alluit Tagus, è proxima maris vicina fluminis ostio adscédentis, nihil præter nomen retinens; Est siquidem maximarum patiens navium, cùm tractus sit Indicarum solitus anchoralis. Patet inde pulcherrimus adversæ urbis prospectus, quà supra quatuor ad oram fluminis porrigitur milliaria, & in varios assurgens colles, molliterque declivis maximam indicat opulentiam. Illud eandem inter cætera oculis efficit commendabilem ex opposita ripa fluminis prospectantium, quod prominentiora culmina, quibus civitas fastigiatur universa, Divorum templis, operis magnifici coronantur, quorum structura tam sumptu ipso operosa, quàm forma etiam civium ædibus dissimili singularem urbi conciliat elegantiam. Naves item onerariæ, quæ emporium totius Europæ celeberrimum, mercaturæ causa, assiduè frequentant, quàm longa est civitas,

Excipitur Almadæ e regione Vlyssipponis.

& duplo majori tractu in longum porrecto, aquatilem influvio referunt civitatem. Hæc loci forma, ac situs.

Vlyssippone nocturna lumina.

9 Ex animorum habitudine, qua suum erga principem Vlyssipponenses erant affecti, quivis facilè conjectabit, qua civium lætitia nox illa sit exacta, cùm præsertim civitas ex adverso spectantibus theatri subsidentis specimen repræsentet, & Regis ædes, tam hospitales illæ, ubi ex itinere exceptus id temporis commorabatur, quàm Vlyssipponenses immensis Regum sumptibus multo à tempore exstructæ ad ripæ marginem mutuo fuerint in conspectu. Primum igitur nautis datur negotium suas aptent in portu naves: sericis ornent vexillis, & tormenta festis præparent displosionibus, alternis vicibus ad numerum iterandis. Navarchi omnes classis in morem adversum Almadæ oppidum oppugnantis proras eodem direxêre signo intenti, ut omnes pariter procellam emitterent tormentariam. Navigiorum carchesia, ac mali suprema usque ad suppara lychnis erant sparsa, demissis è summo rudentibus ad foros usque illigatis, ut cùm foret opus, eodem tempore ignem corriperent, & instar pyramidis unumquodque navigium arderet ignibus, basim reddebant latiorem alvorum tabulata, undique facibus circumsepta, & sensim ad carchesia (de more nautico) injuncti funes summum cuspidis referebant. Interim cives studioso certamine adlaborabant, ne quisquam ab alio vinceretur, appensis ad fenestras, & tectorum culmina incensis facibus, quæ ut singulis in ædibus numeroso ordine, certisque intervallis, ac dimensionibus colluebant; ita in tanta multitudine nullo inter se ordine dissidebãt, & majorem adhuc, ceu astrorum dispersi ignes, spectantibus reddebant venustatem. Nondum Rex Almadam ingressus erat, & omnium ex adverso pendebant oculi, expectantes signum, ut unà omnes undique suis partibus intenti præsto forent, à Regijs potissimũ ædibus, quæ uti circũ circa summa super fastigia pergulis, ac podijs circumdantur, & singulari artificio concameratę intus, foris convexa facie veluti intumescũt, ita decrescẽdo orbibus gradu per-

vijs

pervijs trochleato, ut ad ſupremam tecti cucurbitulam poſsint facile adiri, & faciliùs feſtis ignibus coronari. Erant illæ rata portione diviſis faculis ita ſpectabiles undequaque, ut in hoc tantum munus viſæ fuerint primo ædificatæ.

Incenſio & feſtiva tormentorum diſploſio.

10 Ecce tibi ex oppoſita fluminis crepidine, huic rei addictus vigil, quod ſtatutum erat, ſignum edit, ubi Rex in oppidum fuit introgreſſus. Quot uno momento diſploſa fuerint tormenta, & volantes faculę emiſſę noctis tenebras diſsiparint, ex præſcriptis liberum cuique mittimus coniectare. Primùm urbana arx, quæ iugo edita ſublimiori civitatem deſpectat, undique majoribus tormentis toto ambitu ad libellam collibratis, momento temporis viſa fuit fragore horribili cuncta penitus ſolo æquare. Eſt Vlyſsippo (quod jam monuimus) in valles depreſſa, & in colles mutuo ſupinata, & quà vallis (liceat hoc nomine frequentiſsimam urbis aream appellare) latiùs ſpatiatur, ad regiam uſque & fluminis oram protenditur, ad ſiniſtram arcis mons, majori adſpiciens intervallo oppoſitum collis dorſum, qui dextro è latere ad ſubjectam porrigitur portus marginem: ſummâ igitur ex arce, dum tormentarius impetus colliſum aëra in adverſa culmina jaculatur, indeque à fronte dorſi alterius obſtaculum validiùs retorquebat, ima tandem ſub valle compreſſus, quaſi ex tormento iterum prorumpens, & in fluminis cavitatem geminatus Almadæ crepidinem verberabat. Naves ſubito correptę incendio, fumidâ priùs geminatis vorticibus procellam edidêre, fulgetris horridam, ac tonitruis formidabilem; tandem excuſſa caligine, ſtellis ſcintillantibus coronatę geminatis ignibus inardebant. Ad fluctus ſiquidem, ut fit, impactus ignis reciproca viciſsitudine dupli ceni jaculatur ſplendorem. Ita Vlyſsipponenſis ora, quà longiſsimè diffunditur, mare vitreum impactis radijs cryſtallinum præferebat; quin & civitas ipſa, quà maximè flumen deſpectat, ſub aquis videbatur inverſo lumine collucere; Ad ſummam uſque noctem incenſi ignes, & feſta tormentarij pulveris oblectamenta cælo defectum luminis compenſarunt, ita

Nauium lumina.

enim dilucidè patebant omnia, ut velut in meridie cuncta penitus dignoscerentur. Nox item quasi ex compacto, tranquillo aëre subnubila, mirum in modum favebat popularibus. Cuncta Rex traditur cogitabundus, ex adversa fenestra, veluti subjectam in aream despectasse, re ipsa probans, verbisque significans, quantum suos erga principes promeruerint Lusitani, quantoque jure aliàs dictum fuerit, Reges alios quot suis in Regnis clientes, totidē servos habuisse mercenarios; Quot verò habent in Lusitania Reges patrij, filios totidem genuisse, qui domos visenti suas ita applaudant certatim lætabundi.

Nautica oblectamenta.

11 Dies octo Almadæ, urbis precibus commoratus, quamdiu cives instruendo triumpho nullis parcentes sumptibus insudabant. Interim cymbæ fluviatiles ultro citroque diversis oblectamenti generibus commeabant: aliæ sirenum cantibus suavissimè insonabant: munusculis aliæ gratiores, & piscibus potissimū plenas amphoras innatātibus tenellos principes oblectarunt, dum manibus attrectātes, quo arctiùs apprehendunt, eò pisces lubrici faciliùs elabuntur. Tres civitas construxerat majores cymbas duplici remorum ordine, in biremium similitudinem ac formam, vulgò dicimus patrio nomine Barganti-nos; non incongruè forsitan dixerim liburnas, dum levem biremem Livius liburnam appellavit; Eas ita remiges intra media tabulata confidentes impellebant, ut principes & aulicæ fœminæ desuper suis in sedilibus, quin adspicerentur à nautis, libero spatio veherentur. Harum primam inauratis remis, & scalmis, divitem apprimè & elegantē, quæ aliquot millibus constitit aureorum, urbis proceres Regi obtulerunt, ut fluviū sursum, deorsū animi causa perlustraret, Secundā Principi filio: tertiā cubicularijs fœminis, & Dominę principi ancillantibus virginib. quæ aulico de more principes fœminas comitabātur.

Piscatus per eos dies.

12 Ne igitur minus frequentis oppidi solitudo, fastidio foret Regum oculis opulentæ multitudini assuetis, curarunt nostri piscatu vario tempus decipere fastidiosum, & Regē, ac principes secundo flumine multiplici musicorum cōcentu, & phaselis

ſelis undique circumſeptum ad locum piſcationibus nobilem deduxerunt, ubi retibus artis peritiores gurgitem ambientes innumeram piſcium multitudinem extraxêre, quos intra ſcalmos ſaltitãtes ante Principum oculos demiſêre, Mediterraneis hominibus non viſum aliàs, & idcirco longè maximum oblectamentũ. Id ſæpius repetiverunt quamdiu Vlyſsippone cura morabantur. Erat item navis Indica in anchoris mediũ ad flumen, quam Rex vidẽdi ſtudio eſt ingreſſus, & ſedulò perluſtrata numquam ſatis mirabatur molem tantam poſſe ſub immẽſo pondere tot maria tranſnatare. Exſpectabantur propediem ab Hiſpali triremes regiæ, quibus ex Majeſtate debuit portum ſubire, nec Luſitanæ id tẽporis erant in portu, cùm rarò ſoleant abeſſe. Igitur ne incommodo hoſpitio tamdiu comitatus regius & Principes ipſi detinerentur, in cœnobium Divi Hieronymi (templum Bethlemiticum appellamus: In Hiſpania notum ſatis, ſive potius in Europa univerſa, cùm portus è faucibus diſtet parum, & juxta illud in civitatẽ ſubeant onerariæ) iſtud, in quã in cœnobinm principis juſſu tranſlata Curia, domos uſui opportunas monachi actutum compoſuêre, & tandem ibidem integrum fere menſem Rex, & miniſtri aulici permanſêre, dum civitas, quæ triumphuo opus forent hoſpitali præpararet, & triremes quæ deerant, pervenirent. *Bethlehem cœnobium.*

13 Appulit tandem tredecim triremium claſsis; prætoriana ante alias (quam dicimus triremem Regiam) integrum poſtulabat opus, nec mediocrem: ſi foret, vel ſtylo ſimplici deſcribenda. Certè puppis eo fuit artificio, opere, ac cælatura, ut ad quadraginta aureorum millia (ſi fides id atteſtantibus tanta in rei formidine danda ſit, id tamen vulgò creditur enarrantibus) in exſtruenda referantur collocata, & veroſimile efficit contignatio pavimenti argento ſolido cruſtulatæ. Iſta tamen ſtudioſis ſcriptoribus, quibus per otium res integra demandatur, mitto curioſiùs inculcanda. Remi utrinque erant inaurati, Remiges induto rubro ſerico damaſceno; ex eodem velamen fuit, quod triremibus ſolet extendi, cæli *Hiſpaniæ triremes.*

umbraculum inclementis. Intra remorum transtra visebantur ex auro & serico intertexta supra triginta vexilla, quæ aura molliter ventilata fluctuantem in aëre fluvium simulabant. Hanc duodecim aliæ eodem pariter impetu sequebantur.

Triremem Rex conscendit.

14 Vbi verò Princeps triremem regiam conscendit, extemplo quotquot erant à fluminis ostio navigia ad summam usq; civitatem procellam emisêre tormentariam: Et symphoniaci ac tibicines numeroso certamine modulantes, quo Bethlemiticum cœnobium ab Vlyssippone distat spatio suavissimum concentum edidêre. Ad duo navium millia id temporis Vlyssipponensi in portu omnis generis ac formæ numerabãtur, quem seipso pulchrum, pulcherrimum efficiebant, tot appensis diversi coloris & stemmatum vexillis; erant siquidem à totius Europę Regnis vario mercimonij quæstu in Lusitaniam solitæ commeare. Secunda postmeridiem solis hora, tacito, ac lento remigio flumine adverso cœpit triremis regia Vlyssipponem versus conscendere merce nusquam aliàs onusta feliciori; vectabat siquidem parentem Philippum medium, cujus sinistro lateri adhærebat Isabella nurus, dextro Philippus hæres, tandem germana soror Maria, quorum pulcherrimum spectaculum post adspectum, oculos intuentium capiebat. Ardentique adeò desiderio omnes undique accurrebant cymbæ, quo propius oculorum cupidinem satiarent, ut non semel remis implicitæ longioribus, naufragij discrimen subierunt in media voluptate.

Vlyssipponẽ appulit triremis.

15 Festo igitur rei navalis apparatu Apostolis Ecclesię principibus sacra die, Vlyssipponi auspicatissimo, ad forum regium appulit triremis, & ferreis harpagonibus illigata, facilem admodum tenuit non dixerim exscensum propriè, sed transitum contiguis æqualem tabulatis. Erat siquidem moles sublicia ad medium fluminis æstuarium, longo admodum extensa tractu, quam vallis ligneis, summus operarum labor, mutatis alternis vicibus succedentium, aquatili solo defixit, quamdiu æstu reciproco unda refluens decrescebat. Validis inde asseribus

bus trabes connexæ firmiſsimam deſuper contignationem continebant, quę arena ſuperiniecta aream foro ſimilem, equis reddebat ſpatiabilem, eo conſilio, ut è triremi in equum Rex facile tranſcenderet in triumphum. Quatuor ad ſummam aquam gradibus exſcendebatur, quorum tres proximè injuncta triremis imperabat, quarto ac ſuperiori coæqualis. Machinam hinc inde peribolus ambiebat ligneus, gypſo albicans lævigato, ſpiris ad elegantiam, ac nexibus inauratus: quem ex opere cancellato auro illitæ fulciebant tornatiles columellæ. Quatuor aureorum millibus opus conſtitit.

16 Excenſurum Regem exſpectabat equus candidus, nullum alium paſſus ſeſſorem, Cygnum nobilem appellabant. Principibus liberis iuxta aderat currus, oculis patens undique, nullo ſcilicet operculo concameratus. Equum primò conſcendit Rex, currum deinde Principes: è lateribus prætoriani de more Regio incedebant bipartiti: Proceres Luſitani detectis capitibus pedites incedebant, neque alij præter Regem, ac liberos equis, aut curribus vehebantur, niſi ex aulico inſtituto inferiores aliquot miniſtri, quorum id munia poſtulâbant: ij verò equis incedentes frequentem ſubmovebant turbam, comitatumq; omnem Regiũ præcedebant. Verùm enimverò, vel numquam Vlyſippo, vel hac potiſsimum luce ſeipſa major, & opulentior viſa eſt. Hoc ſiquidem magnitudinis hac in urbe fuit ſæpius obſervatum, quod naves innumeræ, & claſſes militibus admodum numeroſæ, in littus multa hominum millia exponentes nihilo magis adaugeant vulgarem frequentiam, & uſitatam: neque aliquis animadvertat populum denuò accreviſſe. Cùm tamen de Regis adventu rumor oppida pervaſit mediterranea, ſubitò univerſa Luſitania confluxit Vlyſsipponem ſtudio viſendi, quem tamdiu ſuis finibus abeſſe dolore irrito querebantur. Ad hæc illuſtriores familiæ, quibus honoris munera jure hæreditario in aula regia obtingebant, & Rege abſente ſua ſeceſſerant in oppida, eò Luſitaniam in Curiam redeunte, domicilium tranſtulêre; Duces deinde, ac domini oppidorum

Triumphũ Rex auſpicatur.

pidorum, legatique ut remp procurarent, citiùs adventarunt. Vna denique civitas regnum universum sua intra mœnia retinebat, omnesque undanti turbine vias obturabant penitus, neque obfirmato robore laborantes, immotoque vestigio obluctantes custodes corporis (gens cum primis valida, & corporis mole gravis) poterant confluentes undique submovere; Ita scilicet ardenti amoris impetu tracti impatienter, quà Rex gressum direxerat, ferebantur. Quod tamen spatij, vel exigui, Regis satellites pandebant viæ, primum chori saltantium præeuntes, ijque innumeri occupabant: Equis deinde palatij, & Curiæ janitores, clavas argenteas, prout moris habent, gestantes humero: Reges deinde honorarij (vulgò dicimus stemmatum Reges) insignibus Lusitaniæ noscitandi, quibus purpureæ chlamydes holosericæ exornantur. Proceres inde Lusitani, qui nusquam aliàs frequentes visi. Eorum ornatum, qui vellet singillatim recensere, & unionum, carbunculorum, & adamantum pretia æstimare, legentium admirationi potius, quàm fidei studeret; siquidem palliorum cuculli, tunicarum comissuræ, pileorum cingula ita pretiosissimis fulgurabant margaritis, ut quoquo verterentur, instar syderum repercusso lumine scintillarent. Rex tandem ultimo amabili decorus majestate oculos animorum dominos in res singulas insequentium deflectens perhumanè, nullis gratiosior, vehebatur.

Vrbis & procerum ornatus.

17 Rex è triremi conscendit equum, primum ubi attigit tabulatum, eo quo diximus ordine pompa triumphalis intra septa hinc inde cratibus incedebat, fuit verò ad ducentos, & eo plures passus via latissima rosis strata adeò acervatim profusis, ut nihil dejecti soli, vel tot inter proterentes apparuerit. Fuit portus ille sublicius exstructus ultimo in foro, quà distant maximè Regum ædes, primam sub horam fluminis opere & artificio satis nobiles. Illa cum primis quadrato ex lapide supremum usque ad fastigium, quatuor à lateribus aëri pervia, quem fenestris excipit peraccommodis. Hanc uti primo ripæ in margine erecta est, mercatores urbis intestino opere simularunt, ut è

Via temporaria à mercatoribus urbis exstructa.

mari

mari prospectantibus eadem scenographia ex æquo, & ad amussim quàm longa est area videretur. Fuit opus omni scribentis studio elegantius, quadrum, ceu domus illa regia, quam respiciens ab adverso æmulabatur. Eadem prorsus orthographia infimo è vestigio, ad summam usque coronidem, & fastigium, quatuor formabant angulos ingentes plinthi, quibus parastatæ, ac tandem pilæ innixæ incumbebãt, & epistilia sustinebant. Vnde fornices quatuor suum quæque in latus curvabantur. Molis coronamenta Zophiris fulgebant inauratis, aureis item loricis, ac peribolis multiplici mæandro interceptis, qui frontes medium findentes latus ambiebant, donec exscendentes paululum, concamerata reddebant iconibus loculamenta, in quibus videre fuit effigies colossæas mira operis cælatura, artis Phidiacæ nobilissimum monumentum. Hæc perstringimus quàm brevissimè, laconicam in alijs adhuc religiosius servaturi disciplinam; foret siquidem immensum operis ichnographiam machinarum triumphalium, vel rudi penicillo adumbrare; Erant verò illæ auro fermè, & argento in miram celsitudinem bracteatæ; huius ex pretio (quod à mercatoribus Lusitanis didicimus, quorum studio ac sumptibus perfecta est) aliarum neque arte, neque materia dissimilium æstimetur; ad sexdecim enim aureorum millia impensa operi, ex codicibus colligitur rationarijs. Sexdecim à lateribus stylobatæ antis latiores paululum, & scapis (Architectonicis sunt hujusmodi notiora) ut totidem statuas mole arduas sustinerent. Subter onerosum istud opus patebat via, quam diximus rosis puniceam; fuit illa utrimque peribolis circumdata, columellis ac fulcris auro illitis cancellata. Certis utrimque intervallis bases assurgebant quadratę, supra quas procero habitu, ac forma visebantur heroum Lusitaniæ imagines ad similitudinem & corporis lineamenta dedolatæ, ea serie sese mutuo intuentes, quam singulorum ætas cursu temporis denotabat. Cuique adstabat propè eiusdem magnitudinis simulachrum, virtutis illius, quam quisque dum vixerat, studiosius fuerat amplexatus.

Viæ orthographia.

Operis sumptus.

Hæc via circum illum maximum ab imo ad ſummum uſque interſecabat, primam urbis attingens portam, cuius utraque facies ſupra domorum faſtigia diverſo operis artificio fornicata pulcherrimam Anglorum molem ingreſsis mœnia oſtentabat.

Anglorum pegmata.

18 Fuit argumento operis Vlyſsippo à Maurorum tyrannide feliciter liberata, in cuius expugnatione Anglia non mediocrem noſtris hominibus navavit operam, proindeque à Luſitanis gratiam promeruit ſocialem. Supremo in vertice D. Georgius candido inſignis equo, nomini Luſitano in acie tutelaris, triumphalem porticum coronabat. Interior ad urbem muri facies claros Anglorum Duces Luſitanorum auxiliares, nec non Luſitanos plures Angliæ inſignibus decoros bello partis (quæ à Rege ſocio honoris ſigna acceperant militaria) diviſis hinc inde loculamentis exhibebat. Illud operi acceſsit majeſtatis, quod civitas non exiguum evertit murorum tractum, ut è portis duabus eandem efficeret longè maximam, nullis parcendo ædificiorum damnis, quæ ſupra murum longo ex tempore cernebantur. Eſt primò ingreſsis forum, ædibus cinctum undique, pluribus tunc ſtylobatis, & paraſtaſis conſertum, quibus urbium ſimulachra mole corporis grandiora claves, deditionis inſigne, manu præferentia, ſuorum quodque armorum ſtemma, & fructum, quem procreat, pulchriorem offerebat? Hic Regem operiebantur urbani magiſtratus, quos inter è Senatoribus unus paucis Regem allocutus monuit, qua illum omnes cupiditate expetiverint ultrò ſuſcipere, & urbis ſponte claves tradere, quod Superi fauſto ſidere ſecundarent.

Vrbis claves Regi deduntur.

19 Patebat rectà proſpectantium oculis æquè dives atque operoſa moles illa, quam opifices argentarij, ad plateæ oſtium in ingentem admodum erexerant altitudinem. Fuit verò arbor patulis diffuſa ramis ex argento fuſili, imis à radicibus ad ſupremum uſque verticem trunco & brachijs protenſa, ac foliis argenteis inumbrata. Primo in trunco inerat Alphonſus ille Regni auſpex, ac parens fortunatus, ex quo feliciſsima progenies

Arbor argentea omnium Regũ Luſitanorũ

genies, fœcunda tot nepotibus ortum trahens, ramos extenſos in latera, & rectà ſurgentes ſurculos præclaris Regum imaginibus decorabat. Vltimam cunctis imponebat coronidem Philippus primus Luſitanus, Hiſpanis ſecundus. Omnes verò illi ex ſuæ ætatis habitu, vel toga, vel militari paludamento inſignes viſebantur. Opus univerſum vel ipſa materia commendabile, quanti poſſet æſtimari, viderint qui arborem ſupra ſeptuaginta excelſam palmos contemplentur, ramis undique protenſam craſsioribus, ac folijs denſiſsimis opacam; Iſta verò omnia non è fictis bracteolis, ſed fuſili ex argento ignibus liquato, vel contuſo malleis ad incudem. Neque aliquis arborē fingat animo ramuſculis fictilem delicatis, ſiquidē omnia inter ſe iuxta artis præcepta ſibi conſtabant adæquatè, ac deridiculo verteretur ſimulachra inſerere humano habitu celſiora tenuibus ramorum virgulis, inani obtentu frondium complicatis. Iſta igitur mittimus expendenda, dum Rex in dextram deflectens viam, moles ſubinde præterit triumphales.

20 Erant verò illæ uſque ad porticum templi maximi, ſex, uti artificio diſsimiles, ita pretio de primatu non iniuria decertantes. Omnes inter ingenioſo figmento præcellebat fornix (portam ferream appellamus) palmitibus, frondibus, ac racemis ita naturam vividè æmulantibus, ut nuſquam malleoli geniculatis poplitibus curvatiores, ſarmenta pubentiora, vivæ radices gemmantiores, propagines viſæ fuerint lætiores; ſerpebat vitis alibi natura ſua humilis, & ipſo foliorum pondere caduca, paulatim alibi claviculis complexa fulcrum ſenſim in ardua tollebatur; alibi luxuria ſylveſcens in partes omnes nimia fundebatur. Ac tandem ex articulis una oriens prominebat, pendens hinc herbido turgēns virore, & frondoſis pampinis inumbrata, inde rubro paulatim colore punicata, ita denique vitis in ſpeciem intus fornicem, ac foris muri faciem veſtiebat, ut ars naturam viſa fuerit ſuperaſſe. *Sex aliæ moles.*

21 A fronte ſeſe dabat in conſpectum templi maximi orthographia; Acclivis molliter aſſurgit via, gradibuſque mar-

Italorum pegmata in foribus templi maximi.

moreis primum usque ad vestibulum conscenditur, turritaque excrescens moles, latum Italis præbuit spatium machinæ instruendæ triumphalis. Quam maximum igitur patet fastigium, pictis ad elegantiam tabulis, arcubus, ac zophoris inauratis occuparunt, pondus utrimq; humeris sustinebant gygantum statuę colossęæ. Fuit argumento operis Romulus Romani generis origo è lupę nutricis uberibus pendulus, una cum fratre Remo, quos fera blandè refovẽs demulcebat. Maiori in tabula Philippus II. stabat medius, cui Italia læto glebæ ubere fœcunda cornucopiam pomis, ac floribus abundantem procidens ingenua deferebat. Ad templi gradũ infimũ Rex equo exscendens obvios offendit Ecclesiæ Cathedrales, nec non Archipræsulem in Vlyssipponensem Michaëlẽ à Castro, virũ vel primo adspectu sanctimoniæ spirantẽ odoramenta, quem omnes ut virtutum exemplar & pietatis singulare documentũ venerantur. Illũ Rex honoris causà vetuit longius procedere, & honorificè acceptũ propius adiũxit lateri, templumq; ingressus, & adytũ, ubi invicti martyris Vincẽti corpus asservatur maxima religione, urbis præsidium tutelare; templi ergo sanctuaria religiosè veneratus, eâdem qua primò fuerat ingressus, porta egreditur, & iter remensus iterum novo spectaculo oblectatur: dum quæ latuerant à tergo transeuntem, modò conversa facie intuetur.

Novæ platea.

22 Ad latissimam, ditissimamque urbis plateam devenit tandem (novam appellamus vulgò) columnis utrimq; domorũ porticus sustinẽtibus, quàm longa est via, cancellatur, & utroq; à latere, inter domos confertissimas, in eandem influunt angiportus, ac tramites ostijs angustioribus pervij, notissima compendia commeantibus. AEdes ad septem excrescunt habitantium tabulata, plurimis necessario fenestris perforata, cùm plurimi eodem sub tecto, larium diversorum habitent inquilini; Erant igitur appensis undique peristromatis, fenestræ auro desuper reticulatæ; AEdium parietes summis è tegulis infima usque ad vestibula holosericis circumvestiti, columnæ (studio certantibus inquilinis) zonis erant circumdatæ inauratis, viæ, tramites,

tramites, & angiportus à magiſtratibus urbanis in tribus fuerant diſtributi, ut machinas operoſis ſumptibus excitarent, ea tantum viſendas fronte, qua plateam à latere ſpectabant: Hanc vel unam urbis viam qui videbat, urbem ſe vidiſſe credebat, pluſquam Romanis Imperatoribus triumphalem.

Mirabilis Belgarum machina.

23 Media viſebatur Belgarum moles ſupra fidem narrantium memorabilis. Opus quàm maximum tabulis graphicè depictis, & imaginibus conſtabat grandioribus; Erant illæ prope innumeræ, tam viros, quàm fœminas forma & habitu ſimulantes; Septemdecim cum primis Galliæ Belgicæ provinciæ, inter ſe tamdiu diſsidentes; Harum ſingulæ antiquæ gentis authores referebant, eos potiſsimum, qui Luſitanos Principes, Hiſpanos, & Auſtriacos cognationis vinculo attingebant: additis inſcriptionibus, quæ genus, nomen, ac patriam una cum ſanguinis neceſsitudine exponebant: Illud re ipſa natum præ cæteris inventum placuit; Erant ſeptemdecim, quas diximus, provinciæ ita diviſim collocatæ, ut novem Regi ſubditæ dextero à latere adſtarent, ſuum verò unaquęque ſtemma præferebat; Et diſſecti cordis dimidium diſtrahebant: dimidium octo aliæ ſiniſtrorſum verſæ rapiebant; ſtemmatum ſcuta erant vittis puniceis innexa, & tabellis ita exæquata ad invicem commiſſura mutuo concurrentibus, ut vittis convenirent ſimul, & in diverſa tractim diſsiderent. Cordis in medio diſcordia inſidebat Erinnys Poëtarum coloribus adumbrata. Cùm ergò triumphalis incedens pompa machinam attigit, & Rex in ſublime oculorum aciem direxit, ſubitò diſcordia recedente, læto intuitu, & adſpectu blandita facili concordia apparuit, diſsita utrimque ſtemmata, & duas cordis interſecti partes vittis colligens copulatis, ut Belgium teſtaretur, ijſdem ſe ſtudijs conventurum, & uno animorum conſenſu cordis unanimem clientelam ſub Luſitano Rege ſubiturum.

Duæ aliæ moles.

24 Hanc Rex ſubtervectus molem, duas offendit ſeſe mutuo contuentes: Primam à ſiniſtro latere opificum monetalium,

lium, à dextro aurificum alteram. Illam auri & argenti feraciores provinciæ honestabant; degentis forma, & habitu expressę, suas ultrò fodinas Lusitanis insignibus offerentes, quę operi fastigium ovali spatio imponebant. Suam aurifices non absimili prorsus constructerant argumento. Erant siquidem à lateribus duo felicissimi argonautæ, qui utramque Indiam Europeis felici audacia per tot fortunæ casus aperuerunt; Vascus Gama Lusitanus secum Orientis provincias Carbunculis, Adamantibus, Sapphyris, Vnionibus, & omnis generis margaritis uberrimas Phillippo I. Lusitano afferebat. Ex adverso Christophorus Columbus Genuensis Indiã Occiduam Hispano deditam, auri scaturiginem inexhaustam. Sartores ultima in platea concamerato sub vestibulo, auro affabre consuto Salomonem finxerant solio insidentem aureo, succollantibus item aureis leonibus. Foret annus, breve spatium ista minutius recensendi, quocirca fuerit satius plurima subticere, nec tandem spatiari; Cursim tamen, & ex itinere dum Rex in aulam deflectit, noctis obscuræ tenebris circumseptus, incensis totum forum regium funalibus collucebat, & viæ divisis ordinibus intersectę, quas Germanorum opera, & sumptus maximi exornarunt. Est in forum illud patens undique ex regiæ fenestris prospectus iucundissimus; ubi inoffenso vestigio Vlyssipponenses aulici, & quidquid est in urbe splendoris & nobilitatis, spatiantur, vel inambulantes pedibus, vel equis luxuriantibus equitantes. Hic Regum in oculis (quamdiu res floruit Lusitana) urbanæ militum copię ludicra Martij spectacula simulabant, belli præludia ineuntes.

Germanorum moles.

25 Hanc sibi aream Germani mercatores elegerunt, neque dubio illis jure adscribendam, siquidem corporis custodes ad aulæ portam vigilijs excubant indefessis. Primum igitur partitis ordinibus latissimum illud spatium devisere, cuprea, & magni operis simulachra super ingentes columnarum bases collocando, quibus generis Austriaci heroës ad vivum expressi cernebantur. Illic videre fuit decem eiusdem familię Imperatores Roma-

Romanos, illuſtre Auſtriacorum ornamentum; nec non imperij illectores ſeptem; Imperij Duces quatuor; Eiuſdem totidem Marchiones, Comites deinde quatuor, quos appellant Provinciales, Caſtrenſes item quatuor, imperij totidem; ſimiliter Barones, uti vocant, quatuor; Metropolitanas exinde urbes quatuor, & quatuor item municipia, pagoſque quatuor, qui imperij nuncupantur. Erant verò ſtatuæ omnes ſupra hominis magnitudinem armis, habitu, & ſtemmate, genus ac patriam imitantes; hæ vias utrimque longa ſerie ſimulabant, eo inter ſe ordine, ut machinam ultimo erectam capite contingerent, quà porticus patebat quatuor à lateribus tranſitu pervia fornicato. Aliud poſtulabant otium ſcribentis ænigmata, & antiquorum emblemata, quibus moles quadrata ingeniosè dimenſa, & eleganter effigiata fuit, & Romanis tandem aquilis inſignita.

26 Mediam Rex ingreſſus portam ad ſiniſtram deflectit, & funalium uſus meridie ad regiæ veſtibulum exſcendens equo, Principeſque liberi egreſsi curru, domos tamdiu Regum viduas, & erepta ſolatia deplorantes regio ingreſſu exhilararunt. Noctem illam, & inſequentes quot luminibus lucidas, concentibus ſuaves, ſaltantium choris tranſegerint lætabundas, videndum mittimus propenſos in Regem noſtrorum animos contemplanti. Certè tormentarij pulveris quantum ijs in noctibus conſumptum fuerit, difficile æſtimabitur, in canales ſiquidem miro artificio defluebat ignis; Modò cymbæ, ac triremes obviæ in Martis accenſi ſpeciem concurrebant; ſaltantes inde hominum chori, ac fœminarum imbrem igneum limbis, in orbem numeroſis paſsibus ſeminantes ciebant choros; denique in urbe militari, ac maritima, in qua civium ſtudia nullis ſumptibus modum facere didicerunt, nullo hac in re artis, vel pretij officio temperatum, præſertim cùm hæc adeò cordi fuerint Philippo Principi regnorum hæredi, qui cùm acrioris ſit ingenij, igne rapido, ac tormentorum diſploſionibus ſummoperè oblectatur. Sequenti deinde luce Rex ac Principes quot-

In aulam ingreſſus.

quotquot heſterna viderant, lentiùs perluſtrarunt, & attentius: quod ſubodorati populares, eodem prorſus ornatu domorum oſtia, porticus, ac feneſtras compoſuêre. Nihil denique à Luſitanis ceſſatum, ut Regis animum officijs promererent.

Brigantini Ducis ingreſſus, & maieſtas.

27 Diebus exinde inſequentibus nobiliores Dynaſtę urbem ingreſsi; Dux cum primis Brigantinus, qui regiæ nihilo conceſsit majeſtati, quemadmodum pari conſanguinitate Reges attingit Luſitanos; uterq; enim tam Philippus Rex, quàm Theodoſius Brigantinus Emanuëlem Luſitaniæ Regem agnoſcunt atavum, ille Regis eiuſdem filiam Iſabellam aviam, Brigantinus Eduardum Iſabellæ fratrem refert avum. Eſt Brigantina familia regiæ Luſitanæ mutuo conſanguinitatis fœdere arctiſsimè copulata, cùm dotales nurus invicem non ſemel fuerint ſociatæ. Quod fuit in cauſa, cur Brigantina domus in tantam excreverit magnitudinem, ut intra Regni fines vix habeat, quo ſe extendat, vel ipſo Theodoſio atteſtante, cùm enim Rex vellet Duci ſignificare, quàm ſibi fuiſſet gratioſus: Pete, inquit, à me aliquid, quo benevolum tuas erga res in me animum experiare. Tanta (reddidit Brigantinus) majores tui, ijdemque mei in meam domum profusè contulerunt beneficia, ut nullum mihi ſpatium reliquerint nova denuo expectandi. Illud unùm à Rege grandioris beneficij loco ducam, ſi Luſitanum genus, ac proceres cum primis parentis inſtar amplexabere. Quod reſponſum Albano Duci præbuit argumentum illius epiſtolæ, quam familiari ſuo ſcripſit ex Caſtella, ubi remanſerat, quamdiu Rex inviſit Luſitaniam in hæc verba. Doleo maximè, quòd Regem non fuerim in Luſitaniam comitatus, ut præter alia ibidem noſtra ætate viderem hominem, qui nullum à Rege beneficium expetivit. Ex antiqua noſtrorum Regum conſuetudine, & animo in Duces Brigantinos liberali, jus obtinent ijſdem utendi miniſtris, ijſdemque inſignibus, ac Reges ſolent; proinde cuſtodes corporis, & ſtemmatum Reges honorarios ſecum deferunt, ijs etiam in locis, ubi Regis curia commoratur; Quin & militarium Ordi-

Albani Ducis epiſtola.

Brigantini ira.

num

num insignia conferunt plurimis clientibus, magno eosdem adaugentes censu; quo fit, ut illorum frequentent Curiam è Lusitaniæ primoribus non pauci. Narrationem haud mediocrem incipere fuisset opus, si Ducis huius in urbem ingressus, & assiduus procerum comitatus foret deintegro inculcandus. Illud tantum non æquum fuerit subticere, quo plebis infimæ sibi gratiam conflavit non vulgarem. Potior è piscatoribus pars decumarum Duci penditur, quo ex censu in dies singulos summam ingentem colligit aureorum, in civitate maritima, ubi piscationibus confines innumeri, ac populares vitam alunt. Ea igitur, qua ingressus est, simul & die altera, utraque esu carnium interdicta, piscatoribus concessit ius liberum venditandi, quod se ipso non exiguum beneficium, eò visum est maius, quò largiùs in plurimos fundebatur.

28 Magno item est ingressus apparatu Averij dux, regia oriundus stirpe, qui sanguinis claritudinem ad Ioannem secundum refert atavum, primum domus ac generis conditorem. Nec dissimiles visi sunt Villę regalis & Ferreriæ Marchiones, è quibus ille est non suis præclarè in militia gestis minùs, quàm antiqua Regum origine glorioſus: iste regiæ quoque propagini recentiori sanguinis vinculo coniunctissimus. Hujusmodi tamen plurima, nominis quidem & gloriæ non vulgaris, erit potius præterire, ne ab instituto compendio liberius recedamus. *Dux Averiensis & Marchiones.*

Tres ferme Vlyssippone menses Rex commoratus, & in commune consuluit, & suos agnovit cominus: expertus quanto fuerit habenda in pretio Lusitania, ubi tot visu dignissima sibi anteà ignota penitus perlustrabat. Omnia ad unum, quotquot sunt in urbe, invisit monasteria, tam virorum, quàm monialium, à quibus amanter admodum, ac lautè excipiebatur, certantibus utrimque, & Regis benevola humanitate, & suorum studijs, ne, quoad paterentur vires, amoris documento vincerentur. Cùm verò nostra hisce in regnis Societas parentes semper agnoverit Reges serenissimos Lusitaniæ, qui illam *Philippi in omnes benignitas.*

primis adhuc vagientem in cunabulis sinu perâmanter exceperunt, neque suo tantùm in regno, socijs, & provincialibus eandem blandè refoverunt, nullis vel parcendo sumptibus, vel studijs abstinendo; sed externis etiam Principibus sedulò ac frequenter commendarint: à nobis filiorum amorem sunt promeriti, cùm ijsdem patrocinium, vitæ usuram denique acceptam debeamus.

Tragicocomedia Emanuëli Regi exhibita.

29 Publico igitur & communi omnium amore, qui promiscuè & indiscretè in omnibus elucebat, suum voluit IESV Societas ostendere singularem; neque optantium voto defuit rei eventus. Quod temporis angustiæ concessêre; indefesso opere insudarunt humaniorum litterarum professores, ut spectanti Principi palàm facerent, quantum resp. valeat litteraria, idque excogitarunt argumentum, quo se omnibus reip. muneribus accommodos exhiberent, re ipsa probantes Minervam suam è Iovis cerebro, penu totius artificij cumulata, prodijsse. Fuit argumento operi Rex Emanuël Lusitanus, Philippi atavus, à quo regni jus obtinuit hæreditarium, ejusque auspicijs aperta India, & suorum virtute feliciter expugnata. Fuit scenica repræsentatio ita comicè tragica, & tragicè comica, ut tragico-comediam nuncuparint, nec Mimis indecorè facetam, nec tragicis lugubrè funestam, sed mutuo attemperatam condimento, ut floridę spectantium majestati conveniret. Biduo fuit edita nulla Principum satietate; quin ardentius rogitabat, num foret tertiò repetenda. Spectarunt Rex, Principes, & Hispaniarum Curia, instructo ad illud muneris celso, longo, ac lato admodum tabulato: alto nimirum palmos sexaginta, pro loci crepidine eminentis: longo quinquè & quadraginta supra centum, lato novem & octoginta.

Actorum dignitas & venustas.

30 Certabat actorum venustas, & in dicendo elegantia, cum Attalica theatri, & vestium majestate; partes ita erant dimensę, ut è trecentis actoribus (tot siquidem numerabantur) nautas quidam & milites classiarios, Navarchos alij exhiberent: terrestres alij milites, Duces, ac Prætores: tam Lusitanos, quàm Persas,

ſas, Turcas, & Mameluchos, omnia denique tam pacis, quàm belli munera Vlyſsipponenſes pueri in omnem cerei diſciplinam ita vividè ſimulabant, ut in ſuam quiſque natus partem, & dedita efformatus opera videretur. Quod eo conſilio eſt inventum, ut luce palàm, vel ipſo Regis teſtimonio redarguerentur imperiti, qui à ſapientiæ caſtris indecorè exulantes, falsò comminiſcuntur ignavam inter libros educationem puerilem, quando literarum ſtudioſi ingenium excolentes, excultum quoquo velint, deflectant commodiſsimè. Viſu fuit mirum, dictu fuerit mirabiliùs, quam ſe oſtenderint agiles, nautarum munia obeundo. Egreſſa eſt ſiquidem navis Indica omnibus apprimè inſtructa armamentis, decem æneis tormentis diſpoſitis circum circa, quæ in theatro horrendo ſonitu ſunt diſploſa. Nautæ ſupra carcheſia & funibus illigati, nunc velorum laxando ſinus, nunc ad Naucleri monitum colligendo, Celeuſma nauticum inſita modulabantur venuſtate. Pugnam inter alia umbratilem conſeruerunt, aciem utrimque dividentes, hinc Mameluchi, inde milites Luſitani, eo inſtructi ordine, & acri ſpiritu irruentes, ut in caſtris ad tubæ ſonitum imberbes pueri crepundia ac nuces poſuiſſe, non chartis & pugillaribus putarentur operam navaſſe puerilem.

Armuzianam theatro expugnatio.

31 Nuſquam tamen robur & animos melius præbuêre Luſitanos, quàm cum Albuquercio Duce arcem oppugnarunt Armuzianam. Erat moles extremo in theatro erecta, & ad juſtæ arcis edita magnitudinem, pinnis undique coronata, quam valida Perſarum manus obfirmatis animis propugnavit: tormenta curulia noſtri, ex militari diſciplina, in theatrum detulêre, & è regione in arcem oppoſitam direxêre: ingenti ſonitu cùm diſploderent, majora ab obſeſsis ſubitò incenduntur, & per fumidos utrimque vortices moræ impatientes concurrendo, ſemel auſi Perſarum milites valvis egredi reſeratis, & cum noſtris aperta acie decertare; quod Luſitani ferentes ægrius more ſuo, extra ordinem quiſque in confertiſsimos immiſſus hoſtes intra muros includunt, quos dum palàm incipiunt demoliri, à

liri, à Perſis erigitur pacis ſignum. Oppugnationem miratus militaris quidam Dynaſta Caſtellanus; Si, inquit, alia foret India domanda viribus; illam procul dubio pugnaces pueri parentum æmuli debellaſſent. Neque togæ ſeſe minus opportunos prębuêre, ubi de rep. & in commune conſultantes cum Rege Emanuële intonſos Catones & cenſoriam præferebant gravitatem. Ne tamen in tragœdię narratione Oreſte longiorem aliam excitemus, erit ſatius iſta omittere, quæ lucem brevi adſpicient typis in commune evulganda.

Regis de eo opere ſententia.

32 Illud tamen curſim maneat pro totius operis coronide Regis dictum ſe nec vidiſſe, neque aliàs viſurum ſimile, certè dictu non tam facile: cùm Vlyſsippo ſuas in hoc ſpectaculum opes congeſſerit, eo ſtudio, ut in capite & pectore exornando actores aliquot ſupra æſtimationem hominum portaverint margaritas; ſeptem potiſsimum fuêre, in quibus ſingulis ſupra mille fuerint numerati adamantes ingentis pretij: ad duo millia unionum. Vna Aſia unionum ſex millia capite geſtabat, ac pectore fimbriato, carbunculis, & adamantibus ſingulari artificio interpoſitis. Vno tantum in balteo, & vagina carbunculorum duo millia ad unum ſunt numerata. Octo ferme horarum ſpatium non interrupta actio occupavit, tanta Principum aviditate, ut ordinem tantiſper interrumpi Rex ipſe vetuerit. Habebat ille præ manibus totius actionis compendiolum, quod ſtudiosè cum actoribus conferebat; cùm verò ſuſpicarentur noſtri poſſe aliquid moleſtiæ ex longa actione ſuboriri, aliquid pręcidere, brevitati potius ſtudentes: quod Rex ex libello animadvertens, admonuit intrò ſe reciperet, qui prodierat, dum alius egrederetur, quem præſcripta ſeries promittebat. Ita Vlyſsipponenſe lycæum, tot benevolentiæ ſignis honeſtavit, ſuam denuo Societatem recentibus honoris cumulans beneficijs.

Sintram Rex adit.

33 Paucis deinde interjectis diebus Sintram ſecedens, æſtatis fervidæ dilicias perluſtravit, ubi Luſitani Reges ſoliti autumnali tempore ruſticari. Eſt rupes Sintria ſatis cognita noſtro in mari

mari Lunæ promontorium præternavigantibus, cùm ſublime admodum montis iugum proſpectu pateat longè diſito. Ad montis radicem aquis ubertim ſummo è vertice deſudantis, Arbuſta virenti luxurie inumbrantur, locum reddentia unicum æſtatis delicium inardentis. Hic Luſitani Reges palatia operoſa ſumptibus exſtruxêre, tot naturæ opportunitatibus uſi, quas in locum illum ſupra modū effuſa affluenter congeſsit, incolarū ſerviens voluptati. Ibi venationes aſsiduæ, piſcationes uberrimæ, quidquid deniq; fingas oblectamenti, locus exhibet peraccommodus. Illic Rex brevi ſpatio tēporis eſt immoratus.

34 Vltimo taurorum ſpectaculo ſuperbo edidit civitas apparatu, forum regium podijs, pergulis, ac feneſtris circumdans, ijs ſumptibus & artificio, ut ædes potius Regi longum in tempus crederes excitari, opere ſublicio & inteſtino Regiam, alio ex latere ambientem, ſimili orthographia æmulante. Erant verò moles iſtæ extemperariæ circumveſtitæ colore multiplici holoſerico; Circus denique maximus patens latiſsimè Romanum amphitheatrum in ſpeciem præferebat. Huc emiſsi feroces tauri noſtris hominibus materiam præbuêre corporis virium, & agilitatis oſtentandæ; ſæpius enim obfirmato veſtigio obnitentium impetum tenuêre, vel cornibus apprehenſos ferociter obluctantes compreſſere; pedites hi; nobiliſsimi tamen Equites, Regis in oculis Attalicam prius majeſtatem ipſo ſtadij ingreſſu, pro ſanguinis ac domorum claritudine ediderunt, ſervorum turmas pulcherrimo veſtium apparatu ſpectabiles prę̣mittendo, quibus demiſsis taurum emiſſum opperiebantur à fronte, & mira dexteritate equum in latera deflectendo conatum irritum eludebant; cornibus eadem agilitate ſudariola innectabant, mugientis præ rabie, ac ferociter ſævientis impetum molliter declinantes; quod ſpectantes Principum oculos mirificè recreavit. *Taurorum ſpectacula.*

35 Hæc & huiuſmodi plura noſtri ſuum erga Regem amoris argumenta prębuêre; quorum ille non oblitus, ut quæ à regno forent, ſedulò procuraret, comitia indixit, in qua populi ac *Regni Comitia.*

reip. curatores convenirẽt; concursũ undiq; ad dictã diem. Rex de more patrio præivit, se iuramento obstringens, quæ in communem forent usum, servaturum; Patris item promissis staturum, ijsque sub legibus, quibus se Lusitani Castellano Principi dediderunt, rem administraturum Lusitanam. Eadem Princeps in verba conceptum inijt jusiurandum. Duces deinde regni, Marchiones, ac Comites, urbes, minora oppida, & tota denique Lusitania fidem suam Regi spontaneam promisêre, hæredemque filium in jus regni, & auspicia genitum agnovêre. Ista minutius animadvertere, & singillatim recensere, fore duxerim supervacaneum, cùm vel ubique eadem, vel parum dissimilia videantur.

Conventus Ordinum militarium

36 Conventus deinde adscivit ordinum militarium, quorum Lusitaniæ Rex obtinet magisterium; Equitibus S. Benedicti præfuit Cetobricæ. Prætervectus inde Palmelam Equitum S. Iacobi Comitijs simili interfuit ratione. Nabantiæ denique Christi Equitibus. Quę igitur hisce tribus in comitijs, tam provincialibus, quàm ordinum militarium à comitialibus agitata, & in commentaria, ac tabulas sunt relata Regi ultimo pensitanda, ac tandem pro iudicio maturiori statuenda reip. curatores tradidere. Omnia Rex accepit, & sibi diligentius videnda promisit, ut tandem quæ magis regno forent usui statueret. In Castellam ultimo reversurus (quod iterum Senatum adiens admonuerat) Senatores, urbanosque magistratus ad se vocari jussit, eosque adhortatur, quod à suis in eorum humeros onus transferat: curarent sedulò iura, ac leges patrias sanctè & incorruptè custodire, suum ex æquo miseris ac potentioribus tribuentes: se curaturum, ut illorum vigiliæ & lucubrationes assiduæ debitis muneribus compensentur. Suorum ergo desideria lõgo à tempore exardẽtia Philippus quasi aquæ levi adspergine vehementius inflammavit, dum maturiùs omnium votis in Castellam reditum meditatus, eo secum detulit Lusitanorum corda, numquam in suum reditura domicilium, nisi Regem inde suum suam in patriam comitentur.

ORA-

ORATIO

HABITA PHILIPPO III.

HISPANIARVM REGI:

LVSITANIÆ II. IN ACADEMIA EBORENSI.

A Doctore P. Alphonso Mendez, Societatis Iesu, sacrarum literarum Interprete.

ORator ab Academia sum expeditus ad contestandam publicam omnium Ordinum lętitiam ex sacro, Cęsareo, Regioque tui Philippe Rex Catholice, & Regum maxime adventu in Lusitaniam, & Eboram, quæ nunc verè se eburneam intelligit, nec deinceps dici patietur Iuliam, sed Philippicam liberalitatem. Verùm quia tanto sub pondere imbecilles humeri fatiscunt, tanto splendore oculi hebetes obtunduntur: lingua balbutit, dum vel in prima tuarum laudum linea subsistit; Per te mihi liceat, mea cum patria, quam video insolito quodam admirationis veterno consopitam fabulari.

Lusitania, te ab annis septem & triginta, cùm intra huius regni & templi ambitum primi Philippi amœnissimo conspectu recreata es, deinde bonorum ac felicitatum insolentem, terra diuturnis incommodis assuetam, mari varijs calamitatibus attritam, temporum difficultate marcidam, ac pæne exsanguem, quod nunc fascinum impedivit? quis stupor præligavit? quis lethargicus oppressit? Eborēsis urbs, & Academia, quæ te subita perculit admiratio? quod te fulgur afflavit? quod fulmen repente evibratum labefactavit? Non estis, non estis per somnium beatæ. Evigilate, somnum excutite, oculos quamvis nictantes, & humectantes prę immensæ claritatis subito irruentis magnitudine, intendite, roborate. Tuus ille Philippus, meritis primus, Hispaniæ tertius, tibi Lusitania verè secundus, verè ter-

rè propitius, verè iucundiſsimus, adeſt, viſitur, & cùm poſſet citrà piaculum adorari, ab omnibus amatur. Ille? nona poſt decimam, ſed virtute recens, ac genuina ſoboles Alphonſi Henricij? Quatuor aliorum eodem nomine Regum? utriuſque Sanctij? Dionyſij? Petri? Ferdinandi? Eduardi? Emanuëlis? Ioannis primi, ſecundi, ac tertij? Sebaſtiani, & Henrici verum genus? verus ſucceſſor, verus accepti imperij amplificator? Ille. Exulta Luſitania. Ille? Caroli Cæſaris invictiſsimi nepos? Philippi Regum potentiſsimi, poſt illatam à Mauris Hiſpanię vaſtitatem, & prudentiſsimi filius? Summa Auſtriacæ domus claritudo? Vnicus orthodoxæ fidei Athlas? Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ firmitudo? Ille. Exulta, plaude Luſitania. Ille? toties promiſſus? toties, neſcio an ob aliquod demeritum, certè humanę ſortis ludibrio denegatus? Tot precibus quæſitus? tot ſuſpirijs expetitus? fractis iam deſperatione animis vix exſpectatus? Ille. Exulta, plaude, triumpha Luſitania. Et quamvis nudo ac ſolitario frontis ſuæ adſpectu nobis plenam omnium bonorum menſuram invehere potuiſſet, ne quid ad exaggeratum felicitatis cumulum deſideraretur, ſuas ſecum delicias, noſtras divitias, noſtram gloriam importat, juniorem Philippum cum auguſtiſsimus ſponſa & ſorore, ineunte adhuc ætatis vere non dubiæ expectationis floribus pubeſcentem, ſed in maturos prudentię, ac pietatis fructus protuberantem. Hic jam, ne exulta, ne plaude, ne triumpha humano ritu, ſed aërem tranſvola, cælum pulſa, ſyderibus caput inſere Luſitania.

Quæ tanta vobis ſit ô cives mei, & Patres Academici cauſa geſtiendi, paucis dicentem auſcultate. Duæ in Hiſpanis hominibus, & maximè Luſitanis virtutes, fortitudo ac fides, ab externis etiam noſtræ gloriæ æmulis nobilitantur, quorum duo vel tria ex multis dicta ſubtexam; tum, ſi autographa conſulentes, me verbum aliquod novaſſe, aut loco moviſſe arguatis, homimum nequiſsimum, & perfidia pluſquam Punica famoſum prædicate. Strabo Cretenſis in ſua Geographia. *Tagi*, inquit, *regio Aquilonem ſpectans, Luſitania eſt; gens inter Hiſpanos ampliſ-*

ampliſſima, & annis plurimis Romanorum armis oppugnata. Diodorus Siculus Græcus Author in ſexto ſuæ Bibliothecæ: *Celtiberorum fortiſſimi habentur, qui appellantur Luſitani.* Iidem eratis cum ad vos principio ſæculi toto orbe luſtrato peruenit Venetus Senator Ludouicus Vartemanus in India belligerantes, qui hoc de vobis teſtimonium poſteritati conſecrauit. *Ego vniuerſum terrarum orbem peragraui, multis ſæpè bellis interfui, ſed hac gente Luſitanorum fortiorem vidi neminem.*

Deinde nemo mihi litem iure intendet, nemo deferet ad fidei tribunal, ſi aſtruxero Luſitanam fidem nulli eſſe inferiorem, ſummæ parem, ac fortaſſe defæcatiorem; ſi enim, vt dixit grauiter Tertullianus, fidei autoritatem ſumma antiquitas vendicat; quæ fides noſtrâ antiquior? Siquidem in Luſitaniam, atque adeò Eboram miſſus eſt Diuus Mantius ex ſanctiſſimo diſcipulorum Chriſti contubernio: Braccaram Petrus à Diuo Iacobo Apoſtolo Hiſpaniarum tutelari. Et hauſtæ ſemel fidei adeò tenaces ſemper fuimus, vt à primo Euangelij ſatu nulla vnquam hæreſis publicè debacchata ſit in Luſitania, etiam cum Gothi Arrianam Hiſpaniæ armis inceſſerunt. Tunc enim apud nos rerum potentes erant Alani, & Sueui, quorum illibatam fidem mirificè extollit Diuus Gregorius Turonenſis eorum contemporaneus, & cœlum crebris miraculis confirmauit. Vnde factum, vt ſicut Deus Hiſpanis militibus omnium gentium victoribus vſus fuit ad viam fidei armis muniendam, & grauiſſimis, atque ſanctiſſimis prædicatoribus ad eam diſſeminandam in orbem nouum, & priſcis ignotum; ita ad puriorem eiuſdem ſynceritatem maritimo

Africæ tractui, Indis, Sinensibus, Iaponibus, toti denique Orienti instillandam administros assumpserit Lusitanos, quibus pro Gentilitio, ac regali stemmate dedit sua vulnera, qua ferro, qua verbo, qua sanguinis ob veritatem effusi testimonio in totum orbem efferenda; Vt ijdem sint augustissime Monarcha tui imperij, & Christianæ religionis termini, tuorum Hispanorum, & Lusitanorum pietate excolti, & gladijs ad certamen prorogati.

Fidei in Deum pedissequa est fides erga Regem, quæ sic eluxit semper in Lusitano, vt nihil supra possit excogitari. Pro tempore sufficiat illud præconium. At cuius hominis? Non domestici, sed externi, sed Belgici, sed Salmanticensis professoris, & diligentissimi Chronicon Hispanicorum contextoris. Quænam Gens, inquit, toto reperitur orbe regi suo obsequentior, quàm Hispani, quos cùm quotidie reges sui in remotissimas regiones, & alio, vt ille ait, sole calentes ad oppugnandos Barbaros mittant, ea accinguntur alacritate, quasi sine puluere, & sanguine rem essent domi gesturi; Cuius rei meo quidem iudicio, merito palmariam sibi laudem vendicant Lusitani, adeo Regi suo dediti, quasi ex vnius vita, vita penderet omnium; ita ille conceptis verbis.

Hi fuistis, hi credebamini heroicis etiam temporibus Lusitani: Neque vnquam hæc opinio de vobis apud exteros obsoleuit. Nunc quidem non vestra noxa, sed infortunio Regem vestrum à vobis longè dissitum dolebitis, cui nec fortitudinem, nec fidem, nisi papyro, & atramento probare poteratis. Quoties ducem vel Regem præsentem nacti estis, negotium impigrè peregistis; vel cum Viriato, & Sertorio præeuntibus Romanos sæpiùs attriuistis: quos hi non

bello

bello, ſed dolo ſuſtulerunt, aperta profeſſione vos aliter vinci non potuiſſe; Vel cùm Alfonſum Regem conſalutantes, & qui ab eo fluxerant, ſecuti, Mauros non ſolum tota Luſitania, & parte Beticæ exturbaſtis, ſed ipſas Africæ fauces Septam, Tingim, Mazaganam, atque arces alias barbaris frementibus occupaſtis, vel cum feliciſſimorum imperatorum ductu, & conſilio mare Athlanticum, & ignota promontoria emenſi Orientem perdomuiſtis, Ducem nunc habetis: Regem veſtrum contemplamini, futurum deinceps oculatum veſtrorum facinorum teſtem, vulnerum inſpectorem, meritorum coronatorem. Agite, agite Luſitani; antiquum illud robur reſumite, pectus erigite, animos confirmate, ſpumantes, & ſalſos Oceani fluctus, quaſi lacteos abſorbete, in aduerſa Mauri venabula irrumpite. Prodite, prodite, ſanctam illam, intaminatam, nullibi fluxam, &, vt dicebat Sanctiſſimus Pontifex Pius V. fidem Luſitanam. Bene de veſtro Rege ſperate, cuius aduentus adeò repentinus vobis affulſit, vt tanquam de cælo lapſus, & Deo ſimilis videatur, qui ſubitis, & inſperatis in homines beneficijs illabitur, vt tanto maior ſit excipientis gratulatio, quo exilior antè exſpectatio. Tunc ſe in viam dedit, cùm minimè cogitabatis, vt non iam vlli mortalium, ſed nedum veſtris deſiderijs; at illi tantum, & incredibili ipſius in Luſitanum Nomen opinioni, & amori tantam gratiam ex integro acceptam referre debeatis. Liquido exploratam habet veſtram fidem, qui nullo præmiſſo exercitu, nullo armorum apparatu, exiguo excubitorum cuneo ſe totum, ac ſua vobis credidit, palam teſtificatus apud nos tot eſſe vitæ ſuæ cuſtodes, quot gladios; tot muros, quot pectora; tot exercitus, quot Luſitanos.

Quis ergo veſtræ fidei, ac fortitudini opimiora præmia

refe-

referet, quam ille, ſub quo fides regnat? ſub quo triumphos agitat laureatos generoſa fortitudo? Tuis Rex fortunatiſſime auſpicijs Mamoram, & Larachium, indomitas ab æuo munitiones, & ſæpè noſtris armis euentu irrito tentatas præſtantiſſimi duces gloriosè expugnarunt. Quis victricibus claſſibus Herculeum fretum, occiduum & orientale pelagus pyratarum infeſtationibus abſoluit? Fortiſſimus Philippus, cuius nunc fauſto Olyſſiponem acceſſu Indiam eorum latrocinijs penitus liberandam non vani augures ominamur. Quis Mahometanam perfidiam Hiſpaniæ iam nongentos annos fœdè incubantem nunc aperta defectione ſemper clandeſtinis inſidijs quaſſantem in Diuinam, & Regiam maieſtatem, Mauris Valentia, Betica, & tota Hiſpania depulſis, martio quodam animi vigore exterminauit? Fidei defenſor integerrimus Philippus. In quam prouinciam quinquaginta reges à Pelagio ad tua vſque tempora omnes induſtriæ ac potentiæ ſuæ neruos intenderunt, quin viribus vel conſilijs perfecerint, quia tanta victoria à cæleſti Numine tuæ religioni ac felicitati ſeruabatur. Quis fluctuantem inteſtinis diſſidijs Germaniam Theſauris profusè erogatis, valentiſſimis copijs ſuppeditatis, & opportunis conſilijs olim, & recens tranquillauit? Fortiſſimus, ac religioſiſſimus Philippus: qui nunc totus eſt in ea componenda, & digniſſimo imperatori eligendo, qui fide incorrupta omnes ſupremi illius loci numeros expleat, ſubmittenda. Tu vacillantem Italiæ pacem, tu Belgio ab annis iam plurimis exulantem reddidiſti, & verius eidem, quam fortunæ magnus Alexander alas abſcidiſti, ne vnquam poſſit à tuis regnis per te ditiſſimis, & pacatiſsimis auolare.

Tu-

Tuque adeo bona tibi ominare, fidei, & bonarum artium altrix Eborensis Academia, quæ regem excipis cultorum potius ingeniorum, quam corporum, aut vasti imperij admiratorem. Te Serenissimus Henricus Cardinalitijs tunc insignibus infulatus, Regijs posteà velatus, inchoauit potius, quam ex ingentis animi destinatione absoluit. Vixdum enim exacto regni sui anno, & paucis mensibus vita defunctus est; pendentes relinquens nostræ Academiæ, Collegij domicilij alumnorum Purificatæ Virginis, & tenuiorum Scholasticorum Xenodochij substructiones. Ideo fortasse suo illi conditorio pedem à cætero cadauere sepeliendo ad Bethlemicum cœnobium Olysipone auulsum inferri iussit, vt se tantùm huc pedem intulisse, non omnino perfeciſſe Academiæ corpus testaretur. Reuiuiscite, subsulsate, Philippo gratificamini ex sepulchrali mausoleo sacrosancti Henrici Cineres. (Nam mentem mihi citra dubium est cæleſtis regni solium insidere.) Ille tuis cœptis finem à te præstitutum, obscuris claritatem, imperfectis absolutionem, cæmentis coronidem imponet. Sicut enim Serenissimus Henricus vita decedere festinauit, vt augustissimo Philippo parenti tuo, & tibi tunc recens in lucem edito regnum traderet, ita necessitatem imposuit sceptri, & vltimæ voluntatis suæ hæredibus hanc Academiam, quam ipso regno priorem, & omnibus semper rebus habuit chariorem, ab oppugnatoribus protegendi, antiquas immunitates constabiliendi, noua beneficia largiendi.

Nec his se indignam Acadamia, aut tempore degenerem ostendit. Si enim doctorum sapientiam attendas, hinc per annos sexaginta, ex quibus erecta fuit, à multis exquisitissima, in Dialecticam, in Metaphysicam, in

vniuerſam Theologiam, & ſacram Scripturam commentaria in typos exierunt; & alij digniſſima foro volumina meditantur; ſi auditorum mores inſpicias, ita ſunt ad modeſtiam circinati, vt hîc in nullam offenſionem grauiori cenſura dignam incurreris, quæ ferro amputanda, aut radicitus extirpanda videretur; ſi auiditatem ſcientiæ, prouentuſque vberes conſideres, videas tot doctores, tot bonarum artium magiſtros, tot peritiſſimos Eccleſiarum paſtores, tot aptiſſimos magnis dignitatibus candidatos, quibus vna deeſt tui oris præſentia, tui roris ſuffuſio, clementiſſima tui fauoris adſpiratio.

Hoc ſuo ſibi iure exigit noſtra Societas in trium inuictiſſimorum Luſitaniæ Regum, Ioannis III Sebaſtiani, & Henrici, conclauinata, ſub parentis tui patrocinio educata, & in tuo, Rex indulgentiſſime, gremio nunc feliciter adoleſcens; cui cùm priora beneficia gratuito dederis, tibi debes poſteriora. Debes Sereniſſimæ, longiori vita digniſſimæ, tibique chariſſimæ: Nomen alioqui an ſileam? Margaritæ Auſtriacæ, tuæ, ô Iunior Philippe, quem vtinam te multò iuniores videant ſeniorem, ac ſuperſtitem relinquant; tuæ, inquam, parenti, & ſimul noſtræ Societatis, cuius amorem tibi cum lacte primulo, ſuo Carolo, ſuo Ferdinando, ſuis Iſabellæ, ac Mariæ immulgebat. O cælum qua nobis ægritudine præſens gaudium contaminaſti! Quid ſi intra hoc templum Margaritam videremus! cuius vel ſola memoria contabeſcimus, vel ſolo nomine recreamur. At videmus; In Catholico Rege, qui ſuam, & chariſſimæ vxoris tutelam nobis prætendit; in florentiſſimo principe, cui nihil magis eſt cordi, atque in votis, quàm ſanctiſſimam parentis animam gratis obſequijs demereri; in auguſtiſ-

guſtiſſima Iſſante, quæ totam matrem vultu, ac pietate reddit. Sitis vtinam ô ſpes, ô columen Hiſpaniæ, ô amor Luſitaniæ, ſitis & ſanctæ ſimiles matri, & magno ſimiles patri. Tu verò Regum potentiſſime ad Chriſtianæ fidei propugnationem, ad infidelium in Oriente & Occidente conuerſionem, ad hæreticorum vel conciliationem, vel internecionem, ad Catholicorum in Germania, in Gallia, in Anglia, in Hibernia præſidium: (Nam etiam regna, quæ non poſſides armis, religione tenes.) ad Hiſpaniæ amplitudinem, ad Luſitaniæ immortalitatem.

Viue, Tuos noſtris annis Deus augeat annos.

INDEX RERVM MEMORABILIVM,

QVÆ IN HIS REGVM LVSITANIÆ ANACEPHALÆOSIBVS, ET REGNI LVSITANICI DESCRIPTIONE CONTINENTVR.

A.

ACcusatores Agnetis à Castro & percussores, quas pœnas Petro I. Regi dederint. pag. 126

Aethiopiæ Abyssinæ commercia aperiunt Lusitani. 266

In Africam quomodo fidem propagarint Lusitani. 516

De Africæ expeditione à Lusitanis consultationes, 300. quæ rationes deserendo eam suaderent, 301. ergo vrbes ceteræ præter maritimas Mauris relinquuntur. 302

Agricolæ sunt neruus Reipublicæ. 84

Agueda fluuius Lusit. describitur. 409

Albertus Austriacus Cardinalis Lusitaniæ præficitur pro Rege Philippo, 348. eius in obsidio Olysipponensi maturitas & prudentia. 350

Alcacerianã arcem arctè obsident Fessani defendẽte acriter eam pro Lusitanis Eduardo Menesio, 204. 205. ab eius obsidione tandem discedit Fessanus. 205

Alcobacensis Monasterij opes & frequentia. 25

Alexander IV. Pontifex Alphonsum III. sacris interdicit. 72

Alexius Commenus Imp. Constantinopolitanus principes Europæos Turcis prodidit. 7

Alexius Meneses pœdagogus fuit Regis Sebastiani, 307. postea Archiepiscopus Goanus & deinde Bracharensis.

Algarbiorum regnum quàm sit fertile, ferax, piscosum. 395

Algibaciotæ situs. 146

Almada oppidum describitur. 565

Almerini habentur comitia de regni statu post mortem Sebastiani. 338

Alphonsus I. Lusitaniæ Rex editus in lucem pedibus inuicem cohærentibus. 7. beneficio B. Virginis pedum integritatem recipit, ibid. & 13. eius D. Virgo curam suscipit, ibid. adolescens militiam adoritur. 13. eius gesta contra Castellanos, quos variis prœliis fregit. 14. Pacem Augustam capit, Conimbricam propugnat. ibid. Aliæ eius victoriæ & excursiones. 15. ei Christus Dominus apparens Lusitana stemmata ostendit. ibid. in crucem Domini mirè fuit affectus. 16. Mauris Orichiensi prœlio superatis Rex consalutatur. ibid. Scalabim expugnat. ibid. Alcobaciæ cœnobium Cistercensibus exstruit. 17. alias arces de Mauris capit. ibid. ei classis è Septemtrione in auxilium missa ad Mauros exstirpandos. ibid. eius ope Olysiponem capit. ibid. cis & trans Tagum multa oppida Mauris eripit. 19. eius cum Rege Legionensi dissidiũ. 20.

capitur

capitur ab eo, ob eius vulneratum impeditus. 21. pactiones inter vtrũque ineruitur. ibid. quare Alphonsus Rex postea equo vehi noluerit. ibid.
Hispalensis Maurus ab eo funditur. ibid. Angelorum auxilium ei adest prœlio. ibid. filium Sancium regno destinat & inaugurat. 22. centum & quinquaginta tẽpla & cœnobia hinc inde erexit. 25. eius vxor & liberi. ibid. eius forma & animi dotes. 26. eius sanctitas & miracula. ibid. eius ossa translata à Rege Emmanuele. ibid. mors eiusdem. 33
Alphonsi II. siue Obesi Regis natalis. 51. eius in iuuentute militaria facinora. ibid. eius odiũ in fratres plusquam fratrem deceret. ibid. tandem fratribus, post clades, cedere coactus. 52. eius auspiciis Mauri Salaria pelluntur. 53. duos Maurorum Reges fugat. ibid. & illius pinguedo prægrauis. ibid. eius vxor & proles. 54. illius mors & corporis lineamenta. ibid. prodit obuiam Reliquiis SS. Martyrum Franciscanorum in Africa necatorum, dum Conimbricam deferuntur. 55
Alphons. III. matrimonium init cum Mathilde Bononiensi. 71. eligitur dux cruce signatorum. ibid. illius reditus in Lusitaniam, & regni principia. ibid. ad regnum exornandum animum applicat. 72. eius incæstæ nuptiæ viuente vxore legitima. ibid. interdicit sacris eum Pontifex Alexander IV. ibid. ei datur Turdetania à Rege Castellæ interpositis conditionibus. 73. scribit se regem Turdetaniæ, & eius assumit insignia. ibid. eius gesta in Turdetania aduersus Mauros. 74. eius legitima proles quæ fuerit, quæ illegitima. ibid. eius statura & mores. ibid. eius liberalitas & prudentia. 75. laborauit in senio podagra. ibid. mors illius & sepultura. ibid.
Alphonsus IV. cognomento Ferox quando & vbi editus. 113. nuptias init cũ Beatrice Sancij IV. Castellę Regis filia. ibid. cum consiliarij regni à venatione ad regni curam transferunt. ibid. quæ regni initio gesserit. 114. eius simultates & iniusta cum fratre Sancio bella. ibid. cum eo tandem fœdus percussit. 115 vnde orta offensio inter ipsum & Regem Castellæ. ibid. sed pax initur Summi Pontificis auctoritate. 116. Mauris in Hispaniam irruentibus, cum Rege Castellæ ipsis occurrit. ibid. cosque apud Granatam fundit. 117. victor in Lusitaniam redit. 120. Agnetem à Castro nurum immeritò necari iubet. ibid. eius vxor & liberi. ibid. eius pietas, robur & animi magnitudo. ibid. eius in vita quid culpandum sit. 121. corporis illius lineamenta, obitus & sepulchrum. ibid.
Alphonsus V. quando, & vbi natus. 199. Petro curatori traditur. ibid. in Petri cæsi vassalos quàm benignus. 203. Callisto Pontifici aduersus Turcas operam pollicetur. ibid. in Africa Alcacer expugnat. ibid. suppetias mittit Lusitanis obsessis in acie Alcaceriana. 205. rursus in Africam expeditionem adornat. ibid. sed parum ea fuit felix. 206. tertia eiusdem in Africam expeditio: eam antequam iniret, iussit milites animis ab inuicem dissidentes, inuicem recociliari. ibid. Arzilam expugnat. 207. equum argenteum cum infessore Deiparæ Virgini ad obtinendam victoriam vouet. ibid. filium sedecim annorum equitem creat. ibid. Zingim Africæ vrbem ingrediens cur fit lacrymatus. 208. eius in bellis celeritas. ibid. eius proles. 209. eius vxoris mors. ibid. eius secunda vxor. ibid. in prœlio apud Taurum succumbit. ibid. in Galliam quæsitum auxilia proficiscitur. ibid. Hic-

rosolymam peregrinari statuit, sed à suis dissuasus in Lusitaniam redit. 210. Ioannes filius in patris absentia imperans, imperium ei reddidit. ibi. Cum Castellanis pacem init, melancholia consumptus demoritur. ibid. eius forma & lineamenta, dotes animi & corporis. ibid. Bibliothecam instruxit, Musices amator, & fidei propugnator fuit. 211. eius in pauperes beneficentia & largitas, præsertim in captiuos. ibid. ossa patris sui Fernandi multæ pecuniæ prætulit. ibid. hydraulicum tympanum cur nummis insculpserit. ibid.

Alphonsi. VI. Rex Hispaniæ ob munificentiã dictus Rex pertusa manu. 5

Alphonsus VII. Hispaniæ Rex patrem habuit Raymundum comitem. 2

Alphõs. Albuquercius Lusitan. dux expugnat Goam, Armuziã, Malacã. 266

Alphonsus Castelbranius Episcopus Conimbricensis D. Elisabethæ argenteum sarcophagum donat. 106

Alphonsus à Castro Societatis Iesu, Olysipponensis, in Molucis seriò rem Christianam promouens à Barbaris capitur. 499. variis tormentis afficitur. ibid. variè à Mauris vexatus & cæsus, tandé capite truncatur. 500. 501. eius cadauer diu post mortem candidum repertum, vindicta diuina de eius interfectoribus. 501

Alphonsus Pariecus Societat. Iesu in Salsete à Barbaris obtruncatur. 507

Aluarus de Bacan pro Rege Catholico Philippum Strozium Italum ad insulas Terrenas nauali prœlio fundit. 347

Aluarus Pices à Castro primus magister equitum in Lusitania. 141

B. Amadei vel Amatoris nobilitas. 525. ordinem D. Francisci ingreditur. ibid. eremiticam vitam sectatur. ibi. eius reuelationes, & opinio de eius sanctitate. 526

Amazones inuentæ apud flumen Maragnamium in America. 364

Ancilla Funociensis Martyr. 482

Andreas Gualdamius Societ. Iesu in insula Mazua hastarum ictibus confoditur. 508

Andreas Hurtadus de Mendoza in India Cunhalem tyrannum capit. 363

Andreas à Spoleto Franciscanus martyrium passus in Africa. 491

Angli pro pseudorege Antonio in Galæciam appulsi fundũtur. 350. Olysipponem veniunt, sed re infecta redeunt. ibid.

D. Antonium colens Cafer à Mauris, in Diui odium interficitur. 479

P. Antonius Criminalis Parmensis Societat. Iesu in Punicali oppido pro Christi nomine à Barbaris interfectus, omnium Societatis Martyrum primus. 495. eius caritas & ardor. ibid. 496

Antonius Dionysius Soc. Iesu Martyrio coronatur. 502

Antonius Franciscus Societat. Iesu in Salsetana peninsula à Brachmanibus in odium Christi interimitur. 507

D. Antonius de Padua Olysipponensis, è Canonico Regulari quâ occasione ad Franciscanum institutum transierit. 56

in Africam martyrij oppetendi desiderio dum traiicit, valetudine renitente in Hispaniam remeare coactus est. ibid. eius conciones feruentissimæ; Patauij sepultus est, & lingua eius incorrupta reperta est post multos annos. 57. est illustre Lusitanorum decus. 522. eius memoria Olysipone recolitur exstructo templo. 548

Antonius à Pestana Dominicanus, martyrio à Barbaris in regno Sionis affectus. 493

Antonius, Prior Gatensis, Ludouici Principis filius nothus, varia Olysippone molitur. 345. inde fugit læsus in Galliam. ib. in Terceros nauigat in classe Gallorum. 348. eius

factores ex insulis exterminantur. ibid. cum classe Anglorum reditum tentat, sed frustra. 349
Antonij Sylueriæ contra Turcas naualis expeditio & victoria ad Dium. 297. quanti is à Francisco I. Galliæ Rege factus. ibid.
Aquæ Lusitanæ vnde sint salubres. 402
Arces variæ hinc inde per Indiã ædificatæ sub potestate Regis Emmanuelis. 266
Archiepiscopatus Lusitaniæ tres sunt, & singulorum prouentus & reditus annui. 387
Ardinga cur à patre suffocata sit. 559
Argillæ diuersa genera habet Lusitania. 421
Aridiora loca auriferariora sunt. 416
Arzilam expugnat in Mauritania Rex Alphonsus V. 207
In Asia quomodo fidem dissemina-rint Lusitani. 516
Atacelsus ven. memor. Episcop. Compostellanus in pace quieseit in Lusitania. 558
Attridij prætoris Indiæ virtus & industria. 315
Augustinus à Rosario in India à Mauris in Christi odium occisus est. 493
Auiti Bracharensis episcopi elogium. 521
Aurum cur hodie Lusitani è suis fodinis non effodiant. 415
Auus flumen Lusitaniæ. 411

B.

BAlnea Lusitanica. 402. 403
Bandani Martyres XVIII. 472
Bartholomæus à Martyribus inter Bracharenses Episcopos doctrina & sanctitate illustris. 520
Basilius Episcopus Bracharensis fuit Martyr. 441
Bataliæ templi amplitudo, & raritas operis. 148
B. Virgo an cum originali labe concepta. 369. eius templa illustriora in Lusitania enumerantur. 532. eminet ante omnia templum dictum à Nazareth. ibid. vnde id primum ædificatum: nominis eius origo & imaginis antiquitas. 533. item templum B. Virginis à Carquere, & aliud à Luce. 534. vnde ambo originem sumpserint ibid. Arrabidæ domus origo, & religionis causa. 535. item B. Virgo à Rupe, à Specula, Amerciana, à Promontorio, à Virtutibus, à Spineto. 536. item à Conceptione. 537. item à flore Rosæ, à Gladiolis, à Stella, à Pietate, à Beco, à Spelunca. 538. item à Saraperte, & à Pyro. 539. item à Cerra à quo erectum, & quâ occasione. 539. origo huius templi. 540. item B. Virgo à Siluis, à Serra. 543. à Ribeira, à Remediis, ab Ierusalem, à Franqueira. 544. B. Virgo Candida, à Præsentatione, à Lacuna, à Luce: eius origo. ibid.
Beatrix Ferdinandi I. filia nubit Ioanni Regi Castellæ viduo. 139
Beatricis Peneriæ sanctitas. 527
Beatricis à Sylua virginis sanctitas, vnde profecta. 531. ordinem ipsa Conceptionis immaculatæ instituit. ibi. felix illius obitus. ibid.
Beirensis Regio Lusitaniæ describitur. 394
Benedictini Ordinis Martyres in Lusitania. 490
Benedictus Pontifex XII. mirè lætatus ob victoriam Lusitanorum & Castellanorum de Mauris relatam. 119
Bracharenses reliquiæ recensentur. 559. aliæ inde Compostellam delatæ. ibid.
Bracharenses Præsules Sancti enumerantur. 520
Bracharensis sedes ab Apostolo Iacobo fundata primò. 436
Brachmanes duo fideles à Brachmanibus infidelibus in Salsete in odiũ fidei enecantur. 508
Brasilia à Petro Aluaro Caprali detecta

tecta anno M. D. 265
Brigantiæ dux primus Alphonsus Regis Ioannis I. nothus filius, vxorem habuit Nonij Aluari Pererij filiam. 155
Brigantiæ dux cur à Rege Ioanne II. capite mulctatus. 228. eius frater in Castella Lusitaniâ profugus, moritur. ibid.
Brigantinæ familiæ nobilitas, iura & dignitas. 582
Burgundia quâ occasione in duas partes diuisa. 4. quibus vtraque paruerit. 5

C.

CAdauus flumen Lusitaniæ. 411
Casinensis obsidio in Africa egregiè à Lusitanis tolerata. 299
Carbunculos fert Lusitania. 417
Cardinales illustres Lusitani. 520
Canonicorum Regularium Martyres ex Lusitania. 490
In Capite Viridi quis modò sit fidei prouentus. 518
Castæ virginis ossa in Lusitania miraculis clarent. 530
Castellanorum victoriæ de Mauris Marrochiensibus. 118
Catharinæ Reginæ Ioannis III. vxoris viduæ vigilantia in arce Mazagancia propugnanda. 312. eius erga obsessos solicitudo. 313. regno se abdicat. ibid. eius sanctimonia, de ea testimonium Dom. Martini Nauarri. 529. item P. Michaelis Turriani, qui ei fuit à Confessionibus. 530
Censuræ Pontificiæ neglectus quantum malum attulerint Sancio I. Regi. 4. & Legionensibus. 45
Christophorus Gama Lusitanus in Æthiopiam cum copijs mittitur. 486. eius victoriæ de Turcis in Alassia. ibid. capitur ab aduersarijs. 487. illius supplicia & tolerantia. ibid. ei caput abscinditur. 488. testimonia de eius martyrio. ibid. multa & mira promittentibus Mauris quàm generosè responderit. ibid. ab Æthiopibus colitur vt verus Martyr. 490
Classis Septemtrionalis Lusitanis suppetias tulit contra Mauros. 52
Classis ingens Turcica à Lusitanis in India profligata. 296
Coa amnis vnde enascatur, & vbi se exoneret. 412
Cœnobij Conimbricensis à sancta cruce opes. 25. in eo sepultus Rex Alphonsus I. 26
in Cœnobio à populo quæ sint reliquiæ. 559
Collares vallis describitur. 400
Collegij Eborensis Soc. Iesu sanctuarium quas reliquias seruet. 555. *Vide* Ebora.
Columba virgo & martyr Conimbricæ requiescit. 451
Comarcas Lusitanis quid sint. 388
Comites à singulis regibus creati in Lusitania recensentur. 374. & seqq.
Concilium Constantiense Eugenius IV. Pontifex promouet. 163
Congi rex ad fidem Christianam cum filijs transit. 329. alterius
Congensis Regis legatio ad Philippum II. Regem Lusitaniæ & summum Pontificem Paulum V. 367. exceptus alter eorum Romæ honorificè, expirauit, & alter Olyssipone. 364
Conimbricenses Reliquiæ describuntur. 556. 557
Conimbricensis Academiæ amplitudo & reditus. 288
Constantia Petri I. Regis vxor immaturè demoritur. 125
Constantia prima S. Elisabethæ filia Fernando Castellæ Regi elocatur, & præmaturè moriens, maternis precibus Purgatorio igne euadit. 100
Corpora tria feminarum sanctarum in Lusitania ante multos annos sepulta, hoc sæculo incorrupta reperta. 367
Corpus S. Elisabethæ Reginæ Conimbricæ requiescens, ante aliquot

annos detectum integrum apparuit. 557
Contos Lusitanis quid sint. 388
in Crucem Domini veneratio Regis Eduardi I. 167. eius parte in signo militari prælata Mauros fternunt Lusitani. 117.118
Crux quotannis ante festum S. Thomæ Apost. sanguine purpurascens, inuenta iuxta Meliaporem in India. 285
ex Crystallo plures aliæ fiunt gemmæ. 417. ipsum in Lusitania reperitur. 418
Cucufas martyr Bracharensis. 441
Cunhales tyrannus Indicus Goæ à prætore Indiæ capite plectitur. 363

D.

S. DAmasus Pontifex fuit Lusitanus; eius elogium. 519. eius gesta, & patria. ibid. vbi sepultus requiescat. 560
Deiparæ Cæsaraugustanæ dictæ *del Pilar* cultus vnde ortum habuerit. 433
Dionysius Rex quando natus & quo mense. 79. humaniorum litterarum in pueritia fuit cultor. ibid. patri quo ætatis anno successerit. ibid. Mater cum eo imperare vult, sed ipse ei subesse detrectat. 80. eius cum Alphonso fratre dissidia. ibid. bellum cum Sancio Rege Castellæ gerit, qua de causa. ibid. Lusitani triremes à Castellanis captas recuperant. 81. pacem cum Castellæ Rege componit. ibid. illius præclaræ virtutes. 82. fidei fuit tenacissimus, & iustitiæ amantissimus. ibid. sequester eligitur ad Reges Castellanum & Aragonium componendos. ibid. eius in Aragoniam iter & comitatus. ibid. eius liberalitas & munificentia regia. 83. quàm fauerit agricolis. 84. vectigalibus suos non grauauit, & plures vtiles leges tulit. ibi. eius memoria quomodo in Forensibus iudiciis adhuc vigeat. ibid. alia eius opera & fundationes; Christi milites instituit, milites D. Iacobi à Castellanis separauit. ibid. & 85. eius coniux fuit S. Elisabetha; eius liberi, tum legitimi, tum illegitimi. 85. bellum ciuile gerit cum Alphonso filio. ibid. illius statura, mores, testamentum, obitus. ibid.
Dij obsidio bis à Lusitanis contra Mauros tolerata. 297.298
Dominici à Turcibus martyrium. 460
Dominicani Ordinis martyres in Lusitania, & extra eam, recensentur. 492
Duces Lusitani à singulis Regibus creati recensentur. 374 & seqq.
Duodecim Lusitanorum facinus clarissimum in Anglia. 149
Durius flumen describitur. 410
Dynastæ aliquot veterum, dicti Reges. 438

E.

EBoræ Romanis mœnibus temere emersis Fernandus I. alia molitur tradita. 140. 141
Eborensis Collegij amplitudo. 331. Academiæ fama & dignitas. ibid. *Vide* Henricus Rex.
Eborenses reliquiæ & monumenta sancta. 553. & martyres. ibid.
Eborensis sedes fit Archiepiscopalis. 329
Ecclesiæ Visensis & Lamacensis Episcopi fuere plures illustres. 522
Eduardus I. Rex Visei natus est. 161. quàm læta sibi subdito regno vniuersi sponderent. ibid. Mathematicorum obseruationes in sua inauguratione contemnit. ibid. eius expeditio in Africam infeliciter succedit. 162. mittit legatos ad Concilium Constantiense. ibid. eorum in hoc Concilio auctoritas &

& industria. 163. plurima hi à Concilij Patribus impetrant. ibid. eius vxor & liberi. 164. eius filia Eleonora nubit Frederico III. Imp. ibid. aliæ eius filiæ Catharina, & Ioanna. eius proles spuria. 165. eius studium erga Philosophiam. ibid. item equitandi peritia. 166. de re equestri librum edidit. ibid. eius robur, illustria facinora, & facundia oratoria. ibid. in viros doctos propensio. 167. ipsius erga Deum pietas. ibid. eius obitus immaturus. ibid. vxori moriens administrationem regni testamento legauit. ibid. eius forma & lineamenta. 168

Eduardi Menesij in arce Alcaceriana tuenda constantia & fames. 204. 205 petit à Rege Lusitano subsidia. ibid.

Eduardi nothi filij Ioan. III. dotes. 302

Egas Monisius fuit Alphonsi I. Regis pædagogus. 7. 13. eius strenuitas ac pietas. ibid. eius fides. 14

Eleonora Eduardi I. filia nubit Frederico III. Imp. 164. ex iis natus Maximilianus I. Imp. ibid.

Eleonora vxor Eduardi I. regni administratione quam ei maritus moriens crediderat, à proceribus deturbatur. 199. eius inde dolor & mors. 200

Eleonoræ Telles Fernandi I. vxoris suspicionis cum Ioan. Fernando Anderio commercia. 137

S. Eleutherius Herniosis succurrit inuocatus Eboræ. 555

Eliæ monachi martyrium Cordubæ. 451

Eleus monachus Benedictinus Lusitanus est inter Martyres Cordubenses interfectus. 490

S. Elisabethæ parentes. 91. quomodo & quo die in lucem edita. ibid. vnde illi nomen inditum. ibid. vbi nata pacem inter auum & patrem confirmauit. ibid. præclara virtutis indicia dat in infantia. 92. à multis procis petita Dionysio Regi Lusitaniæ despondetur. ibid. deducitur in Lusitaniam. 93. eius nuptiæ Tramosij celebrantur. ibid. tempus ad pia opera & preces disposuit. ibid. eius abstinentia mira. 94. aquam bis in vinum commutauit. ibid. eius largitas in pauperes & hospites. 95. à cancro feminâ, ab ictu virum sanat. ibi. nummos in rosas vertit; atque inde rosas sinu gestans pingitur. 96. maritũ vt fratri Alphonso reconciliarit. ibid. pacis conciliandæ quàm fuerit studiosa. 97. pacẽ quoq; composuit inter Iacob. Arag. & Fernandũ Castellæ reges; item inter maritũ suum & Ferdinandum. ibi. sæpè filiũ suum Alphonsum patri pacificauit. ibid. falso apud maritum accusata, quòd filio contra patrem faueret, abit in exilium. 98. quàm bene affecta erga spurios mariti liberos. 99. eius famã denigrans Sycophanta in calcaria fornace pœnas luit. ibid. filiã defunctã à pœnis inferni liberat. 100. cõmuniũ operum fuit fautrix egregia. ibid. ab alijs inchoata, ad exitũ perducebat. ibi. brephotrophium Scalabitanum perficit, & quàm pueros in eo curarit. 101. D. Clarę cœnobiũ Conimbricæ exstruit. ibi. amor eius in maritum eius. 102. quid egerit in eius obitu. ibi. D. Claræ institutũ vidua iam complectitur, cùm tamen emissis votis. ibi. Compostellã peregrinans abit, & quę ibi donaria offerat. 103. sua omnia in sacrã supellectilem conuertit. ibi. ingens saxũ tactu eleuauit. ib. periculis se offert, vt Castellæ & Lusita. Reges cõponat. 104. moritur, & eius corporis integritas. ibi. de ea sacrificãdi potestatẽ fecere Leo X. & Paul. IV. 105. eius forma. ibi. Pauli V. iussu diligentiùs in eius vitã & miracula inquisitum; & à quibus id præstitum. ibi. nuper recluso mausolæo corpus eius integrũ apparuit. 106. 557. Epis. Conimbricens. argenteum ei sepulchrũ donat. 106. eiusdẽ præsulis larga pietas in

in D. Eliſabetham. 107. ea S. Irenes corpus videre volente, Tagus fluuius diuiſus eſt. ibid.
Eliſabethæ Hun aræ pietas & liberalitas in pauperes. 91
Emmanuel Rex nepos fuit Alphonſi IV. ex Ferdinando fratre, & Ioannis II. leuir. 263. vbi & quando natus. ibid. vnde nominatus Emmanuel. ibid. regnum adit. 264. Brigantinæ domus hæredibus omnia iura reſtituit. ibid. eius inſigne fuit ſphæra mundi. ibid. nauigationes in Indiam adornat. 265. ſingulis annis claſſes eò deſtinat. ibid. arces ibi erectæ eius auſpicio. 266. eius tituli ex nauigationibus Æthiopia, Malica, Perſica, Indica. 267. Templum D. Virginis à Bethlem ædificat, necnon cœnobium D. Hieronymi. 267. legationem & munera mittit poſt Indiam exploratam ad Leonem X. ibid. eius res geſtæ in Africa 268. auxilia Venetis ſubmiſit contra Turcas. ibid. ob eius pietatem Arzillæ victoriam egregiam ſui referunt. 269. Marrothij in portis ſuas Luſitani figunt haſtas. ibid. Saphinum capit & omittit. ibid. ſub eo Luſitanorum in Africa ditio ſe latè extendit. 270. octies in Africa obſeſſi Luſitani hoſtes repellunt. ibid. eius filius ex Iſabella fit hæres Caſtellani imperij 272 ſecundę eius nuptiæ cum Maria Iſabellæ ſorore, & multa ex ea ſoboles. ibi. tertium eius matrimonium cum Eleonora Caroli V. ſorore. 273. eius ſtatura & ſtudia. ibid. Religioſos ſępè inuiſebat, & ne ſubleuabat. ibid. ipſius in omnes, & omnium in ipſum amor. 174. Templa & cœnobia ab eo exſtructa. ibid. pontes erexit varios, & opera miſericordiæ varia inſtituit. 275. remiſſionẽ voti caſtitatis ordinibus militaribus à Pontifice impetrauit. ibid. Iudæos ad fidem Chriſti adduxit. ibid. regium ius reformauit. 276. eius felicitas, mors & ſepulchrum. ibid.
Emmanuel Fernandus Societ. Ieſu in Luſitania arenæ ſacculis contuſus occumbit. 497
Emmanuel de Sylua, Antonianas fouens partes capite mulctatus. 349
Engratia virgo morte obit pro Chriſto Cæſar Auguſtæ, vnà cum ſocijs Luſitanis. 442. & 443. aliæ eius ſociæ. 443
Epiſcopatus Luſitanici recenſentur, & ſingulorum annui prouentus. 387
Epiſcopos quatuor in Africa ſufficit Luſitania. 516
Equus argenteus ab Alphonſo Rege V. B. Virgini oblatus, ſed poſtea à loci Abbate fuſum & diſtractum argentum eſt. 207
Equus Iulij Cæſaris ortus è Luſitania, cur magni ab eo exiſtimatus. 430
Equorum greges habet magnos regio Tranſtagana. 429
Equæ Luſitanæ cur à vento dicantur concipere. 429
Equitum ab Ala quæ fuerit origo, quis auctor. 22
Eremita quidam Alphonſo I. Regi victoriam de hoſtibus Mauris ſpondet. 15
Eremitæ ſancti, Luſitani. 524
Eremitæ S. Auguſtini quos Martyres in ditione Luſitana habuerint. 493
Ermimius mons in Luſitania. 398
Eſtremadura deſcribitur. 394
Euangelij ad Sinas penetratio quando cœperat. 517
Eugenius Coruanienſis Abbas inſignis virtutibus, in ſuo cœnobio ſepultus iacet. 558
Euphemia martyr Abobrigæ demoritur. 445. fuit orta è Luſitania. 447. eius corpus furto ſublatum ſemper in eodem loco repertum. ibid.

F.

FÆcunditas humanæ ſobolis prouinciæ Interamnenſis. 392

S. Felicis Scyllitani martyris reliquias Lusitania custodit. 548
Feminæ sanctitate insignes Lusitanæ enumerantur. 530
Fernandus I. Rex quando natus, & quando regnum adierit. 133. ei regnũ adeunti omnia felicitatẽ spondebant. ibid. eius species digna imperio. ibid. eius animi & corporis dotes. 134. eius quæ fuerit largitas & iustitia. ibid. leges condidit commodas. ibid. eius leuitas & incõstantia. ibi. inconsultò Ioannem fratrem trudit in carcerem. ibi. à vero Pontifice nunc resilit, nunc ei adhæret. 135. temere suscipit cum Castellano bellum, sed ipsum interuentu Pontificis sopitur. ibid. impias nuptias init cum Eleonora Telles. 136. quæ ex his nuptiis secuta mala. ibid. aduersus Castellanos Anglos accersit. 137. 139. eius inertia in causa est, vt hostes Lusitaniam inuaderent. 138. iterum Castellam bello adoritur. 139. sed pacem componit meliori Castellanorum conditione. ibi. eius forma. 140. regnum ipsius inter pacem & bella fluctuauit. ibi. Olysipponem breui muris cinxit, & Eboram. ibid. creauit magistrum equitum & Marescallum in Lusitania. 141. eius mors Christiano digna. ibid.
Fernandi Principis parentes, ortus, & morbi, 173. ei recens nato cutis discedit. ibid. eius in Deum pietas & castimonia. ibid. in Ven. Eucharistiam affectus. 174. quàm ieiunia coleret, quàm profusus esset in pauperes, & opera pia. ibid. domesticos quomodo ad pietatẽ efformaret. 175. eius facultates & profectio in Angliam. ibid. à fratre Eduardo ad Africanam mittitur expeditionem. ibid. eius inualetudo in hac expeditione. 167. eius in oppugnanda Tingi ardor. ibid. Tingitanos frequenti clade atterit. ibid. in obsidem traditur Mauris cum nouem sociis pro Septæ redditione. 177. à Salabensala excipitur. ibi. Arzillam deportatur 178. eius valetudo ægra & vitæ ratio. 179. Fessam ducitur. 180. eius ad suos oratio in ærumnis. 181. in ergastulum detruditur. ibid. & 155. vincula ei iniiciuntur, & ad Regis hortum colendum ducitur. 181. ad purganda stabula compellitur ad Lazeraquio. 182. se à sociis laborantibus disiungi minimè patitur. ibid. eius victus, vestitus & carcer, vti & sociorũ. 183. eius dolor in morte Regis Eduardi fratris. ibid. noua in eum sæuitiæ argumẽta Mauri ostendũt. 184. pestẽ quomodo à se suisq; depulerit. 186. pecunias ab eo poscit Lazeraquius. ibid. vltimum eius ergastulum. 186. ad mortem se per menses quindecim, vt parauerit. 187. eius in carcere pietas, & in concaptiuos pietas. ibi. quænã eius essent vota. 188. eius valetudo admodum debilitatur. ibi. se ad extremum agonem parat. 189. Deiparæ Matris aspectu recreatur. ibid. ex hac vita decedit. 190. 162. de illo Lazeraquii Mauri testimoniũ. 190. eius patientia. 191. iussu Lazeraquii exenteratur, cadauer in vrbis Fessanæ porta suspenditur. ibid. aues eius corpus mortuum veneratæ. ibi. varia de mortuus patrauit miracula. 192. corpus in Lusitaniam deuectum. ibi. qua pompa exceptũ. 193. sepelitur Battaliæ. ibi. eius socij quomodo extincti. 194. eius forma. ibid.
Fernandus Genesius mart. in Afr. 460
Fernandi Parieri Præfecti Scloriquensis propugnaculi in Regẽ suũ fides. 65
Ferrifodinæ Lusitanicæ. 416
Fidei Christianæ diuturnitas in Lusitania. 450
Fidem Christianã Lusitani in Africa varijs locis propagarũt. 516. item in Æthiopia Abyssin. ib. itẽ in Asia. ibi.

Fluuij Lusitaniæ vnde aurum trahant. 415
Fons omnia sorbens haud procul à Conimbrica. 403. item alius morbo calculari remedium continens. 404
Fontes Interamnenses celebrantur. 401. & Bernenses. 402
Franciscani quinque fratres ex Lusitania in Africam traijciunt, & martyrio Marrochij in Africa coronantur. 55. cælestia in eorum morte prodigia. ibid. eorum reliquiæ Conimbricam deuehuntur. ibid. 490. rursus alij quinque in Africa à Mauris interfecti. 491. & alij septem Septę interfecti. 491. & alij. 492
Franciscus martyr Marrochiensis. 459
Franciſci Araneræ Societ. Iesu martyrium describitur. 506. 507
Franciſci Georgij Maronitæ Societ. Iesu genus, studia, profectiones. 509. Æthiopicæ missioni destinatur. ibi. eius missionis difficultas. ibid. mutato habitu nauim conscendit. 510. eius in oram maris Rubri profectio. ibid. cæditur à Saracenis. 511. prodigia post mortem illius quæ apparuerint. ibid.
Franciscus Lopesius Soc. Iesu à Mauris crudeliter post varia blandimenta necatur. 503
Franciscus Mascaregnas Ciculum egregie contra Nizamalucum tuetur. 315
B. Franciſci Xauerij in Euangelij prædicatione labor & fructus. 284
Fructuosus Abbas illustris sanctitate, post mortem à multis colitur. 513. illius cranium in Interamnensi regione colitur. 523. & 560
Fructuosus, vnus de illustrib. Bracharensis Ecclesiæ Episcopis. 520
Frumentum cur Lusitaniæ non sufficiat. 389
Fuazius Ropinus Alphonsi I. Regis dux Gami Regem cum fratre capit. 23
Fungenses Martyres in Iaponia sex. 484

G.

GAlli è Brasilia expulsi à Gaspare de Sosa. 354
Gagatem lapidem fert Lusitania. 421
Gasparis Berzai per Armuziam fama. 463
Gaspar & Iacobus martyres Iaponij ab Ethnicis interficiuntur. 480
Geneuæa martyr. 445
Gergij Amarallij Societ. Iesu in Iaua cædes. 508
Georgij à Costa de Ioanne II. Rege testimonium. 232.
Georgij Fernandij è Societ. Iesu in Iaua martyrium. 508
Georgius Ioannis II. Regis filius nothus Ducum Auerienſiū auctor. 329.
Gillius ex Ordine Prædicatorio sanctitate celebris. 75
Goam frustra obsidet Idalcan. 315
Gonsaluus ab Amarante illustris in Lusitania fuit Abbas. 523. eius sepulchrum religione venerabile. 560
Gonsalui Mendij à Maia virtus, acta, victoriæ. 24 Moleimarus Maurus & Rex Tingitanus ab eo victi. ibid.
Gonsalui Silueriæ Soc. Iesu nobilitas, labores, zelus, cædes indigna ab rege Mononiacapæ. 502
Gonsalui Vasæi ingenium, dum esset Maurus. 453. eius conuersio. ibi. 454. capitur à Mauris. ibid. dirè ab eisdē excruciatur. 455. eius martyrij testes. 456
Gonsaluus Vasquius primus in Lusitania Mareschallus. 141
Guadianæ fluuij ortus, fluxus, raritas, tractus, vtilitates. 404. 405
Guodinus Episcopus Bracharensis sanctitate illustris. 520
Gyraldus Antistes Bracharensis sanctimonia vitæ insignis. 520

H.

HAliboarem Rex Maurorum à Castellanis ad extremum discrimen redactus. 118

Helena de S. Antonio in Lusitania sanctitate nobilis. 529
Henricus Comes Regum Lusitaniæ parens, Vesontione in Burgundia natus. 1. variæ de eius patria opiniones. ibid. eius parentes & stirps. 2. fuit Roberti Ducis Burgundiæ nepos, & Regis Galliarum Roberti pronepos. ibid. & 3. patrem non habuit Hugonem, sed Henricum. 3. eius amita Constantia nupta Alphonso VI. Regi Hispaniæ. ibi. causa cur venerit in Hispaniam. 4. ducit Therasiam prædicti Alphonsi VI. filiam. 5. ei in dotem datur Lusitania sub nomine Comitatus. ibid. Lusitaniam vt ordinauerit in spiritualibus & temporalibus. 6. eius gesta contra Mauros. ibid. eius proles Alphonsus. ibi. in B. Virginem mirè affectus, sub eius tutela monasterium Canonicis Regularibus ædificat. 7. eius in bellum sacrum profectio. ibid. eius gesta in Syria, & reditus in Lusitaniam. 8. eius obitus, & sepultura Bracharæ & proles variæ. ibi. eius statura & lineamenta. 9. Lusitan. fines qui essent sub eo. ibid.
Henricus filius Ioannis I. à patre Dux Visei creatur. 152. fuit castissimus & Indicę nauigationis auctor. ibi. Matheseos fuit peritissimus. ibid.
Henricus I. Rex Lusitan. eo die natus quo mortuus, eius parens fuit Rex Emmanuel. 327. eius pueritia & profectus in litteris. ibi. scripsit libellum homiliarum. ibi. Ecclesiasticæ illius dignitates. 328. fit Præsul Bracharensis. ibid. Episcopi munia exercebat per seipsum. ibid. illius in ministris deligendis prudentia. 329. Inquisitor fidei generalis quàm probè suo functus officio sit. ibid. fit Archiepiscopus Eborensis. 330. quomodo suam diœcesin lustraret. ibid. Societat. Iesu Eboram accersit. ibid. ei dedit Collegium anteà clericis destinatum. 331. Collegium Purificationis instituit, & Societati submittit. ibi. item excipiendis pauperibus scholasticis xenodochium construit. 332. reditibus amplificauit omnia ferè Lusitanica Societatis Collegia. ibi. illius in Cistercienses monachos beneficentia. 333. Franciscanis de obseruantia egregiè fauet. ibid. fit Archiepiscopus Olysipponensis, vt adesset Sebastiano Regi nepoti. ibid. fit regni gubernator. 334. quàm nauiter & piè ipsum direxerit. ibid. Sebastiano regnum tradens Eboram redit. ibid. Societatis in domo agens Religiosa obit exercitia. 335. incenso palatio solum crucifixum seruare allaborat. ibi. paupertatem in se & aliis amabat. ibid. suum fraudat genium, vt in alios esset largus. 336. virginitatis fuit perpetuus custos. ibid. Pontificem quanto studio coleret. ibid. Sebastiani expeditionem sæpè conatus est impedire. 337. ei exstincto Olysipponem euocatur. ibid. inauguratur rex. ibid. viduas subleuat & captiuos redimit. 338. de eius nuptiis agitur. 339. mors illius & sepultura. ibid. eius statura. ibid.
Henricus Castellæ Rex Lusitaniam inuadit, & Olysipponem oppugnat. 138
Henrici cuiusdam Germani in oppugnatione Olysipponensi interfecti, sanctitas & miracula. 18. 449. salutaris palma in eius tumulo enata. 19. miracula ad eius sepulcrum. ibid.
Hieronymi de Auila martyrium apud Marrochienses. 461
Hieronymus à Cruce Dominicanus martyr in regno Sionio. 492. eius ossa post mortem suauissimum efflarunt odorem. 493
Hispanorum erga B. Virginem pietas. 368
Hostia sacra Scalabitana, vnde primùm coli cœpta, quas figuras proferat. 550. 551

Hyacinthi in Lusitania reperiuntur. 418

I.

S. IAcobum Apostolum verè in Hispaniam venisse, manifestè probatur. 432. quo tempore huc venerit. 434. ei tempus fuit vt Hispaniam lustraret. 435. quo tempore eò venerit. 436. eius ibi discipuli. ibid.

D. Iacobus à Miraculis est imago miraculosa, quæ non procul à Portu colitur. 561

Iacobi Auellarij audacia singularis. 149

Iacobi Cœlij visa sacra hostia Scalabitana, conuersio & solatium. 551

D. Iacobus intercisus Bracharæ requiescit. 559

Iacobi Ducis Brigantini vires & gesta in Africa. 269

Iacobus Dux Visensis Reginæ Lusitanæ frater, ob coniurationem à Rege Ioanne II. interficitur. 228

Iapones tres è Societ. Iesu cruribus suffixi. 509

Iapones duo martyres Firandi necati in odium fidei nostræ. 481

Iaspis Cetobricæ educitur. 420

Idalcan frustra Goam obsidens, victus abscedit. 315

Iesus à Familicano imago, qua occasione coli cœpta. 561

Ignatius Azeuedius cum alijs quadraginta è Societ. Iesu in itinere Brasiliensi interceptus à Caluinistis Gallis, necatur. 503. eos B. Teresa in cælum vidit abeuntes. 504

Imago crucifixi Scalabitani miraculosa. 553

Imagines aliquot crucifixi Domini in Lusitania venerabiles. 560

Imprudentiæ & temeritatis singularis exemplum. 541

Indus B. Virginis sectator & cultor à Mauro Hero interficitur in eius odium. 480

Infans Mogorensis ab auia veneno extinctus, in odium fidei sanctæ. 472. eius post mortem vigor. 473

Insulę ad Lusitanum regnum spectantes variæ. 488

Insula S. Mariæ à Mauris capitur. 365. item insula Portus sancti diripitur. ibid.

Interamnensis regio describitur. 391

Interamnensis seditio orta occasione Reginæ Messiæ Lopesiæ. 63

Integritas corporis S. Elisabethæ Reginæ. 106

Ioachimus Martyr Nohensis in Iaponia. 483

Ioannæ Principis ortus, pulchritudo, nuptiarum repulsa prima. 237. eius affectus erga pietatem. 238 acriter in se ipsa per pœnitentias desæuit. 240. ingeniosè sibi supplicia excogitat. 241. regno præest, atque à patre in monasterium concedendi copiam impetrat. 242. migrare Auerium statuit, interim Odiuellas abit. 244. religiosam vitæ rationem init. 246. humillima monasterij obit ministeria. 247 consanguinei & proceres eam à proposito auocare conantur. 248 morbo impeditur, ne religiosa vota emitteret. 249. iter eius religiosum Auerio. ibidem. nuptias respuit variorum regum. 250 mira eius in morbo patientia; testamentum condit. 252. parat se ad mortem. ibid. consobrinum Georgium ad virtutem adhortatur, animum confessione expiat, & sacra synaxi munit. 254 ad mortis certamen religiosè se parat. ibidem. sanctissimè moritur, & defuncti corpus componitur. 255. eius dum cadauer effertur, mira accidunt, pompa funeris eius describitur. 257. eius forma. ibid. sanctimoniali cuidam desperatam valetudinem reddit, veneno extincta creditur. 258

Ioan-

Ioannes I. quando ortus, eius parentes, educatio. 143. creatur Magister militiæ Auisiensis. ibid. eius pietas erga Deum, & gratia erga populum. ibid. Eleonora Telles Regina eum in vincula tradendum curat. ibid. ei necem molitur. 144. Ioan. Auderium pugione cur confoderit. ibid. dictus defensor patriæ. ibidem. eligitur in Regem. 145. bello se tuetur aduersus Ioannem Castellæ Regem Lusitaniam bello inuadere parantem. ibidem. profligat eius copias. 146. regnum ei à Pontifice confirmatur. 147. ducit Ioannis Leceſtriæ Ducis filiam Philippam, & illius ope Castellanos attriuit. ibid. erigit templum D. Virgini in ipso loco certaminis à Victoria denominatum. 148. cur in Africam ad Septam expugnandam traiecerit. 150. expeditionis huius consilium tacuit. 151. Septam expugnat. ibid. eius filii in ea expeditione viros se exhibuere, & à patre propterea honestantur. ibid. eius in diuinam Eucharistiam affectus & pietas. 152. item in B. Virginem. ibid. Assumptæ Virginis festum præcipua religione obseruabat. 153. eius extrema ægritudo & summa pietas. ibid. eius obitus. 154. omnium luctus ob eius mortem. ibid. eius vxor & filii. ibid. illius statura & sepulcrum. ibid.

Ioannes II. cognomento Maximus Rex, quo die, & anno, & vbi genitus. 215. eius infantia. ibid. & optimi Regis forma. ibid. vxor eius & filius Alphonsus breuis æui. ibid. 229. eius prudentia & aliæ animi dotes. 216. vires & exercitamenta. ibi. robustos sibi adiungebat. ibid. taurum gladio solus auertit. ibid. eius in Dei matrem & quinque Christi plagas pietas. ibid. Christi passionem quo affectu recoleret & celebraret. 213. rem diuinam quotidie audiebat: sacerdotem calceum sibi induere tentantem grauiter coarguit. ibid. sponsor & promotor fuit baptismi sui chirurgi, natione Iudæi. 218. post obitum eius, pœnitentiæ instrumenta in scrinio eius reperta. ibid. quo in quemque esset animo, statim aperiebat. ibid. iracundiam quàm frænauerit. ibid. equitem, cui iratus fuerat, quàm comiter eadem die tractauerit. ibid. à suis vt à filijs parens amabatur. 219 omnium in eum reuerentia. ibi. ipse omnibus, nemo illi imperabat. ibid. damnum suo fauore illatum, antequam moreretur resarciit: capite damnatos cur mallet in exilium mitti. 220. reum absoluit, qui iudicum corruptela diu in carcere fuerat. 221. prætorem munerum amantem, etsi aliàs industrium seriò monuit. ibid. incorruptè contra se ferentes sententiam præmio afficiebat. 222. cùm paria mortis ac vitæ essent suffragia, ad clementiorem partem inclinabat. ibid. legibus à se latis obediebat, ludi hostis aleatorium incendit, artifices & viduas in pretio habebat; equites quanti faueret, vera dicentes, etsi sibi iniucunda, aliis præferebat. 223. in altero codice suorum merita, in altero beneficia scribebat, absentibus & non petentibus munia varia designabat, aliquid à se per deprecatores ægrè ferebat exigi. 224. quemdam honore affecit, vt is haberet à quo pecuniam mutuaretur. 225. quomodo risum aliorum, quo alterius errorem ridebant, in laudem conuerterit; strenuis tantùm se beneficia daturum significabat. ibid. Caroli Galliarum Regis de eo iudicium. 226. quàm esset in egenos largus. ibid. eius comitas & vrbanitas. ibid. illius in exteros

benignitas. 227. multi in eum conspirarunt. ibid. Occultè Brigantiæ Ducem sui officij commonefacit. ibi. Emmanuelè Ducis Visensis fratrem, relicto spurio suo Georgio, in regni heredem cooptat. 228. 229. Indicam nauigationem procurat & apparat. 229. addit Guineæ dominationem ad priscos Regum titulos, & insignia regia restaurat. 230. res in Africa sub eo gestæ. ibi. Olysipponense nosocomium & Eboræ aquæductus construit. ibid. eius statura. ibid. Sacramentis omnibus ante mortem munitur. ibid. Episcopum Argarbiensem coarguit. 231. iuuenilem intemperantiam deplorat. ibid. quàm piè demortuus sit. ibid. eius symbolum fuit pelicanus cum inscriptione, *Pro lege & pro grege*. 252. dolor omnium in eius obitu. ibid. eius corpus diu post mortem integrum repertum. ibid. multi ad illius contactum sanitati restituti. ibid.

Ioanne III. Rege nascente tempestas exorta quid portenderit. 281. quando regnum adierit. ibid. regiæ eius dotes. ibid. eius pietas in Deum. 282 Episcopos in regno & extra multos dispositit. ibi. Patriarchas ad Æthiopas misit. ibi. eius sumptus in res diuinas. ibi. eius dolor ob hæretici sacrilegi audaciam. ibid. in filij & fratrũ nece, eius animæquitas. 283. Inquisitorũ fidei tribunal primus instituit. ibi. sub illius imperio Euangelium latè disseminatum. 284. & actor ipse præmiis & epistolis barbaros alliciebat. ibi. religiosæ disciplinę restaurationem quàm curauerit. 286. sumptibus in eam rem minimè parcebat. ibid. Societatem Iesu quàm amicè complecteretur. 287. Collegia & domos ei varias erexit. ibi. eius prudentia in eligendis magistratibus. ibid. monita aliorum libenter admittebat. 288. eius clementia & in audiendis conuiciis patientia. 289. ius frequenter & cunctanter dicebat. ibi. Feminam absoluit, quæ maritum adulterum occiderat. 289. eius in pauperes liberalitas. 290. magis popularium quàm sua damna dolebat. ibid. infamiæ notam vetuit furunculis inuri. ibid. crimina oblitterata nulli nocere volebit. 291. Religiosos stipe collata sæpè iuuit. ibi. benignitas eius in illos qui vectigalia interciperet. 292. Pecuniam mutuam dat vt Equitis indigentiam releuet. 293. dicebat alios esse in aula quibus Rex, alios qui Rege indigerent. 294. honestũ semper vtili præferebat. ibi. in exteras nationes suam beneficentiam extendit. 295. arces & aquæductus multis locis exstruxit. ibi. res sub eo gestæ in India. 296 Africanam expeditionem cur deferendam censeret. 301 eius vxor & liberi minimè vitales. 302. eius statura & forma, verè regia. 303. eius mors & tumulus. ibid.

Ioannis Abbatis Coruanensis imprudentia. 541. eius mors. 542

Ioannes Baptista Angiensis è Soc. Iesu in Iaponia Omuræ truncatus. 512

Ioannes Castellanus Rex Lusitaniam ad se pertinere dicens, eam bello sibi subigere parat. 144. 146. eius fuga. 147

Ioannes Castellan. puer insignis Christi martyr à Turcis in Christi odium interfectus. 467. 468

Ioannes à Deo egregius fautor & curator pauperum. 524

Ioannes Emmanuel Eduardi I. filius nothus, educatio eius, ætas & prudentia. 165. concreditur Eduardus Nonio Aluario Pererio monacho. ibid. fit Episcopus, & consiliarius Regis Alphonsi VI. ibid.

Ioan. Fernandus Anderius, qui regnante Eleonora Regina magnæ auctoritatis erat, à Ioanne Magistro trucidatur. 144

Ioan-

Ioannes Gallus martyr Marrochiensis. 460
Ioannes Germanus, Colonia oriundus, martyr apud Turcas. 463.464
Ioannis Mascaregnæ virtus in tuenda arce Diensi. 298
Ioannem Menesiam cur Ioannes II. Rex aulæ œconomum crearit. 223
Ioannes Nunnius è Societ. Iesu Patriarcha in Æthiopiam mittitur. 523
Ioannes Perezius martyr à Turcis interemptus. 464. cadauer eius aduerso maris æstu ad Lusitaniæ arcis portam propulsum est, vti & sociorum eius. 465
Ioannes Reberbus martyr Lusitanus Ciauli in India Orientali, quàm fuerit in fide tuenda acer & constans 466. quo mortis genere interfectus. 467
Ioannes Scalábitanus inter illustres Episcopos Bracharenses recensetur. 521
Ioannes Sobrinus Carmelita ab hostibus fidei veneno sublatus fuit. 492
Ioannes Sosa Socie. Iesu martyrio coronatur apud Brasilos. 497
Ioannes Vasæus martyrium in Africa obit. 457. eius in loquendo libertas. ibid.
Ioannes XX. Pontifex, fuit Olysipponensis. 520
Ioannes frater Fernandi I. Lusitani Regis pactam sibi Reginæ sororem eadem fallente interimit. 136. eius exilium. 137
Iordanes Iapon cum vxore & duobus filijs constanter pro fide Christi obit. 482
Irene Virgo & martyr Lusitana. 451. fuit Ordinis D. Benedicti. 490. eius sepulchrum admirabile. 107. & 530
Ismarus & alij quatuor Mauri Reges sub Alphonso I. Lusitaniam inuadentes profligantur. 15
Iudæis impunitas præteritorum conceditur Lusitania, sed irrito fructu. 362. corũ cædes Olysippone leui de causa exorta sub Rege Emmanuele. 275
Iulephus Chaldæus Bæticã infestat. 4
Iulgados Lusitanis quid sint. 388
Iulia martyr Olysipponensis. 448
Iusta sancta virgo in Lusitania. 530

L.

LArache oppidum in Africa in Lusitana ima transit. 60
Lazeracquius inauditæ feritatis homo 176. 179. 181. 182. eius artes dolosę. 180. 184. 185. eius interitus. 193
S. Leonardus pius ouium pastor in Lusitania. 524
Lessa flumen Lusitanum describitur. 410
Leuitas mira Fernandi I. Regis in filiabus nuptui collocandis. 138
Lima vnde obliuionis flumen dictum sit. 411. ipsum describitur. ibid.
Linum Lusitaniæ laudatissimum. 394
Loruanense Cœnobium olim sanctitate floruit. 540. eiusdem reliquiæ. 557
S. Lucæ brachium Baccaræ asseruatur. 8. 559
Ludouicus Consaluius Camera Soc. Iesu præceptor fuit Sebastiani Regis. 307. dilluadet ei bellum Africanum. 317. ex aula recedit, pro alumno se affligit, cum eo Rex in gratiam redit. 318
Ludouicus Fajardus Turcas & piratas nauali prœlio fundit. 361
Ludouicus Mendezius Societ. Iesu in profectione Sinensi ab infidelibus capite cæditur. 496
Lusitania vocari possit Galliæ colonia. 6. Castellæ vectigalis numquam fuit. 73. eius regnum Sebastiano extincto, quinque competitores sibi deberi asserebant. 338. ipsum est à Summo Pontifice confirmatum; confirmatur id diplomate Alexandri III. 384. eius fines tum antiquæ, tum modernæ. 386. 387. sex continet prouincias seu regiones. 387.

eius

eius ciuitates octodecim. ibid. eius oppida & conuentus. 388. eius insulæ. ibid. frumento indiget alieno. 389. olim frumento abundabat. ibi. eius prouinciæ singulæ describuntur. 391. & multis seqq. antiqua locorum eius nomina. 396. in ea conuentus fuere iuridici Romanorum. 397. eius montes describuntur. 398. eius fontes. 400. eius thermę & aquę medicinales. 402. eius fluuij. 404. eius aurifodinæ. 414. fert stannum, ferrum, plumbum. 416. fert varias gemmas, & lapides. 417. & seqq. eius salinę. 423. oleo abundat. 424. generosum fert vinum. 425. mel profert suauissimũ, & vbi. 427. eius armenta & pecudes. 428. eius pisces. 430. quando ad fidem Christi sit conuersa. 434. de eius martyribus, tum in ea, tum extra eam pro Christi fide necatis. 440. eius fidei diuturnitas. 450. martyres sæculo hoc necati describuntur. 453. recensentur qui in India alijsque Lusitanorum prouincijs sanguinẽ fuderunt. 462. item illius sancti Prælati. 520. item sancti Religiosi. 522. Sanctitate quoque illustres feminæ. 526. sanctæ Virgines. 530. illius delubra sancta. 532. Misericordiæ sodalitium ei proprium est. 546. Reliquias Sanctorum quas habeat. 543

Lusitani videntur à Deo ad Mauros pellendos electi. 512. in eo munere Hispanis sæpè auxiliares fuerunt. 513. superstitionem Mahometanam ipsa in Africa opprimunt. ibi. idem præstant in India. 514. eorum ditio in India. ibi. quantum Turcis damni intulerint. 515. potissimus eorum quęstus est fidei propagatio. ibi. eam in Africa, Abassia, & Asia quomodo propagarint. 516. eorum ad pietatẽ procliuitas. 518. illorum zelus. ibid. suam deserunt patriam, vt apud exteros diuitias comparent. 390. magna cura cur equis inuigilent. 429. eorum robur & fortitudo. 393. eorum erga Reges suos amor & affectus. 65. eorum in bello contra Castellanos pietas. 145. eorum victoria. 146. gratias Deo pro ea agũt. 147 eorum in Granatenses Mauros irruptio & strages. 117. 118. eorum fides in tumultu bellico pro Rege suo nouo Philippo. 351. gaudio exultant audito Philippum II. Regem in Lusitaniam proficisci statuisse. 564

Lusitani arci Diensi fuere pro muris dirutis. 298. in Africa casu mirabili atteruntur. 299

Lusitani pauci multos Maurorum profligant sub Rege Emmanuele. 270

Lusitanus quidam in Gallia ob rem bene gestam fit Comes Abbranchensis. 150

M.

MAfalda vxor Alphonsi I. Regis Lusitaniæ quot ei pepererit proles. 25

Mafaldæ Sancij I. filiæ nuptiæ & sanctitas. 41. 528. eius opera pia & memoria digna. 41. eius sepulcrum & incorruptio. 42. 43. eius miracula. 43. quæ miracula contigerint in tumuli eius apertione. ibid.

Malabares duo coniuges passi martyrium. 477

ad Mamoram infeliciter pugnant Lusitani sub Emmanuele. 272

Mamora expugnatur, & ipsa describitur. 360. 361

D. Marsius primus fuit Eborensium Episcopus & martyr. 439. 441. 551. eius Reliquiæ releuatæ. 442

Marchiones Lusitani à singulis Regibus creati recensentur. 374. & seqq.

Marchiones Villaregienses præfecti fuere Septæ. 152

D. Marcus confessor diœcesis Brachrensis. 521

Margareta Austr. vxor Phil. II. immaturè decedit. 367. Salmanticæ Societati Iesu Collegium fundat. 368

Margaretæ à Clauibus fœminæ coniugatæ ſanctitas. 528
Mariæ Duciſſæ Parmenſis ſanctitas. 527
Marina martyr obijt Amphilochiæ. 445
Maritima Luſitaniæ oleo etiam abundant. 424
Marmor laudatiſſimum fert Luſitania. 418
Marrochienſes Martyres ſeptem Anno Dom. M.D. LXXXV. qui fuerint recenſentur. 460
Marrochienſium quinque Martyrum Franciſcanorum Reliquiæ Conimbricæ aſſeruantur. 557
Martini à S. Maria ſanctitas. 535
Martini Freitas in Regem ſuum Sancium II. fides. 65.66
Martinus Martyr Sourenſis Archipresbyter in carcere exſpirauit. 452
Martinus, illuſtris Bracharenſium Epiſcopus. 520
Martini Vaſquij Acuniæ generoſitas. 148
Martyres ſunt qui pro fide tutanda pugnantes occumbunt. 449
Martyres aliquot in Africa Anno M.D.LXXXV. 460.351.353. corũ Reliquiæ in Luſitaniam relatæ. 353
Martyres indigenæ maiori à nobis ſunt iure colendi. 440
Martyres Indi & aliis in locis barbaris nati aut occiſi recenſentur. 469. & ſequent.
Martyres multi in India ſub Rege Ioanne III. 299
Martyres viginti Iapones ex oppido Xaquinenſi. 481
Martyres ſexcenti Maciacenſes apud Indos à Rege Iafanapatanio in Chriſti odium necati. 469
Martyres Societ. Ieſu recenſentur Luſitani & in ditione Luſitanorum occiſi. 495
Mathematici Eduardi I. inaugurationis diem inauſpicatum fore augurabantur. 161
Matthæus Præſul Olyſipponenſis proceres Septemtrionales in Luſitaniam claſſe appulſos hortatur vt Mauros Salarienſes adorirentur. 52
Mauri Hiſpanienſes Hiſpania pelluntur vniuerſa. 361
Mauri ſub Sancio I. tripartito agmine in Luſitaniam irrumpunt. 37. ſed lue in caſtris exorta fugere in patrias ſedes coacti. ibid. poſteà lue in Luſitania graſſante, eam inuadunt & multa oppida recuperant. 38. Salaria pelluntur ſub Rege Alponſ. II. 53
Maxima Martyr Olyſipponenſis. 448
Mazaganicam arcem acriter Mauri oppugnant in Africa, defendente Roderico Soſa. 311. 312
Mel Luſitania habet ſuauiſſimum. 427 eius incuriam induxit ſaccarum. ibi.
Melchior Olyſipponenſis martyr Iafanapatani. 492
Meſſia Lopezia Sancii II. vxor omnia in regno turbat. 62. eius nuptiæ irritæ à Pontifice declarantur. 63. à popularibus cuſtodiæ traditur. ibid.
Miles dentem in fiſtulam pro globo immittit. 297
Minius fluuius Hiſpaniæ vnde dictus, eius deſcriptio. 412
Miraculum Scalabi circa SS. Euchariſtiam. 550. fiunt ad id miraculum miri concurſus. ibi. viſiones mirabiles in illa hoſtia viſæ. 551. 552
Miramolinus Rex Maurorũ cum aliis tredecim Regibus ab Alphonſo I. & Sancio I. Regibus Luſitaniæ profligantur. 22. 34. moritur è vulnere in prœlio accepto. 23
Miſericordiæ ſodalitium in ſola Luſitania celebratum, eius origo & inſtitutum, & opes. 547
Mœnia Eborenſia exſtructa à Sertorio Romano. 141. quàm ea fuerint ſolida. ibid.
Mogores quomodo & quando fidem Chriſti amplexi ſint. 517
Molares lapides dat Luſitania. 421
Molcimarus Maurus & Rex Tingitanus

nus à Gonsaluo Mendio à Maia fusi & victi. 24
Molucas domant Lusitani exstructa arce Teruatensi. 266
Molucenses Martyres complures. 471
Monasterium S. Hieronymi in Sintia describitur. 399
Moriomotaxiæ venæ auri argentique in Regis Lusitani iure, arcibus exstructis, sunt. 366
Montes Lusitaniæ describuntur. 398. 401
Morabiti ad Mamoram recuperandam insania. 361
Mula Mafaldæ reginæ corpus ferens, ipsum cùm loco reddidit, statim disrupta exspirauit. 43
Mulieri Molucensi quàm detestandum fuerit Mahometus nomen; quam idcirco Mauri pugione confodiunt. 471
Munda fluuius describitur, 408

N.

NAugasachienses Martyres in Iaponia sex & viginti sub Torico-sama in crucem acti. 484
Naualis victoria prima Lusitanorum relata de Mauris. 23
Nicolaus à Melo Lusitanus apud Moscos igne enecatus, ex ordine D. Augustini. 494. eius cadaueri pepercere canes impasti. ibid.
Nizamalucus Ciaulum frustra obsidens cum ignominia recedit. 316
Nonius Aluarus Pererius ad victoriam Algibariotensem permultum contulit. 147. 148. monasticen posteà profitetur. 148. 165. nam fit Carmelita. 524. eius affectus in Deiparã. 537
Nonius Riberius Societ. Iesu in Moluco extinctus veneno. 496

O.

OBsidiarius lapis in Lusitania reperitur. 417
Oleo quæ loca in Lusitania abundent. 424
Olei vsus ad diuina fuit olim, & modò est. 425
Olysipponis situs describitur. 569
Olysiponensis agri fertilitas. 395
Olysipponense incendium per Castellanos excitatum. 138
Olysipponenses Martyres. 448
Olysipponensia loca sacra & sancta recensentur. 548. & seqq.
D. Ouidius Episcop. Bracharensis fuit martyr. 441. Bracharæ requiescit. 559
Ozesacus fluuius describitur. 409

P.

PAlma quędam miraculosa ex Henrici Germani equitis tumulo enascens. 19
S. Pantaleonis reliquiæ in vrbe Portuensi requiescunt. 560
Pascua Lusitaniæ vberrima. 428
Patientia incredibilis Regis Sancij II. in exilio & ærumnis. 64
Paulus Azeuedius martyr Franciscanus apud Indos. 492
Pecora & armenta Lusitaniæ. 428
Pegmata artificiosa varia describuntur Philippo Regi Olysippone excipiendo erecta à variis gentibus. 576. & seqq.
Persarum Rex legationem ad Philippum Regem mittit. 363
Persia ab Eremitis S. Augustini in fide Christiana excolitur. 517
Pestis Olysipponem miraculo cessauit. 556
S. Petri Apostoli gestorum breue compendium. 435
Petrus I. quando natus. 125. eius prima coniux Constantia. ibi. clandestinè cõtrahit cum Agnete de Castro. ibi. ipsa de medio tollitur suasu patris Petri. 126. indignatus Petrus bellum patri infert, & in percussores Agnetis animaduertit. ibid. fuit rigidus & immitis. ibi. populum nullis tributis oppressit, eius liberalitas. ibi. eius cõuiuia ad excipiendos nobiles, venatione & aucupio delectabatur. 127. leges vtilissimas sanxit. ibi. in sæuitiã aliquando desciuit. ibi. inde suis factus exosus. 128. de eius regno dictũ com-

commune.ibi. choreis & tubæ cantibus delectabatur.ibi.eius perpetua pax in belli tumultibus.ibid. fuit in Petrum Aragoniæ Regem inhumanus.ibi. sibi & Agneti à Castro duo eximia sepulcra parare iussit, qua pompa huius ossa huc transtulerit. ibi.eius filij,mors,statura.129. mortuus, ad vitam reuocatur precibus S. Bartholomæi Apost. ibid.

Petrus Alphonsi ex Henrico Comite natus Cistercienſe institutum amplexus est. 9. eius humilitas. ibid.

Petrus Eduardi I. frater in regni curatorem,& Regis pueri tutorem eligitur. 199. eius in regni administratione virtus ac fides.200.ex aula se subducit consultò. ibid. æmuli eum apud RegemAlphonsum variè criminantur.201. suam Alphonso innocentiã probare nititur. ibid. eius facta æmuli siniſtrè interpretantur.ibid. in cõgressu indignè occiditur.202.eius innocentiam tempus Alphonso Regi prodidit. ibid. eius sepultura illustris. 203

Petrus Berna Societ.Iesu à Barbaris in India necatur. 506

Petrus primus Bracharensis Episcopus à S.Iacobo præpositus. 437. eius martyrium. ibid. 441

Petrus Correa Societ. Iesu in Brasilia à Barbaris sagittis confoditur. 497

PetrusDiazius & Francisc.Castrius de Soc. Iesu ab Gallis Caluiniſtis intercepti in mari ad insulas Fortunatas variis modis enecantur. 505

Petri Nauarri martyrium Marrochij. 461

D. Philippi Apostoli cranium asseruatur in oppido, cui nomen Mons maior. 555

Philippus Burgundiæ Dux aurei velleris ordinem instituit. 155

Philippus II. Hiſpaniarum Rex Sebastiano Regi expeditionem Africanam dissuadet, sed frustrà. 321.legitimus fuit hæres Lusitaniæ, quia ex maiori Emmanuelis filia natus, mortuo Henrico patruo classem & exercitum instruit in Lusitaniam. 345.Olysipponem per suos occupat. 346.Lusitaniam ingreditur.ibidem. Olysipponem adit. 347. multa ad regni vtilitatem spectantia instituit, eius statura,& prudentia, ac pietas in Deum.353. quatuor eius vxores, & liberi. 354. mors quoque,& sepultura magnifica. ibid.

Philippus III. Hiſpaniæ & II. Lusitaniæ Rex, vbi & quando ortus. 359. eius morbi in pueritia. ibi. regnum adit. ibid. eius integritas & cura iustitiæ. 360. antiquas Lusitaniæ leges instaurat. 366. Hibernis auxilia contra Angles submisit. ibid. illius vxor & liberi. 367. illius filia Anna Mauricia nupsit Ludouico XIII. Regi Galliæ. 368. à Summo Pontifice petit, vt Deipara Virgo sine originali labe concepta teneatur. 369. eius statura. ibidem. quare statuerit in Lusitaniam proficiscì.564. illius iter huc describitur. 565. Eboræ quomodo exceptus. 566. Academiam inuisit & honorat. ibid. disputationes Academicæ coram eo instituuntur. 567. Almadenses quomodo eum exceperint. 568. Olyssiponem inuehitur. 572. qua pompa ibi exceptus. 573. quomodo in regiam sit ingressus. 581. in omnes benignum se ostendit toto illo quo Olyssipone mansit tempore. 583. Societas Iesu quam ei comœdiam spectandam exhibuerit. 584. Sintram adit. 586. comitia regni indicit. 587. in Castellam redit. 588

Philippus Princeps hodie Rex, duxit Elisabetham Borboniam. 368

Pii V. Pontificis illustre dictũ. 336. & eiusdem de Henrico Cardinali testimonium. 340

Piscarienses plurimi à Mauris in odiũ fidei Christianæ interfecti.470.476

Piſces quales & vbi habeat Luſitania. 430
Plumbifodinæ Luſitanicæ. 416
Pons *de par Deos* ſuper Durium flumẽ à Mafalda Regina conſtructus. 42
Porcorum greges magnos habet Luſitania. 428
Portugallia vnde dicta. 6
Potamii Epiſcopi Braccharenſis pœnitentia. 521
Præfectorum duorum in Luſitania fides incorrupta erga Regem Sancium exulem. 65
Priceros lapides in Luſitania reperiuntur. 417
Principes tres Martyres in inſula Cerlano. 470
Prorex Luſitaniæ à Philippo II. Rege conſtituitur. 366
Prudentius de Sandoual obiter perſtringitur. 4
Puer Ieſus in imagine miraculoſa colitur Eboræ. 554
Pueri ſemimauri in fide noſtra conſtantia. 352
Puer Hiſpanus Malabarica in ora egregiè, ad Mahometanas ineptias ſuſcipiendas adhortantem cùm repulliſſet, pro Chriſto mortem ſubiit. 478. item alius matre Inda, patre Luſitano natus. ibid.
Pyrenæorum montium incendiũ. 414

Q.

QVizeria Martyr à fratre apud Patrem accuſatur, à quo pro Chriſti fide interficitur. 445. eius in martyrio comites. ibid. eius interfectores pœnas luunt. 446. ipſa interfecta caput portat manibus præciſũ. 446

R.

RAymundus Burgundius ducit Veracam Alphonſi VI. Regis Hiſpani filiam. 5
Raymundi duo Alphonſo VI. Hiſpaniæ Regi contra Mauros ſuppetias ferunt. 4
Regum eſt tueri eos qui ad ſe velut ad aſylum confugiunt. 126
Reges bonis conſiliariis aures ſemper aperiant. 212
Reges Luſitaniæ vt inungerentur ſolemniter, conceſſit Pontifex Eugenius IV. 163
Reges Indi qui fidem Chriſtianam ſint amplexi. 517
Reuocata martyr pro Chriſti nomine. 452
Reliquiæ inuentæ Granatæ, & ſimul libri veteres, an. M.D.LXXXVIII. 433
Reliquiæ exterorum ſanctorum variæ in Luſitaniam delatæ. 555
Reliquiæ Sanctorum Olyſſipone aſſeruatæ. 549
S. Rochus Olyſſipone colitur. 549
Rodericus Botus Martyr Luſitanus, Armuziæ. 462
Rodericus Sancius Sancii I. filius illegitimus occubuit in prœlio ciuili Luſitanorum. 44
Rodericus Soſa quàm benignè à Rege Ioanne II. habitus. 218.225
B. Romanus colitur in diœceſi Eborenſi. 554
S. Roſendii Præſulis ſanctitas & reſignatio. 522
Rudolphi Aquaviuæ Societ. Ieſu nobilitas, virtus & labores; cæditur à barbaris in India. 506

S.

SAccarum induxit mellis incuriam. 427
Sacerdos Franciſcanus in ora Malabaria martyrium cum aliis compluribus ſubiit. 477
Sacrilegii ſupplicium. 146
Sadus flumen deſcribitur. 413
Sal plurimus in Luſitania inuenitur. 423
Salabençala Fernandum Principem captum & obſidem auro perſoluto liberare detrectat. 179
Salſetani Martyres quare à Brachmanibus idololatris cæſi in peninſula Salſetana. 505
Sancia Sancii I. filia duo condidit cœnobia

nobia, vbi sit sepulta. 44. sanctitate claret. 529.
Sancius I. Lusitaniæ Rex à patre Alphonso regno præficitur. 22. & 35. muros Hispalenses quatit. ibi. & 34. eius ortus, educatio, magistri, disciplina militaris. 33. eius victoriæ viuo adhuc patre. 34. Saracenos ad Pacem Iuliam & Scalabim duobus prœlijs fundit. ibid. rei agrariæ incumbit. 35. architectura quàm strenuè vacauerit. ibid. regnum ædificiis nobilitat. ibid. Ordinem equitum S. Iacobi locupletat. ibi. Classe Borealium adiutus Syluensem vrbem Algarbiorum metropolim expugnat. 36. nullis infortuniis vexatur. 37. eius animositas. ibid. eius tempore sæuiit fames & pestis. 38. cum Mauris necessitate compulsus inducias in quinquennium componit. 39. bello cum Legionensibus decertat. ibi. bellum sacrum pecunijs promouit. ibid. in Mauros bellũ reparat. ibi. Heluios expugnauit. 40 eius vxor & liberi, filiæ quinque, & proles illegitimæ. 44. illius statura, mores, virtutes. 45. eius clades ex neglectu censurarum Apostolicarum. ibid. eius ætas & testamentum. 46. quomodo animæ suæ prouisum esse voluerit. ibid. illius obitus & sepulcrũ ac beatitudinis argumentũ. ibid.
Sancius II. Lusitaniæ Rex quando & vbi ortus. 61. eius valetudo in pueritia infirma fuit. ibid. gestauit vsque ad pubertatem ex matris voto vestẽ Canonicorum Regularium S. Augustini. ibid. eius in regendo nimia remissio. ibid. vxorem inconsultò ducit. 62. eius vxor dum aliquibus nimis fauet, malorum magnorum causa est. ibid. nuptias illius Pontifex irritas esse declarat. 63. eius in locum Alphonsus frater surrogatur. ibid. Toleti exulat in sanctitate mira viuens. 64. S. Lazaro deuotus fuit, eiusque monitu. mortis diem cognouit, in hora mortis eum est intuitus. ibid. suorum in ipsum amor & studium. 65. eius lineamenta & forma. 66. nil illi ad perfectionem defuit, quàm consiliarij prudentes. ibid. Mauros fregit. ibid. vitæ illius spatium & sepultura. 67
Saturninus Martyr pro Christo. 452
Scalabitani agri fertilitas. 344
Sceptro vtuntur Reges Lusitanici. 407
Scriptores antiqui quid de Lusitaniæ fertilitate senserint. 396
Sebastianus Rex quando natus, qui eius parentes: vnde illi nomen inditum. 307. eius pædagogus & præceptor fuerunt viri insignes. ibi. cerea in omne bonũ eius indoles. 308. lethale crimen quàm detestaretur. ibid. pudoris custos erat integerrimus, & pudicitiæ vindex egregius. 309. ieiunium à pueritia coluit. ibi. pauperibus pedes abluit. ibid. confessionis & rei diuinæ audiendæ studium. ibidem. erga Deiparam mirè affectus erat. ibid. dynastam reprehendit Ven. Eucharistiã pompaticè stipantem. 310. in fide erat integerrimus. ibi. obsequium eius in Rom. Pontificem. ibid. carpi neminem coram se patiebatur. ibid. exoticarum deliciarum osor maximus erat. 311. viduas ac pupillos seriò curabat. ibid. regnum ei committitur ætatis annum XIV. agenti. 313. eius libello, quid contineretur ad regni gubernationem spectans. ibid. Iustitiam quomodo promouerit. 314. Societatis Iesu plurima Collegia erexit. ibid. Indiam meditatur. 317. sed Henricus Patruus & Societatis Iesu Religiosi ab eo consilio eum auertunt. ibid. Africam subiugare molitur magistro enixè dissuadente. ibid. eius prima in Africam expeditio & reditus, à præceptore reuocante. 318. cum magistro in gratiam redit. ibid. ei nuptiæ curantur, sed frustra ipso renitente. 318. 319. Mo-

lerinum Marrochienſem regno reſtituere parat, inuitis omnibus Luſitanis. 319. eius animus obſtinatus in ſuam & regni cladem. 320. in Africam ſoluens laborare commeatus cœpit penuria. 321. barbarorũ multitudine oppeſſi Luſitani profligantur, Sebaſtiano inter mortuos reperto. 322. eius ſepultura & ſtatura. ibid. eius virtus & dexteritas. 323. falluntur, qui ſcribunt ei à Societatis Ieſu hominibus diſſuaſas nuptias, & Africanã expeditionẽ ſuaſam. 319
S. Sebaſtiani imago Olyſſipone in communi lue ſudauit. 556
Seuerio quidam Bengalenſis ætatis 335. annorum. 297
Senis cuiuſdam numeroſa ſoboles ac ſtirps. 392
D. Senorinæ Miracula & ſanctitas. 530
Septæ vrbis in Africa ſitus. 151. eam Luſitani expugnant. ibid. ei præfecti Marchiones Villaregienſes. 152. eius deditionem Luſitani Mauris pollicentur anguſtiis preſſi. 176. ea demum iis redditur. 183
Septemdecim Luſitani plurimos Caſtellanos fundunt. 148
Sila obſtetrix martyrio coronatur. 446
Simon à Freitas Cetobricenſis martyr Marrochij. 460
Simon Gomezius pius ſutor Luſitanus multa prædixit. 524
Simon Vaſęus ſacerdos in inſulis Mauricis martyr. 471
Sinæ quando primum fidem Chriſtianam edocti. 517
Sintia mons Luſitanię deſcribitur. 399 & 586
Siſenandus martyr ex Pace Iulia. 451
Societatis Ieſu protector fuit Ioannes III. Rex. 287. & Henricus Cardinalis. 332
Sodalitium miſericordiæ ſub tutela B. Virginis inſtitutum, in ſola Luſitania celebratum eſt. 546. initia illius & incrementa, ibid. Sodalium illius inſtituta & benefacta. 547
Solis defectio prodigioſa anno 1199. & eius effectus. 39
Sorores octo, eiuſdem partus, martyrio coronatæ. 444
Soſæ Chichorri vnde trahant originem. 74
Stannifodinæ Luſitanicæ. 416
Sultanis Ægypti Luſitanos tota India pellere fruſtra molitur. 266
Sundani duo martyres. 474
Suſanna martyr Bracharenſis. 441
Syluester Epiſcop. Bracharenſis martyr. 441

T.

TAgus ſe aperit D. Eliſabetha Regina ſepulcrum S. Irenes ſub aquis latens adorare volente. 107. 530
Tagi fons, curſus, amœnitas. 406. celebritas eius: auriſluus eſt. 407. eius piſces. 408
Tamaca Luſitaniæ fluuius. 412
Tareſia Sancii I. filia póſt coniugium monialis vitæ ſanctitate mirabili fuit, eius corpus modò integrum repertum. 41. 526
B. Tareſiæ pauperculæ miracula tria. 526. opinio de illius ſanctitate. 527
Taurus mons montium omnium veluti fons. 398
Templi ad Araducam religio & reditus. 153
Theophilus martyr Luſitanus. 452
D. Theotonius illuſtris ſanctitate monachus in Luſitania. 522
Thermæ Luſitanicæ. 402
S. Thomæ Apoſtoli corpus repertum Meliapore & honoratum. 285
Thynnos habet Luſitania excellentes. 431
Tiberinus illuſtris Confeſſor Chriſti. 452
Tingim expugnat cum Luſitanis Fernãdus princeps. 176. Tingitanis Rex Feſſanus & Lazeraquius præfectus eius auxilio veniunt. ibid. expugnatur ab Alphonſo V. 208
Tingitani à cane periculi inſtantis à Mau-

Mauris commonentur. 271
Torpetis Martyris breue elogium & vitæ synopsis. 439
S. Torquati corpus habet Vimaranum. 560
Transmontana regio Lusitana describitur. 393
Transtaganæ regionis vbertas describitur. 390. penuria fontium laborat. 402
Tristanus Ataidius martyr fuit in Africa. 457
Tristanus Vasæus à Vega Malacam egregie tuetur contra Acenos. 316
Triumphus describitur quo Olyssiponenses Regem suum Philippum II. excepere. 572. & seqq.
Turdetania Lusitaniæ Regi à Rege Castellæ datur sub certis conditionibus. 73
Turcici lapides Villæviciosæ eruuntur. 418

V.

VAldeues oppidum plurimos insignes tum litteris, tum armis viros dedit. 393
P. Vascus ex familia D. Hieronymi in Lusitania aliquot suis condidit cœnobia. 523
Vascus Gama in Indiam Orientalem profectus, quæ regna coronæ Lusitanicę adiecerit. 265. varia eius gesta & nauigationes. ibid.
Vectigal Romanis pensum ex Hispanicis aurifodinis. 415
Verissimus Martyr Olyssipponensis. 448. eius & sororum reliquiæ Vlyssipone asseruantur. 548
Victor Martyr Bracharensis. 441
Victoria quæ vulgò dicitur *de Salado*, quomodo obtenta. 116. 119
Viginti tres Lusitani à Mauris necati in odium Christi. 473
Vina generosa fert Lusitania. 425
Vincentius Aluarus è Soc. Iesu Lusitanus in vrbe Dabul à Mauris capite truncatur. 512
S. Vincentius Martyr Eborensis. 442. Olyssipone requiescit. 548
Virgines sanctæ Lusitanæ recensentur. 530
Vomurenses in Iaponia martyres tres. 482
Vouga fluuius Hispaniæ describitur. 409

X.

XArifes Africanus obsidionem Mazaganicam soluere cogitur, generosè se tuentibus Lusitanis. 312

Z.

ZAmorinus frustra Chale oppidum obsidet in India. 316